BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 — M
1

Digitized by Google

111 f 14

Digitized by Google

Google

SEDES IVDICIALIS
SALOMONIS

IVXTA ANGELICI DOCTORIS

D. THOMÆ DOCTRINAM.

AVGVSTINI, GREGORII, BERNARDI.

ALIORVMQVE SANCTORVM DICTA.

Regibus, Principibus, Præſulibus, Iudicibus, atque Confeſſarijs apprimè vtilis, ac perneceſſaria.

CVM DVPPLICI INDICE;

Vno Rerum Notabilium. Altero Sacræ Scripturæ, Non inconcinnè digeſtis.

AVCTORE

FRATRE VINCENTIO PERSIO

MATERANO PATRITIO ROMANO.

Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magiſtro.

AD REVERENDISS. PATREM MAGISTRVM

IOANNEM THOMAM ROCCABERTI

Totius Ordinis Prædicatorum digniſſimum, ac meritiſſimum Magiſtrum Generalem.

HIC LIBER EST CONTUS [illegible] MARIAE PP. EREM. EXCAL. S. AUG.

NEAPOLI, Apud Nouellum de Bonis Typog. Arch. MDCLXXIII.

SVPERIORVM FACVLTATE.

[illegible]

Google

REVERENDISSIMO PATRI
SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO

IOANNI THOMÆ
ROCCABERTI

TOTIVS PRÆCLARISSIMI ORDINIS PRÆDICATORVM
MERITISSIMO GENERALI.

Frater Vincentius Perſius Matheranus, Patritius Romanus, eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ Magiſter.

NON abſque Diuino flamine Reuerendiſſime Pater Diuinus ille Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum, Salomonis inſtar, in Iudiciali Sede ſedens decreuit, quod: *Angelica Virtus eſt per iuſtitias vtrouè modo iuuare, ſiuè per manum, ſiuè per linguam operetur*. Cuius ſenſus eſt, vt paulò inferius ſeipſum explicans ſubdit, quod ſedere in iudicantis Sede, ſiuè per manum conſcribere ſententias, ſiuè per linguam leges, & Canones propalare, Angelicæ Virtutis eſt. Sed quid dico Angelicæ Virtutis? Si ipſiuſmet Dei proprietas eſt: quemadmodum Rex ille Sanctiſſimus pſalmo decimo, inquit: *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit*. Et pſalmo nono: *Iuſtitia, & Iudicium præparatio ſedis ſuæ*. Ad quam rectam iuſtitiam, verumque iudicium, ſimplex non ſufficit legum notitia, ſed maximum Iudicum requiritur ſtudium, quod iuxtà Salomonis ſententiam, labore non caret, dicentis: *Qui addit ſcientiam, addit, & laborem*. Et Diuus Auguſtinus de Ciuitate Dei cap. 22. ſcribit: *Cum labore meminimus, ſine labore obliuiſcimur, cum labore diſcimus, ſine labore neſcimus*. Quemadmodum Paternitas tua Reuerendiſſima iugiter ſtudijs indefeſſo labore vacaſti; A Martiali ſtrepitu, ad Guſmani

 vexil-

vexillum non ſine ſignis futurorum progreſſuum tē cæleſte Numen vocauit:mirabilis certè inſinuatio,excelſi nempè dexterę mutatio,nàm quod prius ad arma,iuuenilis ardor impellebat, inde ad Scholaſtica certamina,aſſidua mentis virium applicatione exercuiſti. Quare non ſine aſtantium ſtupore,ſudore madent Dertuſæ palæſtra. Immò adhuc lucis tuæ abſentiam lugent Gymnaſia Compluti,& Valentini Theatri, nec non ſtrepitibus Sholaſticis Victoriarum tuarum adhuc tremont nutantia ſaxa.Vbique Reuerendiſſime Pater reliquiſti tui infatigabilis ſtudij glorioſiſſima ſigna, Magiſtri, Alumni,Cathedræ,quæ adhuc ſunt ipſius,inceſſantes fidi præcones.

Sed quid amplius?dùm Magiſtrum agis, ſtudijs adhærere continuò non cędis. Hoc certe mirandum, tot Regiminis curis implicitum, nihilominus à literarum iugi meditatione non abſtrais. Parum deſeruiũt miniſtri,deciſionum,negotiorumque multitudinis cauſa,dùm ſola mēs tua,magnarum rerum capaciſſima,grauamen non ſentit,dico ſola mens tua,quæ ſimul,& ſemel ad regimen,& ſtudium genialiter rapta. Theologicis contemplationibus traſcendētaliter imbibitur. Vnde,libri ſunt arma tua;Religionis ſceptrum,Summa Diui Thomæ: hæc in lecto melior ceruical,hæc in menſa ſuauius epulum:Hanc ſemper præ manibus habes,nullum,vel naturæ, vel officij negotium ab huius lectione diuertit. Dùm vaſtam Aragoniæ Prouinciam ſollicitus Præſul viſitandam peragrabas,vna manu baculum,altera librum tenebas,pedibus ad greſſum,oculis ad librum intentis. Siſto,ſecretiora taceo, nè videar domeſticum me agere adulatorem.

Verùm minimè tacere debeo,tuæ Excellentiſſimæ, atque Auguſtiſſimæ Proſapiæ inſignia encomia: Dùm ex Regio Gotorum Sanguine ducit originem;Alaricum, & Athaulfum illius Gentis eſſe in Hyſpania Reges.Primi ſui ſtemmatis, ac conditores,Theodoſius,Archadius,Honorius,& Valentianus Imperatores,vſque ad Athaildam, & Placidiam Rupeuertina aſcendit fæcundiſſima Arbor, quæ varijs nuptiarum nexibus,Regijs nempè,Galliæ,Nauarræ,Aragoniæ,& Siciliç familijs iuncta fuit,quotque ex eis Principes deſcendere gloriantur, huius Regiæ Venæ generoſo humore nutriuntur. Innumeros Belli, & Pacis,Orbi,& Eccleſiæ contulit inſignes Heroes. Arnoldum Cardinalem de Roccaberti.Quatuor Archiepiſcopos,varioſque diuerſarũ Eccleſiarum Prçſules. Tres Supremos maris Atlantes. Septem Supremos Exercituũm Ductores. Fulmina Belli, & Martis primogenitos innumeros. Proreges, Gubernatores, & primos ſtatus Polytici adminiſtros decem. Quatuor Paradiſi flumina ex hac Regia Vena recenter pullalare. Hi ſunt, Venerabilis Pater Frater Ioſeph de Roccaberti Capuccinus. Venerabilis Soror Stefania de Roccaberti ex Carmelitico Paradiſo.Et

Ve-

Venerabilis Soror Hippolyta noſtri Ordinis ſoror de cuius Beatificatione in Sacra Congregatione, nunc agitur : Et denique Illuſtriſſimus Dominus D. Petrus de Roccaberti veſtræ Reuerendiſſimæ Paternitatis Germanus frater, qui maximæ Sanctitatis opinione obijt. His omnibus adiunge ſingularem illum, nullique conceſſum, infra Coronam, Dei gratia titulum, quo vice Comites Roccabertini ab Vgone primo, vſque hodie à Regibus, & Principibus, à Regnis, & Supremis eorum miniſtris inſigniri conſueuerunt; ſtilum à Carlo Magno deſumentes, qui prædictum Vgonem ſpeciali priuilegio Supremum, & independentem ſui ſtatus, & Dominij Principem, & Vice Comitem inſtituit. Meritò igitur cū Iudith, c. 15. exultabunt labia mea, cū cantauero tibi: *Tu gloria Hieruſalem, tù lætitia Iſrael, tù honorificentia populi noſtri.* Tù gloria Hieruſalem dico, nempè Orbis, dùm ex celeberrima Proſapia, quæ tot inſignis, perſpicuiſque Herois, omnium virtutum ornatis, glorioſiſſimè, ac fulgentiſſimè coruſcat. Tù lætitia Iſrael, nempè Prædicatorū Ordinis, dū à iuuētute ſua calcatas hoſtis aſtutias, & Chriſti pia tractus dulcedine, Mundum linquens Principatum reliquiſti, Prædicatorumque Ordinem miro amore, ardentique deuotione amplexus es. Tù denique honorificentia, populi noſtri, ideſt fratrum Prædicatorum, quos tua eximia Sapientia gubernas, atque mirifico amore Religionis gloriam, & honorem, vtpotè in Beatificatione, Sanctorumque Canonizatione, maximeperè oſtendiſti: meritò dixi: *Tù gloria Hieruſalem, tù lætitia Iſrael, tù honorificentia populi noſtri.*

In cuius Solij cō ſcenſu id potiſſimum tuæ gloriæ præſtat incrementum, quod non fauore ſecularium Principum, ſed Domini Sabaoth electione ſola, qui fulgentiſſimam noluit diù lucernam ſub modio latitare, ſed Supereminentiſſimæ Sedis candelabrum, vt totum illuminet Mundum exaltauit. Exultate itaque ò fratres, ò populi de longè, & omnes gentes plaudire manibus, & iubilate dicentes: *Tù gloria Hieruſalem, tù lætitia Iſrael, tù honorificentia populi noſtri.*

Lucerna igitur huiuſmodi ſit, quæ opus meum illuminet, cuius titulus eſt: *Sedes Iudicialis Salomonis.* Et certè nihil illi felicius accidere poteſt, quam tuo ſplendenti lumini, ac glorioſiſſimæ, & inuictiſſimæ tuæ Arci eſſe dicatum: vt non ſolum ipſa ſuis diſternis munitionibus agredientibus hoſtibus ſit conſpicua, & formidabilis, verum, & omnia, quæ illius vmbra proreguntur, ſecura conſiſtant.

Dignetur ergò Paternitas ſua Reuerendiſſima hilari vultu, quod dedico accipere, ſi non dignum ex offerentis obſequio, dignum acceptione ex magnaminitate eius, cui ſiſtitur. Nàm non minus Regium eſt, magna tradere, quam minima, læta fronte excipere. Et ſi aliquantulum breue eſt, Diui Thomæ Aquinatis conſilio cōformari volui, qui ſuper

Epi-

Epiſtolam ad Hebræos capite vltimo ſcriptum reliquit: *Sermones bre-ues, valdè accepti ſunt, quia ſi ſunt boni, indè auidius audiuntur, ſi verò mali, parum grauant*. Parum grauauit meum Cælum Virgineum Sacri Ordinis Prædicatorum, quod annis elapſis Reuerendiſſimo Patri Generali Sanctæ memoriæ Fratri Ioanni Baptiſtæ de Marinis dicaui. Spero neque hoc ex Paternitatis tuæ Reuerendiſſimæ alis pendens, ſtudioſos eſſe tedio affecturum. Vale, & Viue Deo, Viue Cælo, Viue in perpetuas æternitates. Datum Neapoli in Conuentu Sancti Seueri. Die 14. Octobris MDCLXXIII.

CAN-

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI.

I*Nſpice beneuole, & Candide Lector, & conſidera Diui Thomæ ſententiam, quam paulò ante adduxi, ſcilicet:* Sermones breues valdè accepti ſunt, qui ſi ſunt boni, indè auidius audiuntur, ſi mali parum grauant. *Prolixitatem itaque vitare propoſui, vt me menti Diui Thomæ confirmarem; & ideò non niſi neceſſarias citationes adducere: obidque etiam perſpicuitatem, & non affectatam elegantiam probaui; Magis enim placent Amatoribus fortia, quàm accidentia. Quidquid ergò boni reperies Candide Lector, id à Deo dimanaſſe cognoſce, ac per conſequens Deum lauda omnis boni Authorem. Si quid verò erratum fuerit, mihi adſcribe: Sed ignoſce, homo enim ſum, & quidem infirmus, qui errare potui, præſertim in materia, iam ſcrupuloſa. Omnia porrò, quæ ſcripſi, Superiorum meorum, in primis Romanæ Apoſtolicæ Sedi iudicio, lubens ſubmitto, nec non ab alijs paratus ſum corrigi. Exiguum eſt certè beneuole Lector, quod tibi offero munus, ſi offerentem ſpectes; Sed quia, quod ad Dei honorem, animarumque inſtructionem offertur, exiguum dici non debet, æquidem ſpero, fore, vt hoc meum, qualecunque munuſculum; Sedes, ſcilicet Iudicialis Salomonis, non minus hilari fronte à te excipiatur, quam alterum, nempè:* Cælum Virgineum Sacri Ordinis Prædicatorum accepiſti. *Hoc tibi demum recordor, dictum quippè Diui Hieronymi dicentis:* Legant priùs, & poſteà deſpiciant, nè videantur non ex iudicio, ſed ex odij præſumptione ignorata damnare. Vale, &c.

Beneuole Lector Errata Typographiæ grauiora cum ſuis correctionibus, pagina vltima in fine Indicis Sacræ Scripturæ reperies. Leuiora quiſque per ſe facilè cognoſcet.

AL

AL REV. PADRE MAESTRO F. VINCENZO PERSIO
De Predicatori S.Domenico Matera, Magiſter Ordinis.

Reuerendo Patre Maeſtro S.Hò veduto dalla lettera di V.P.il deſiderio,che tiene di dare alle ſtampe il ſuo Tomo, intitulato: *Sedes Iudicialis Salomonis*,che però quì accluſa l'inuio la lettera per il P. Maeſtro Viſitatore,nella quale gl'ordino, che deputi due riuiſori, vno de quali ſia il Patre Maeſtro Frà Tomaſo Luigi Francauilla, e l'altro à ſuo arbitrio,che ſtia vicino à Matera,acciò la P. V. poſſa con preſtezza darlo alle ſtampe, come deſidera, e per fine alle ſue orationi mi racomando con li Compagni.Roma 9.di Gennaro 1672.

P.Veſtræ Conſeruus in Domino F.Io.Thomas de Roccaberti, Magiſter Ordinis,&c.

Adm.Reu.Pater Magiſter S.Cum typis mãdare cupias quoddam tuum opus,inſcriptum,*Sedes Iudicialis Salomonis*; ac à Patre Reuerendiſſimo obtinueris,quod alter ex reuiſoribus eſſet Adm. Reu. P. Magiſter Frater Thomas Aloyſius Francauilla: alter verò, quod tibi à nobis aſſignaretur,&c.Nos harum ſeriè,ac ex ſpeciali commiſſione Reuerendiſſimi Patris Generalis,aſſignamus pro altero Reuiſore Adm.R. P.Magiſtrum Fratrem Ioannem Thomam di Bitetto,itaut prædictum tuum opus typis mandare poſſis, dummodò fuerit priùs à prædictis duobus Patribus approbatum, & ſeruatis alias de iure ſeruandis, &c. In nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti.Amen.In quorum Fidem, &c.Datum Materæ die 19.Martij 1672.

P.V.A.R.Conſeruus in Domino. Frater Ioſeph Gigantes Magiſter,& Vicarius Generalis,&c.

Approbatio Adm. Reu. Patris Magiſtri Fratris Ioannis Thomæ de Bitetto Ordinis Prædicatorum, &c.

Tranſmiſſum eſt mihi Fratri Ioanni Thomæ de Bitetto Magiſtro Prouinciæ Sancti Thomæ, Ordinis Prædicatorum, ab Adm. R. P. Magiſtro Fratre Ioſeph Giganti Panormitano, eiuſdem Prouinciæ Vicario,Viſitatore,& Commiſſario Generali; Volumen cum titulo; *Sedes Iudicialis Salomonis*, compoſitum ab Adm. Reu. P.Magiſtro Fratre Vincentio Perſio Materano,eiuſdem Prouinciæ Sancti Thomæ,vt perlegerem,ſimulque teſtarer,ſi quid contra bonos mores, contra Fidem Catholicam,& etiam contra veritatem cõtineret; cumque perlegiſſem,

mira-

miratus ſum, tanquam exemplar, & ſpeculum in quo relucent ſpecies, tùm veritatis, tùm Fidæ Catholicæ dogmata, etiamuè bonorum morū, in quo habent reſpicere, cuncti Iudices, tùm ſeculares, tùm Eccleſiaſtici, etiamuè Confeſſarios, atque Principes, Reges, & Imperatores, vt veram, ſanam iudicandi formam teneant in quocumque foro: nec hoc tantum ſum miratus, ſed doctrinam, veritatem, & dogmata Sanctorum Patrum dictis confirmata, maximęque noſtri Sancti Doctoris Thomæ Aquinatis dictis dilucidata, cuius doctrinam, tanquam veridicam proprio ore Chriſtus in Cruce exiſtens, non ſine ſtupendo miraculo approbauit; nec hoc mirum, cum Compoſitor ſit eiuſdem Sancti Doctoris Alumnus ex cuius doctrinæ viſceribus, quidquid dixerit ſumma ingenij perſpicuitate extraxerit, ideoque poſſe prælo mandari exiſtimo, ad cunctorum Regentium, ſcilicet Iudicum cuiuſcumque ordinis in toto Orbe informationem. Datum Mudunei die 4. Menſis Iunij 1672.

Ita eſt Frater Ioannes Thomas de Bitetto Magiſter, &c.

Approbatio Adm. Reu. P. Fratris Thomæ Aloyſij Francauilla, Ordinis Prædicatorum, Magiſtri.

Reuerendiſſimi Patris Generalis Magiſtri Fratris Io. Thomæ de Roccaberti mandatis obtemperans, librum cui titulus: *Sedes Iudicialis Salomonis*, ſummo iudicio, ingenio, pietate, ab Adm. R. P. Magiſtro Fratre Vincentio Perſio à Matera, Patritio Romano exharatum, accuratè perlegi: nihilque in eo reperi, quod in iudiciali ſtatera appenſum, minùs habens inueniatur; quinimò totum ex Diui Thomæ maximis compoſitum; Itaut in hac Iudiciali Sede, Sanctum Doctorem, Solem Author oſtendit in libra. Vtpotè igitur Fidei, Chriſtianiſque moribus, perutilè, tutè typis dari cenſeo. Datum Barij die 20. Maij 1672.

Frater Thomas Aloyſius Francauilla Magiſter, manu propria.

ADMODVM REVERENDO PATRI

FRATRI VINCENTIO
P E R S I O

ORDINIS PRÆDICATORVM
Digniſſimo Magiſtro.

Philippus de Bonis Vtriuſque Iuris Doctor.

QVàm bene diffundat doctrinæ lumina cunctis
Perſius, in numeris, hoc anagramma docet

A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50	60	70	80	90

t	u	x	y	z
100	200	300	400	500

Sedes Iudicialis Salomonis Fratris Vincentij Perſij à Ciuitate Materę Nobilis Romani, & ſuæ Religionis Magiſter.

ANAGRAMMA NVMERALE.

O vrna argentea, ac clara lux cæleſtis, quæ nouo Sydere Orbem Totum illuminas, ac ſicut flamma micans mirabiliter reſplendes.

EPIGRAMMA.

Perſius ingenio cenſetur luminis vrna
Et meritò, ſiquidem nomen vtrumque refert:
Luce noua, ceù flamma micans illuminat Orbem,
Indè nouo eloquio clarus vbique nitet.

AD-

ADMODVM REVERENDO PATRI

FRATRI VINCENTIO PERSIO

ORDINIS PRÆDICATORVM MERITISSIMO MAGISTRO, OMNI DOCTRINA PRÆDITO.

Nicolaus Ventriglia Phyloſophus, Theologus, ac Iuris Conſultus Capuanus, Achademicus humoriſta, alludit ad illud. Vincenti dabo manna adſconditum, & nomen nouum, quod eſt ſuper omne nomen.

EPIGRAMMA.

MAnna latens, nomenque nouum, tu iure repoſcis
Vincenti. Vincis namque nefaſque ſtigem
Hæc dat Vincenti reprobi tremefactor Auerni,
At retines, tibi iam præbuit iſta Deus,
Quid mirum ſi vis Aſtræam accreſcere Mundo?
Plus poßes labijs dulcibus, atque libris
Nomine dicare Aſtreæ reuocato in orbem
Te toto orbe ferat fama per ora virum.

AD EVNDEM DISTICON

Eiuſdem.

Faſque nefas mixtum poſſe internoſcere Perſi
Rarior hoc alijs à Salomone Sapis.

DELL' ISTESSO ALL' ISTESSO.

SONETTO.

DA naturale iſtinto al bene al vero
Tratta, & la noſtra mente, e'l noſtro affetto,
Mà ſpeſſo la delude vn falſo ogetto
Lo fuſca ſpeſſo vn penſier tetro, e nero.
PERSIO sù queſto d'ombre alto emisfero
Spuntar'il Sol del tuo ſaper perfetto
Lume accende al volere all'intelleto,
E del bene, e del ver moſtri il ſentiero.
Così ne' tuoi giuditij inſtrutto affatto,
Onde il falſo non crede, c'l male oblia
Vien l'huom da gli errori hoggi ritratto;
E perche il Mondo in dubio più non ſia
Riceuendo del vero il ver ritratto
Dalli giudicij tuoi pender deſia.

Al Molto Reuerendo Padre Maeſtro Frà Vincenzo Perſio dell'Ordine Dominicano, per lo ſuo libro intitolato Sedes Iudicialis Salomonis, ſi tocca la Torre, e'l Sole del ſuo Caſato.

SONETTO

Del Dottor Sig. Gioſeppe Vrſo Lupo.

ECcoti l'ali Aſtrea, per vie lontane
Da queſta Torre oue hai le glorie aſſiſe
Vola pur, c'hor t'applaude in miglior guiſe
La fama infra le Reggie aure ſourane.

Vanne, e fà che non dia ſentenze inſane,
Quel Paride, ch'à Gnido vn tempo arriſe;
Nè de Sfingi temer, che'l Ciel permiſe.
Nuouo Edipo à ſpiegar l'enimme ſtrane.

Se per regger de Maggi errante il piede
Per lontano ſentier, calle intricato
Scorta di nuoua ſtella il Ciel già diede.

Più felice n'andrà tuo piede alato,
Ch'al tuo paſſo volante hoggi ſi vede
Nuouo Sole appreſtar per guida il fato.

Del

Del Dottor D. Franceſco Antonio Noia della Città di Matera, Al M. Reu. P. Maeſtro Frà Vincenzo Perſio Patritio Romano.

SONETTO

DAl gelido Aquilon, dall'Auſtro aduſto
Carchi vengan d'enimmi il Goto, il Moro
Di ſapienza à ber ampio teſoro,
Ch'à vene d'or diffonde vn Tago auguſto.

Tal fonte già di merauiglie onuſto,
Al par d'Epiro accende al rio ſonoro,
Qual Apollinea Cetra ogn'vn canoro
Rende ſenza agitar braccio robuſto.

Ceda alla Patria mia Smirna, e Micene
Ceda il ſaggio Licurgo, anco Solone,
E chiunque Scrittor, che vanta Atene.

Se fù ciaſchun d'vn Regno ſol Catone:
L'almo Campion delle natiue arene
Eſſer sà di più Mondi vn Salomone.

ADMODVM REVERENDO MAG. PATRI

FR. VINCENTIO PERSIO

ORDINIS PRÆDICATORVM.

EPIGRAMMA.

ANdromedam monſtro eripuit Perſius; & ipſe
Temporis è Monſtro, Perſia, ſcripta rapis.
Illi adamantæum Vulcanus tradidit enſem;
Æternum Pallas dat calamumque tibi.
Gorgona Perſeus; tu Perſia, Fata ſuprema
Vincis Vincentij nomina dignus habes.

EIDEM

Alluditur ad eius Inſigne Sole, Turrique ſuffultum.

Quàm benè fulgentem iactas in ſtemmate Solem;
Quàm meritò Turrim Perſia doctus habes,
Aſtrorum Princeps Sol præſtat clarior Aſtris;
Altiſcius cunctis tu praees ingenijs.
Aere tonat ſacro ſacra Turris; ſic tua Turris
Sacra tonat Fama, quæ volat omne Polo.
Vndique dicendus iam tu Supremus, & altus;
Sol altus, Turris veſtra ſuprema probant.

Perenni Seruus
Philippus Boncori.

Al M. Reu. P. Maeſtro Frà Vincenzo Perſio de Predicatori, per il ſuo libro intitolato, Sedes Iudicialis Salomonis, s'allude alla Torre parte d'impreſa del ſuo caſato, & ſi tocca la memoria, che con detto libro ſi rinoua di Salomone.

SONETTO

Del Sig. Domenico del Vecchio di Genoſa.

TEntò Babelle inſuperbita, e ſtolta
Stabilirſi frà gli Aſtri Eccelſo Trono;
Mà, delle lingue poi confuſo il ſuono,
Nelle ceneri ſue cadde ſepolta.

Tebe, ch'à ſuon di Lira in pietre accolta,
Vantò di Marte hauer le glorie in dono;
Pur d'Aleſſandro al formidabil tuono,
Precipitò frà le ruine inuolta.

Cadde Seſto, & Abido, Argo, e Cartago,
Reſtò Menfi ſuperba al fin ſotterra,
Suanì trà denſi fumi Ilio sì vago.

Sola la voſtra TORRE è ferma in terra,
Ch'auuiuando d'vn Rè l'eſtinta imago,
L'eternità ne' marmi ſuoi rinſerra.

Per

Per li molti componimenti Poetici fatti in lode dell'Autore. Si tocca il Sole, parte dell'Inſegna di ſuo Caſato.

S O N E T T O,

Del Dottor Sig. Archangelo de Martino.

QVeſto, che fabricaſti eccelſo Trono
Di Pindo ſembra, ò d'Elicona il Monte;
Se tutti à decantarti vniti hor ſono
I più be' Cigni del Caſtalio Fonte.

Del più ſourano allor cinge tua fronte
Concorde Clio, de la tua Fama al ſuono:
Fulmini Zoilo, à danni tuoi, qual Bronte;
Che'l tuo Lauro à te ſia ſchermo dal tuono.

Tu ſcriui del Tirren, lungo le ſponde,
E la Sirena, che del Mare è Prole
Mille Cetre à tua gloria, erge sù l'onde.

Mà ch'ogn' ingegno à celebrarti hor vole,
Aquila di tue luci alme profonde;
Merauiglia non è, s'hai teco il Sole.

IN Congregatione habita coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano, ſub 5. Maij 1673. fuit dictum, quod Reuer. Pater Abb. D. Bonifacius Temignus Congregationis Oliuetanæ reuideat, & in ſcriptis referat eidem Congregationi.

Metellus Talpa Vic. Gen.

Carolus Paladinus Cong. Secr.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOM.

DE mandato E.V. ſedulè, & attentè legi librum ab Adm. Reu. Patre Magiſtro Fratre Vincentio Perſio Ordinis Prædicatorum compoſitum, cui titulus eſt. *Sedes Iudicialis Salomonis*, iuxtà Angelici Doctoris Diui Thomæ doctrinam, Auguſtini, Gregorij, Bernardi, aliorumque Sanctorum dicta; quàm verè Sacram, Catholicam, & bonis moribus conſonam, ſimùlque eximiam pietatem ipſe Author in hoc ſuo Opere præbet, vtilitatem legentibus, præſertim Regibus, Præſulibus, Iudicibus, nec non Confeſſarijs promittit. Siquidem regulas iuſtitiæ in cauſis promouendis, ſententijs ferendis vna cum pietate nectit. Cenſeo dignum prælo, & qui præ omnium manibus liber iſte habeatur, ſi E. V. videbitur. Cuius manum humiliter deoſculor. Neap. ex Monaſterio Oliuetano die 26. Iunij 1673.

E. V.

Humiliſſimus & Deuotiſſ. Seruus

Abb. D. Bonifacius Temignus Sanctæ Inquiſit. Conſult. Examinator Synodalis Deputatus.

IN Congregatione habita coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano ſub 4. Iulij 1673. fuit dictum, quod ſtante retroſcripta relatione imprimatur.

Metellus Talpa Vic. Gen.

Carolus Paladinus Congr. Secr.

ECCEL-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

FRà Vincenzo Perſio della Città di Matera Maeſtro dell'Ordine de Predicatori, humilmente eſpone, come hauendo compoſto vn libro intitolato: *Sedes Iudicialis Salomonis*; per tanto ſupplica V.E. commettere la riuiſta di quello per poterlo mandare in luce, & l'hauerà à gratia, vt Deus.

Reuerendus Pater Carolus Lombardus videat, & in ſcriptis referat.

Galeota Reg. Ortiz Cortez Reg. Calà Reg.

Prouiſum per Suam Excellentiam Neap. die 29. *Maij* 1673.

Spec. Reg. Carrillo non interfuit.

Preti.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

EXcellentiæ Tuæ iuſſu perlegi librum, cuius titulus; *Sedes Iudicialis Salomonis*, &c. Authore Adm. Reu. Patre Fr. Vincentio Perſio Ordinis Prædicatorum Magiſtro, nihilque in eo depræhendi, quod Regiam Iuriſdictionem, vel in minimo lædere poſſit. Quapropter ad Excellentiæ Tuæ placitum imprimi poterit. Neap. die 13. Iunij 1673.

Excellentiæ Tuæ.

Humiliſſimus Seruus
Carolus Lombardus Congr. Oratorij.

Viſa ſupraſcripta relatione imprimatur, verum ante publicationem ſeruetur Regia Pragmatica.

Galeota R. Carrillo R. Ortiz Cortes R. Valero R. Calà R.

Prouiſum per Suam Excellentiam Neap. die 20. *Iunij* 1673.

Preti.

INDEX

INDEX CAPITVLORVM HVIVS OPERIS.

Capitulum primum.
Præfatio.

DE Veritate Iudicij,& Iudicis integritate pagina 1.

Cap. 2.

De Salomonis Sapientiæ magnitudine. Ac de eius recta,totius Regni Iſraelis iuſtitia p.15.

Cap. 3.

An Pontifex in Sede Salomonis, nēpè in Cathedra Petri Chriſti Vicarij ſedēs ſit Supremus totius Eccleſiæ, ac Orbis Iudex.p.27.

Cap. 4.

An Principi, Salomonis inſtar, magis competat recti, ac veri Iudicis nomen, quam Armorum victoriarumque gloria. p.37.

Cap. 5.

An aliquid amplius requiratur ad Salomonicæ Reipublicæ conſeruationem, & gubernationem p.48.

Cap. 6.

An Princeps, veluti Salomon dici poſſit ſubditorum Paſtor. p.60.

Cap. 7.

An Salomonis Iuſtitia,ſicut queliberque alia ſit Sacrificium Deo oblatum.p.72.

Cap. 8.

Quænam differētia inter Altaris Sacrificium, & Salomonis Iuſtitiæ Sacrificium reperiatur. p.82.

Cap. 9.

An Iudices Salomonis ſe ctando veſtigia, abſque ſanguinis effuſione propter iuſtitiæ ſacrificium dici poſſint martyres. p.90.

Cap. 10.

Qualis eſſe debeat Iudex, iuxtà Salomonis ſapientiam.p.98.

Cap. 11.

An ad rectum iudicium,veramq; iuſtitiam Salomonis exemplo, requiratur quoque cognitio ſui ipſius, nempè iudicantis p.109.

Cap. 12.

An Iudex ante teſtium denunciationem, ſicuti Salomon, ad correctionem teneatur fraternam.p.121.

Cap. 13.

Quomodo Prælatus, vt Iudex, etiam Regularis, non minùs; quàm Salomon ſe gerere debeat erga ſubditos.p.131.

Cap. 14.

De Iudicis ſcientia, Salomonis æmulatrice ad rectè iudicandum.p.140.

Cap.

Cap. 15.
An Iudex, Salomoni adhærendo ſapientiæ, in cauſa dubia rectè iudicare poſſit. p. 149.

Cap. 16.
Quæ conuenientia, & diſparitas, iuxtà Salomonis doctrinam reperiatur, inter Ius, Iuſtitiam, & Iudicem. p. 157.

Cap. 17.
Quia à iure dicitur Iudex, & iuramentum, quomodo ſe gerere debeat Iudex, Salomonē imitando in iuramentis iuridicis. p. 165.

Cap. 18.
An Sacerdos, ad iudicium quoq; Salomonis pertinēs, dici poſſit, verus, & principalis Iudex. p. 174.

Cap. 19.
An omnis Sacerdos inſtar Salomonis ante lapſum dici poſſit verus, & principalis Iudex. p. 184.

Cap. 20.
An Laico, quemadmodum Salomon erat, iudicialis conueniat poteſtas ſpiritualis. p. 192.

Cap. 21.
De lapſu, & pænitentia Salomonis. p. 201.

Salomonica Iudicia, iuxtà Angelici Doctoris, aliorumque dicta.

C A-

CAPITVLVM PRIMVM

De Veritate Iudicij, & Iudicis integritate.

Pſal. 5. *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.*

QVà Oratoris facundia, quà cordis melodia, quà ſpiritus dulcedine, quali ſonora voce, quo ſuaui concentu, quà celeberrima laude exultabũt labia mea Domine, cum cantauero tibi Veritatem tuam, & Iuſtitiam tuam? certè animus pauet, turbatur intellectus, mens perhorreſcit, inquiens nimio affectus merore zelantiſſimus ille
Iſa.c.59. Propheta Iſaia: *Iuſtitia longè ſtetit, & Veritas facta eſt in obliuionem*: meritò igitur mens perhorreſcit, turbatur intellectus. Sed quare Iuſtitia longè ſtetit, & Veritas facta eſt in obliuionẽ? Reſpondit Spiritus ſanctus, Deutero-
Deutero. 16. nomij 16. *Quia munera excæcant oculos Sapientum, & mutant verba iuſtorum*. Ideò Diuus Pſalmiſta diuino ſuffultus impulſu curioſus percontando orat. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Diuinum accepit reſponsũ. Pſal. 14.
Qui operatur iuſtitiam, & loquitur veritatem in corde ſuo. Nam Veritas de terra orta eſt, & Iuſtitia Pſal. 84.
de Cælo proſpexit. Vnde D.Bernardus ad Eugenium ſuper illud D.Ber. Eccleſ. 11.
Eccleſiaſtes vndecimo. *Omnia diſponit in numero, pondere, & menſura* ſcribit. *Diſponit in numero virtutum opera; in pondere veritatis ſemitas, & in menſura Iuſtitiæ actus*. Et Eccleſiaſtici trigeſimo Eccleſ. 33.
tertio habetur. *Qui ambulat in iuſtitijs, & loquitur veritatem, & excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitat*. Vnde Salomon in Prouerbijs capite ſexto Prouer. c. 16.
decimo ſubdit. *Initium viæ bonæ eſt facere iuſtitiam, accepta eſt au-*

tem apud Deum magis, quam immolare hoſtias.

Hoſtiarum immolatio non ita apud Deum accepta, quemadmodum Iuſtitiæ ſacrificium, ideo Spiritus Sanctus per Pſalmiſtam dicit, *ſacrificate mihi ſacrificium*
D. Gregorius lib. 8. moral. *iuſtitiæ*. Huiuſmodi ergo iuſtitia, iuxta Diui Gregorij lib. 8. moralium ſententiam, valde Deo, & hominibus dulcis, ac ſuauis eſt. *Inſtar mellis*, (inquit Gregorius) *dulcis, ac ſuauis eſt apud Deum, & homines Iuſtitia, & Veritas.* Quem-
Pſal. 118. admodum Dauid pſalmo Centeſimo decimo octauo vaticinatur. *A iudicijs tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi, quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo, quia iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ?* libamus itaque, atque deguſtamus ò boni Iudices mirabilem hanc Iuſtitiæ dulcedinem, à qua Animæ exo-
Eccleſ. 30. ritur ſalus, ita affirmante Eccleſiaſtico. *Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ quæ melior eſt omni auro, & argento.* Nec mirum, quia nunquam deſtitit ſummus ille rerum opifex, ac naturæ conditor manum dare, pietatem largire, & premia hijs, qui iuſtitiæ normam, verbo doceant, factis præmonſtrent, cuncta, iuſtè recte-
Tobias 1. 13. que perfundant. Tobias. *Facite iuſtitiam coram Deo, quia ipſæ faciet vobiſcum miſericordiam.* Et
Deuteron. 16. Deuteronomij 16. *Iuſtè, quod iuſtum eſt perſequeris, vt viuas, &*
D. Cypria. *poſſideas terram.* Et D. Cypria. lib. de mort. ſub fine. *Remunerat Deus, qui iuſtitiæ opera fecerunt.* (Et quia pręſens Capitulum eſt operis præfatio. Marcus Tullius de Præfatione loquens, ait. *Omnis qui de rè aliqua inſtituitur ſermo debet à præfatione proficiſci, vt intelligatur, de quo diſputatio erit.* Immo ſecundum eundem Ciceronem *præfatio debet eſſe dilucida Oratio.*) Huiuſmodi igitur Oratio, Iudicij veritatem, atque Iudicis integritatem exponens, ad Ange-
D. Thom. 1. 2. ar. 1. & 2. licum Doctorem prius cucurrit, qui prima 2. q. 93. art. 1. & 2. inquit: *Vnaquæque res intantum habet de Veritate, inquantum imitatur intellectum Diuinum, quia intellectus Diuinus eſt verus ſecundum ſe, vndè ratio eius eſt ipſa Veritas. Ideò omnis cognitio veritatis eſt quædam irradiatio, & participatio legis æternæ, quæ eſt Veritas incommuta-*
D. Auguſt. lib. de ver. relig. to. 1. c. 18. & 31. *bilis, vt* D. Auguſtinus dicit libro de vera religione to. 1. c. 18. & 31. *Hanc veritatem omnes aliqualiter cognoſcunt, ad minus quantum ad principia communia legis naturalis: in alijs verò quidam plus, & quidam minus participant de cognitione veritatis, & ſecundum hoc etiam plus, vel minus cognoſcunt legem æternam.*

Hæc Veritas, vt docet S. Tho-
D. Thom. q. 29. ar. 5. mas loco citato q. 29. ar. 5. amabilis eſt, propter quod dicit Auguſtinus libro 10. Confeſſion. to. 1. c. 23. *Quod homines præcipuè Iudices amant veritatem lucentem, odiunt, eam redarguentem, ſcilicet inquantum ipſa Veritas impedit ab aliquo deſiderato. Deſiderium hoc*

inte-

intereſſe infectum, abutitur à lege Diuina, quæ per Spiritum Sanctum omnem Veritatem nos docet neceſſariam ad ſalutem, vt patet Ioannis c. 16. *Cum venerit Spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ioan. 16.

Pro quo notandũ eſt, quod triplex eſt veritas, ſcilicet Vitæ, Iuſtitiæ, & Doctrinæ. Veritas vitæ in hoc conſiſtit, vt quilibet faciat, quæ Deo ſunt placita, proximo vtilia, & ſibi meritoria, nempè, quod obſeruet Dei mandata, ità legitur de Tobia, qui etiam in captiuitate poſitus, viã veritatis non deſeruit, itaut omnia, quæ habere poterat, quotidiè captiuis fratribus impertiretur. Contra iſtam viam veritatis agunt omnes, qui aliena recipiunt. Contra eam etiam agunt omnes Hæretici, & Hypocritæ oſtendentes ſe Dei præcepta ſeruare. Item omnes falſi Amici, peius enim eſt falſificare Amicitiam, quam pecuniam, vt 8. Ethicorum dicitur. Omnes iſti non habent ſpiritum veritatis, ſed Diabolum, ſpiritũ falſitatis, qui omiſſa veritate, ità facit eos gaudere de falſa vita, vt tandem eos ad perpetuam mortem deducat. Tobia c. 1. 8. Ethic.

Secunda eſt veritas iuſtitiæ. Hæc veritas iuſtitiæ in iudicio ſeruanda eſt, ſecundum illud Iſaiæ 42. *Dedi ſpiritum meum ſuper ipſum, & in Veritate deducet iudicium.* Et iſta veritas iuſtitiæ nihil aliud eſt, quàm reddere vnicuique, quòd ſuum eſt, vt ſic ſeruetur lex naturalis, quod tibi nõ vis, alteri nè feceris. Contra iſtam veritatem iuſtitiæ agunt multoties, accuſatores, iniqui teſtes, falſi Aduocati, verboſi Conſiliarij, Iudices iniuſti, qui omnes corrumpunt, odio, aut Amore, pecunia, aut timore iuſtitiam, hodie enim frequentiſſimè iuſtitia tollitur, quia innocentes condemnantur, & iniuſti præualent, ſecundum illud Iſaię c. 59. *Conuerſum eſt retrorſum iudicium, & iuſtitia longè ſtetit, quia corruit in plateis veritas, & equitas non potuit ingredi, & facta eſt veritas in obliuionem.* Iſai. 42. Iſai. 59.

Sed quibus modis impeditur Iudex, vel Aſſeſſores, vel Conſiliarij, nè iuſtitiam faciant, atque diligenter examinent cauſam ſibi propoſitam. Reſpondet D. Gregorius, & habetur in decretal. 11. q. 3. vbi dicit, quòd quatuor modis humanum peruertitur iudicium, videlicet timore, cupiditate, odio, & amore. Vndè verſus.

Quatuor iſta, timor, odium, dilectio, Cenſus.
Sæpè ſolent hominum rectos peruertere ſenſus.

Primo ergo, iudicium peruertitur, dum metu alicuius poteſtatis veritatem loqui pertimeſcimus, aut ſententiam iuſtam ferre differimus. Cupiditate, ſiue cenſu, dum præmio alicuius animum corrumpimus: quare Iſaias c. 59. inquit: *Manus noſtræ pollutæ ſunt, non eſt qui inuocet iuſtitiam,* Iſai. c. 59

neque eſt, qui iudicet verè. Odio, dum contra quemlibet aduerſarium voluimur, vel molimur. Vndè D. Gregorius Imperatori Mauritio ſcribit loco ſupra citato; *Quod laudabiles ſunt iudices, in quibus nec ira, nec furor, ſed ratio dominatur*. Et Apoſtolus Iacobus cap. 1. ſubdit: *Sit omnis homo velox ad audiendum ſcilicet verbũ Dei, & tardus ad loquendum, nè excedat in multiloquio*, & paulò inferius ſequitur, *tardus ad iram*. Ira enim viri, iuſtitiam Dei non operatur, ergo Iudex, & ſui aſſeſſores moueri debent ad iudicandum zelo iuſtitiæ nō zelo vindictæ, iræ, vel odio.

D. Grego. loc. cit.

Apoſt. Iacobus c. 1.

Dixi zelo iuſtitiæ, ideò benedicitur Deuteron. 16. *Iudices, & magiſtros conſtitues, qui iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent*. Et ibidem dicitur: *Quod iuſtum eſt, iuſtè exequeris*. Et 2. Paralipom. c. 19. dicitur: *Quodcumque iudicaueritis in vos redundabit, non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, neque perſonarum acceptio, nec cupido munerum. Non enim hominis, ſed Dei exercetis iudicium*. Ac ſi diceret Dominus, non te moueat vlla res ad iniuſtum iudicium, videlicet non verba, non conſaguinitas, non munera, non ſeruitus, non familiaritas, non laus, non potentium preces, vel aliorum quorumcunque, ſed tantummodò attende æquam cauſam, & iuſtum iudicium iudica, vt tibi iuſtiſſimus Iudex in finali retribuat iudicio.

Deuteron. c. 16.

2. Paralip. c. 19.

Tertia dicitur veritas doctrinæ, quę eſt in ſana, & vera doctrina, quàm ſtudio, & labore die, noctuque acquirere debent Iudices, & non tantummodo, otio, ludis, aliiſque delitijs vacare, aliter quomodo rectè, doctè, & peritè iudicabunt? Contra hanc veritatem non deſunt inuidi detractores, irriſores, maledici, nihilominus conſulendum eſt fideli Iudici, vt diligentius prædictam hanc triplicem veritatẽ conſeruet, nam dicit Propheta. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*.

Non abſque diuino myſtério in ſpecie linguarum Spiritus Sãctus apparuit, & hoc principalius, nempè, quod lingua debet eſſe membrum Veritatis, tam his mundum iudicantibus, quàm alijs veritatem docentibus Quare lingua ex ſua creatione ad hoc ſpecialiter ordinatur, vt per ipſam veritas exprimatur, ſecundum illud pſalmi *Veritas de terra*, ideſt de homine *orta eſt, & Iuſtitia de Cælo proſpexit*; ex quo patet, quod lingua tam ex Creatione, quàm etiam ex Spiritus Sancti apparitione ad hoc eſt homini data, vt veritatem loquatur. Magnum ergo eſt meritum illorum iudicum, qui veritatem per rectam iuſtitiam loquuntur. Vnde legitur, quondam in Vienna oſtenſum de lingua integra inuenta in tumba cuiuſdam Iudicis mortui, toto corpore corrupto, de quo cum Sanctus Epiſcopus

in orationibus ſuis cauſam quę-reret, ſibi à Deo reuelatum fuit, quod cauſa incorruptionis linguæ fuit, quod Iudex in vita ſua nunquam linguam ſuam ad falſitates, & iniuſtitias mouebat. *Sed heù* (clamat Diuus Bernardus) *paucæ tales linguæ nunc in cimiterijs reperiuntur*. D. Bernardus.

Et Socrates videns latronem duci ad mortem, riſit, & interrogatus, cur rideret, dixit, rideo, quod magni latrones paruum latronem damnant. Debet enim Iudex, inquit, Socrates in tali caſu tria in ſe habere. Primò debet conſiderare, an ſit in eadem culpa per quam alterum damnat, & ſi ſic tunc oſtendit ſe ipſum condemnandum. Secundò, an aliquando fuerit in eadem, vel ſimili culpa, & tunc damnet cum miſericordia, ſicut ſibi ipſi voluiſſet fieri miſericordiam. Tertiò conſideret ſi nunquam in eãdem culpam (quod poſſibile eſt) ſit caſurus, ſicut dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat nè cadat*; & tunc cum timore, & veritate damnet ad ſenſum dictum; debet itaque Iudex in mente habere, tanquam in ſpeculo, ipſam veritatem, ſimulque iuſtitiam. 1. ad Cori. c. 10.

Pro qua veritate, & iuſtitia terribile lego exemplum de decem Comitibus per ordinem à ſe deſcendentibus, qui dãnati fuerunt propter vnam poſſeſſionem Eccleſię Metenſis contra veritatem, & iuſtitiam ablatam à prædeceſſoribus ſuis, quàm non reſtituerunt, licet ſcirent eam fuiſſe Eccleſiæ, nihilominus per potentiam, & iudicum authoritatem ad nutum ab ipſis pendentium iniuſtè ablatam, vt Diuus Petrus Damianus refert: Vnde dicit, quod in Teutonia fuerit Comes bonæ Vitæ ſecundum hominum opinionem, poſt cuius mortem quidam Religioſus in ſpiritu vidit eius animam in inferno, ſimul cum Iudicibus malè iudicantibus, in primo gradu cuiuſdam ſcalæ erectæ inter ſtridẽtes, & crepitantes flammas, & ſurgebat ſcala illa de immenſo barathro. Cumque Religioſus ille quæreret, quare ille Comes, qui tam iuſtè vixerat, ſic torqueretur, audiuit, propter quandam poſſeſſionem Metenſis Eccleſiæ, quàm Stephanus proauus eius contra omnem veritatem, contra omnem iuſtitiam abſtulit, cui iſte iam Decimus in hæreditate ſucceſſerat, & ſecundum quod morerentur in iſta cognatione, vnus poſt alium in illa ſcala collocaretur. *O Deus* (inquit Diuus Petrus Damianus) *quot ſunt in mundo tales nobiles, & alij, ſed plus nobiles, qui tamen volunt vocari boni Chriſtiani, ſed exitus rei docebit quales ſint, iudices cogentes, vt voluntati eorum promptè, & abſque mora, nec vllo temporis interuallo obedientes ſint*. Et ſi eis dicitur, illa bona non ad eos, ſed ad hanc Eccleſiam pertinent. Reſpondent, Pater meus mihi illa reliquit, D. Petrus Damian.

quit,

quit, videat ipſe. Aut alio modo excuſationes quęrunt in peccatis, quas Deus nullo modo acceptat, ſed filius cum Patre damnat: & ſicut de Eccleſiarum dixi, ita intelligatis de alijs bonis malè, & contra veritatem acquiſitis, vel iniuſtè retentis.

D. Thom. 2.2. art. 1. & 4.

Vnde ſi ad iudicium vertatur ſermo: *Iudicium*, inquit Angelicus Doctor 2.2. q.59. art. 1. & 4. *propriè nominat actum iudicis, inquantum iudex eſt, Iudex autem dicitur quaſi ius dicens, ius autem dicitur obiectum iuſtitiæ. Et ideò iudicium importat ſecũdam primam nominis impoſitionem, determinationẽ iuſti, vel iuris, quæ determinatio propriè ad iuſtitiam pertinet. Iuſtitia ad iudicem ſpectat.* Vnde Iudex ſecũdum D. Thomam ſcire oportet: *Quod aliud eſt iudicare de rebus, & aliud de hominibus. In iudicio enim, in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei, de qua iudicamus, cui nihil nocet qualitercumque iudicemus de ipſa: ſed attenditur ibi ſolùm bonum iudicantis, ſi verè iudicet, vel malum ſi falſo: quia verum eſt bonum intellectus, falſum autem eſt malum ipſius, vt dicitur in 6. Ethic. Et ideò vnuſquiſque debet niti ad hoc, quod de rebus iudicet ſecundum quod ſunt: ſed in iudicio, quo iudicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum, & malum ex parte eius, de quo iudicatur, quia in hoc ipſo honorabilis habetur, quod bonus iudicatur, & contemptibilis, ſi iudicetur malus. Et ideò ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat.* Propter quod Phyloſophus in 5. Ethicorum dicit, *quod homines ad iudicem confugiunt, ſicut ad quandam iuſtitiam animatam*. Hæc ille.

Ariſtot. 5. Ethic.

Sed quid facient homines ſi anima Iudicis virtutibus iuſtitiæ caret? Orare oportet, vt ſe ipſos cognoſcant dicentes illud Sapientiæ 5. *Errauimus à via Veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis*. Sed ò vtinam nunc ſe errare intelligerent. Veniet autem dies, & hora, quando velint, nolint, cogentur ſe erraſſe, confiteri ſine fructu, &c. E contra verò ſi Iudices veram amplectarentur iuſtitiam, atque veritatis viã, Deus pro his, quatuor dabit eis retributiones: duas in hac vita, & duas in alia vita. Prima retributio, eſt bonorum temporaliũ in hoc mundo. Deus enim prouidet ſuis iudicibus iuſtitiam faciẽtibus de omnibus neceſſarijs, iuxta illud pſalmi 35. *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem*; *quia iuſtitias eius nõ repuli à me, ideò retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam*. Secunda retributio, eſt etiam in hoc mundo, videlicet bonorum ſpiritualium, ex nunc pro tunc nomen Beati obtinens, cum dicitur: *Beati qui faciunt iuſtitiam omni tempore. Scitote, quoniam omnis qui facit iuſtitiam ex ipſo, nempè ex Deo natus eſt*: itaque non ſolùm remunerantur hic, bonis

Sapient. c. 5.

Pſal. 35.

Pſal. 15.

Pſal. 105.

1. Ioan. 2.

tem-

temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus, dans illis Deus in anima, gratiam ſuã, iuxta illud pſalmi 57. & 130. *Si verè vtique iuſtitiam loquimini, ita retributio in anima mea*; immo conſolationes multas, & illuminationes, virtutes, & reuelationes, ſecundum illud Iſaiæ 58., & Prouerb. 21. *Qui ſequitur iuſtitiam, inueniet vitam, iuſtitiam, & gloriam: & Requiem dabit tibi Dominus Deus ſemper, & implebit ſplendoribus animã tuam*. Tertia retributio, datur à Deo in alio mundo ſtatim, quando anima à corpore recedit, tũc enim vidit Diuinam eſſentiam, Perſonarum Trinitatem, Chriſti humanitatem, Virginem Mariam, Angelos, & Sanctos: Si autem purgatorium intrat, ſtatim cum purgata fuerit, hæc illi dantur. De iſta retributione dicitur Iſaiæ 54. *Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, & iuſtitia eorum apud me, dicit Dominus*. Et 2. ad Timoteum 4. *Corona iuſtitiæ reddet Dominus in illa die iuſtus Iudex.* Et Sapientiæ 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ, viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace*. Quarta retributio, erit in generali iudicio, quando gloria animæ redundabit in corpus, ſicut modo eſſe ſubſtantiale animæ communicatur corpori, vndè faciunt vnam entitatem, quæ humanitas dicitur: ita tunc Anima communicabit corpori gloriam ſuam, quia non erunt diuerſæ gloriæ animæ, & corporis, ſed vna, quemadmodum lucerna accenſa, lumen communicat laternæ, ita anima gloriam corpori communicat, vt dicitur 1. ad Corinthios 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*. Ex his ergo patet, quam largus remunerator iuſtis Iudicibus, ac omnibus ſibi ſeruientibus in veritate, eſt Deus, quia multipliciter hic, & in futuro retribuit: quod nullus hic Principum, ſiue Regum huius mundi, quos Iudices obſeruant, facere poteſt.

Pſal. 57. & 130.

Iſaias 58. Prouerb. c. 2.

Iſai. 54.

2. Timot. 4.

Sapient. 3.

1. ad Corin. 15.

Iudices obſeruant dico, magis quam Dei præcepta. Vndè Tullius lib. 2. de officijs oſtendens, quale debet eſſe officium Iudicis, inquit. *Iudicis eſt, ſemper in cauſis verum ſequi*; ſed prædolor, ait Tullius, *ſæpè Veritas obnubilatur eloquentia Aduocatorum, & Procuratorum: quid eſt tam inhumanum*, inquit Tullius, *quam eloquentiam à natura ad ſalutem hominum, & ad conſeruationem datam bonorum, ad peſtem, perniciemque conuertere?* Ideò dicit Diuus Gregorius ſuper Ezechielem: *Iuſtus Iudex, & iuſtus Aduocatus nullo modo iniuſtas cauſas accipere debent, ſcilicet ſcienter, nec verba dare pro iniuſtitia conſentire: quomodo enim poteſt eſſe iuſtus, ſi iniuſtitiam prætendit fouere, aut iuſtæ parti iudicium minuere, qua propter iram Dei ad puniendum prouocant.*

Tullius lib. 2. de officijs.

Hanc Dei iram propter iniuſtitias, & Eccleſiæ perſecutionem Mauritius Imperator contra

tra

Vincẽtius Beluacẽſis in ſpeculo hiſtoriar. lib.23.c.18.

tra ſe concitauit, pro quibus hic grauiter, ac ſeuerè punitus; ita refert Vincentius Beluacenſis in ſpeculo hiſtoriarum lib.23.c.18. quod cum eſſet vir timens Deũ, maluit in hoc ſeculo facinorum ſuorum corporali ſupplicio vindictam perſoluere, quam tormẽtis gehennalibus cruciari. Quod cum iugiter in ſuis orationibus à Domino peteret, exaudiri meruit. Quadam igitur nocte, dum in ſtratu ſuo quieſceret, vidit per ſomnium ante ſe ſtare imaginem Saluatoris æneam, quæ erat ante portam Palatij, ex qua vox emiſſa eſt, dicens ad eum: Date Mauritio, vnde quidam iudiciarij miniſtri exuerunt eum. Tunc ait ad eum imago Saluatoris. Vbi vis reddam tibi mala, quæ meruiſti, hic, aut in futuro? & ille. O amator hominum Domine, hic potius, quam in futuro, propter tot iniuſtitias quas cõmiſi. Tunc iuſſit Diuina Vox eum tradi, & Conſtantiam Vxorem eius, & omnem eius cognationẽ, Focæ militi. Expergefactus fecit vocare Philippum generum ſuũ, cui aſſiſtenti, dixit Mauritius: ſcis inter agmina noſtra aliquem militem nomine Focam? Qui reſpondit, ſcio vnum. Et Imperator, cuius eſt qualitatis? qui ait, Iuuenis, tumidus, & temerarius. Tunc Imperator referens ſomnum Philippo, glorificauit Dominum magnificè pro huiuſmodi reuelatione. Vnde Imperator in hoſtili terra poſitus, cum milites ſuos ferro à rapinis abſtinere compelleret, nec eis ſtipendia conſueta largiretur, Focam rogare cęperunt, vt Imperij regnum ſuper eũ reciperet, quibus Focas obediens, regalem purpuram ſumpſit. Quod audiẽs Mauritius, animo diſſolutus rebus aduerſum ſe fluentibus ceſſit, & in quandam ſyluam mari contiguam fugit, in qua cum Vxore, & quinque filijs iuſſu Focæ Cæſaris interemptus eſt. Certè iſte Imperator deuotus fuit, & magnę fidei, qui ſic pœnis credidit inferni, & purgatorij, quod maluit hic puniri propter ipſas iniuſtitias ab eo commiſſas, quã in futuro; cuius oppoſitum multi increduli ſentiunt.

Et ſi Mauritius Imperator in tantis iniuſtitijs ſuam cognouit imperitiem; Non ita Imperator Tiberius Cæſar, qui vtpotè inhumanus, iniuſtus, & barbarus excellentem in arte decollari imperauit. Excellentem dico in arte mori præcepit, cui in mauſuleo debebatur eius imago exſculpiri. Erat iſte Tiberius Cæſar Octauiani filius adoptiuus, cui ſucceſſit, & vocabatur Nero cum nomine, videlicet Nero Tiberius, & non erat ille Nero, qui occidit Petrum, & Paulum. Hic primus benè præfuit, & vtiliter Reipublicæ, & Præſidentibus Prouinciarum ſcripſit: Tributa nullatenus ampliauit, boni Paſtoris officium eſt, pecus tondere, non excoriare; attamen, vt

Pro-

Proles referunt, paulatim in peius mutabatur. Vnde primò fuit fortunatus in bello, & ſtrenuus, ſed poſteà ceſſando à militia per ſe nulla gerans, Populum Romanum grauiter afflixit, filios proprios, & proles patritios, & Conſules interfecit, & valdè intemperatus factus eſt, vt potius diceretur Mero Tiberius, quam Nero Tiberius. Huic quidam Artifex, Vas vitreũ attulit, quod ad parietem proiecit, ſed ſolùm curuatum, & non fractum fuit, quod Artifex Malleo rectificauit, ac ſi eſſet cuprum. Et quæſitus de illa arte, reſpondit nullum eſſe in hoc mundo, qui hic ſcire præter ſe: propter quod, eum Tiberius decollari fecit dicens, ſi hæc Ars veniret in conſuetudinem, pro nihilo aurum reputaretur, & argentum; Hæc Iſidorus libro 16. Etimolog. Tãdem Tiberius factus eſt leproſus, & ſcribens Pilato pro Ieſu medico: Ieſus tunc crucifixus fuit, ſed poſteà à Sancta Veronica curatus, finaliter veneno interijt.

Iſidorus lib. 16. Etimolog.

Et quia infra erit ſermo de Regibus, Principibus, Præſulibus, alijſque nobilibus, ideò percontatur modo; vnde ortum habuit nobilitas? Reſpondetur à virtutibus, ita docet Diuus Gregorius in moralibus lib. 6. c. 12. dicens: *Summa nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus*. Ideo non ex veſtitu, qualitercumque ornato, ſunt cognoſcendi nobiles, quia ſic ſæpius mechanici eſſent nobiles, & Ciues, imò nobiliores, quam ex magna parentela geniti. Vnde dicit Ariſtoteles 10. Politicor. *Virtus, & malitia determinant nobiles, & ignobiles*. Et Decretalis 40. c. Nos. ſubdit: *Nobilitas morum plus ornat, quàm progenitorum.* Et Socrates, *Generoſiſſimus eſt, qui optimus eſt*: quapropter Iudęi, qui ſe iactabant de nobilitate Habraæ, illis reſpondit Ieſus, *ſi filij habraæ eſtis, opera habraæ facite* Ioan. 8. Nam ſecundum Chryſoſtomum. *Quid prodeſt generatio clara, quam mores ſordidant.* Ideò Hieronymus dicit, *Ille apud Deum eſt generoſior, qui eſt fide deuotior, vita ſanctior, & opere virtuoſior.*

D. Gregor. lib. 6. mor. c. 12.

Ariſtot. 10. Polit.

Ioan. 8.

Sed dices. Quæ ſunt ille virtutes per quas cognoſcuntur nobiles? Reſpondetur. Prima eſt largitas, vnde Deus, qui eſt nobiliſſimus, eſt largiſſimus, quia non ſolùm dat nobis ſua bona, ſed ſe ipſum, in præſenti ſacramentaliter, & in futuro in præmium. Geneſis 15. *Ego ero merces tua magna nimis*. Item apparet eius largitas in hoc, quod ſcribitur Matthæi 5. *Facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos, & malos, pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*. Item in hoc, quod quinque millia hominum cibauit Ioan. 6. Nam ſicut Aquila non comedit prędam ſola, ſed diuidit alijs, ratione ſuæ nobilitatis, ſic, & Chriſtus fecit, quod ad nobiles pertinet. Vnde Ariſtoteles de Regimine Principum inquit. *O Alexander tuis lar-*

Geneſis 15.

Matth. 5.

Ioan. 6.

gus es, quia ignominia Regis, vel Principis eſt, paupertas populi, ſed vice verſa Auaritia, & rapina, ſunt ignobilitatis ſigna, quia non decet Principem fore ſocium ſuorum. Secunda Virtus eſt gratitudo, & recognitio beneficiorum Dei, & hominum, de qua Auguſtinus ait, *qui beneficium non cognoſcit, ingratus eſt*, vt ſunt de quibus in pſalmo: *Obliti ſunt benefactorum eius*; quæ quidem gratitudo non ſolùm debet referri Deo, ſed, & exhiberi ſubditis, à quibus nutriuntur nobiles, etiam per ſudoris effuſionem ruſticorum: & quanto in maiori reuerentia habent ſubditos, tanto ſunt nobiliores: ſed iſti ſunt ignobiles, qui ſpernunt, & paruipendunt pauperes, & ſunt ignobiliores canibus, qui beneficia cognoſcunt, eis exhibita, & retribuunt, quandoque bona ſuis benefactoribus. Vnde legitur in Vita Beati Macharij, quod cum quædam leena haberet ſpeluncam, iuxta celbam Beati viri, dum inueniſſet vna vice catulos excecatos portauit eos ad pedes eius. Cumque intelligeret vir Dei leenam rogare pro illuminatione catulorum, eo orante illuminati ſunt, & ſequebantur eam ad ſpeluncam, non tamen ingratè, quia pelles ouiū cum lana, quas capiebant in venatione cum matre, quaſi pro mercede ante oſtium cellæ deportabant.

Tertia Virtus per quam nobiles cognoſcuntur, eſt miſericordia in pauperes: ideo in ſignum Clementiæ, Reges inunguntur. Et Rex Apum non habet ſtimulum, ſiue aculeum pungens, ſicut aliæ Apes. Quod autem clementia pertineat ad Reges, & Principes oſtendit Seneca: *Nullum ex omnibus magis, quam clementia, Regem, & Principem decet:* ſed iſti, qui ſunt duri, & immiſericordes erga pauperes, non ſunt coram Deo nobiles: ſicut heù noſtris temporibus faciunt Principes, & cæteri nobiles, magis immiſericordes ſibi ſubiectis, quam aliquando beſtijs. Seneca.

Quarta Virtus eſt, nobilitas, & ſtrenuitas, ſcilicet pauperes, & ſubditos defendendo. Ideò nouis militibus datur enſis, ad defendendum orphanos, & Viduas, vt legitur de Dauide 1. Regum 22. *Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia, conſtituti, & oppreſſi ere alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum Princeps.* De quo habetur in Canone 23. Verb. Reg. vbi dicitur: *Regum proprium eſt facere iudicium, atque iuſtitiam, & liberare de manu calūniantium vi oppreſſos;* ſed heù, quidam defendunt ſubditos ab alijs, ſed per ſe ſpoliant eos. Et tales ſunt ſimiles Cæto in mari, qui defendit aleces, ideſt piſciculos ab alijs piſcibus, quos poſtea per ſe ipſum deuorat; quibus minatur Iſaias 27. *In illa die occidet Dominus Cætum, qui in mari eſt.* 1. reg. 22. Iſaias 27.

Quinta Virtus, eſt iuſtitia, de qua Sapientiæ 6. *Audite Reges, & intelli-* Sapient. 6.

& intelligite, ad vos ſunt hi ſermo-
nes mei: ad vos dico, diligite iudiciũ,
Sapient. 1. *qui iudicatis terram*. Sapientiæ 1.
Ad vos dico: *Rectè iudicate filij ho-*
minum pſal. 57. Ideò Sapientię 6.
Pſal. 57. Sapient. 6. dicitur: *Qui cuſtodierint iuſtitiam,*
iuſtè iudicabuntur; & qui dedicerint
iuſta inuenient; quid reſpondeant, &
Tobiæ 13. ſcribitur Tobiæ 13. *Facite iuſti-*
tiam coram Deo credentes, quod fa-
ciat vobiſcum miſericordiam ſuam.
Deuteron. 16. Ideò Deuteronomij 16. dicitur:
Iuſtè, quod iuſtum eſt perſequeris; Et
tales ſunt nobiles coram Deo. Ex
præmiſſis ergo patet, quod om-
nis poteſtas, ſiuè fidelium, ſiuè in-
fidelium eſt à Deo, ſecundum ad
Ad Rom. 13. Romanos 13. *Nõ eſt enim poteſtas,*
niſi à Deo: ideò dixit Dominus Ie-
Ioan. 19. ſus ad Pilatum Ioan. 19. *Non ha-*
beres poteſtatem aduerſum me vllã,
niſi tibi datũ eſſet deſuper. Sed heù,
pluresmalè vtuntur hac poteſta-
te: Nàm nobiles, qui defendere
deberent viduas, & pupillos, &
Eccleſiam, ſiuè Eccleſiaſticas
perſonas, magis illas ſpoliant,
quam inimici, à quibus protege-
re illas deberẽt. Vndè nunc Do-
mini potentes ſæculares, bona
Eccleſiæ deſtruunt, & conſumũt,
iuſtitiam ſupprimunt, veritatem
odiunt, falſitatem diligunt, pacẽ
Eccleſię deſtruunt, diſcordiam
nutriunt, viduas, & pũpillos non
defendunt, nefanda mala in Pro-
uincijs, & Ciuitatibus ſuis per-
mittũt; & ſic impletum eſt, quod
Iſaias 59. prædixit Iſaias 59. *Conuerſum eſt*
iudicium retrorſum, & iuſtitia longè
ſtetit, quia corruit in plateis veritas,
& æquitas non potuit ingredi, & fa-
cta eſt veritas in obliuionem. Ecce
quàm grauem habent reddere
Domino rationem multi Nobi-
les, & poteſtatem in alios haben-
tes. Videant Principes, qui nunc
demoliuntur vineam, nempè Ec-
cleſiam, quam reddituri ſunt ra-
tionem, qui non credunt ſe malè
facere, ſed omnia, quæ faciunt
facere poſſe iuſtiſſimè, & ſic in
ſua cęcitate vitam perdunt.

Demùm audite Diuum Fran-
ciſcum de Paula opuſ. 1. epiſt. 5. D. Franciſ. de Paula opuſ. 1. ep. 5.
Verecundentur omnes Chriſtiani
Principes, qui ſine charitate viuunt,
cum enim Deus dederit eis modum
benè viuendi, & ipſi malè viuunt,
clauſerunt manus ſuas, diabolica cla-
ue auaritiæ maledictæ, & ſunt tena-
ces, & auari ad faciendum bonum,
& prodigi ad patrandum malum.
Plus diſſipant de eo, quod poſſident in
vanitatibus, & in rebus inutilibus,
quæ nihil eis proſunt, & quod peius
eſt, vt ſatisfaciant falſis voluntati-
bus ſuis, expoliant ſubditos ſuos. O mi-
ſeri, & infælices, quare veritatem
non cognoſcitis? an neſcitis, quod popu-
li ſunt vaſſalli Dei altiſſimi? Scitote,
quia illi ſunt itidem homines, quem-
admodum, & vos, de Adam: ſicut, et
vos deſcendentes; conceſſi enim ſunt
illi vobis in ſubditos, non vt expolie-
tis, & dilanietis eos, ſed vt illos rega-
tis ea diligentia, quæ requiritur ad pa-
ſtorem ouium. O peiores lupis rapaci-
bus, & famelicis leonibus? O tyramni
populi Dei. Verto me ad Principes
ſpirituales, & Eccleſiaſticos multò
peiores ſæcularibus, & mũdanis Prin-

cipibus;O ſocij Iudæ Iſcariotes,vos alloquor malos Prælatos,furti auidos,et diſſipatores theſauri, à Ieſu Chriſto per effuſionem ſui ſanguinis pretioſi lucrati, quàm curam ſancti Ouilis Chriſti geritis,nullam bonam diligentiam circa illud exercitij,ad aliud nõ attenditis,quam ad deuoranda bona Eccleſiaſtica: Ego ſcio, quod ſponſa meretrix eſt veſtra fælicitas,cum nõ reminiſcamini pauperum Ieſu Chriſti benedicti. Non ſufficiunt vobis veſtra beneficia, quæ ego maleficia pro vobis appello, non Monachorum Abbatiæ, cũ etiam hoſpitalia tyranni{aſtis arripiendos vobis ſuos prouentus,& pauperes fame pereunt per campos calles,& porticus, & in domibus deſpectis; heù, heù de vobis. Hæc ille, nempè Diuus Franciſcus de Paula. Legant igitur,legant omnes Chriſtiani Principes,& intelligant,atque mente percipiant, quid eis minitatur Sanctus.

D. Francis. de Paula.

Verùm obſtupeſco,nàm antiquitus,iuſtitia,& pietas,in Regibus,Præſulibus, Principibuſque maximoperè fulgebant. En Portugalliæ Rex,Ioannes nempè Secundus,qui Iudicem, officio, ac bonis omnibus priuauit. Vndè interrogatus, quare cum tantò vituperio illum depoſuit.Reſpõdit:Quia pro diuitibus ianuas,ac manus habebat apertas, ad audiendum verò pauperes, illas claudebat:ita Franciſc.Lab.to.3. Iudic.fol.727.

Franciſcus Lab.to.3. Iudic. fol. 727.

Non fuit ita clauſum hoſtium Ioſepho ab Arimathia, quando abſque vllo timore ad Pilatum pergit,& audacter petijt Corpus Ieſu. Et Pilatus, vlla oſtendente repulſa,illicò,quòd petijt, reddi iuſſit: *Tunc Pilatus iuſſit reddi Corpus Ieſu.* Miror certè,vndè tanta Ioſephi promptitudo? tanta indè reuerentia, tantaq; obedientia in Pilato in reddendo ſtatim Corpus Ieſu? Reſpondit Dionyſius Cartuſianus in *cap.*15. Marci, art.16. Quod Ioſeph erat Diues, nobilis decurio, ideſt vnus de curialibus; igitur ſi Diues, ac nobilis curialis erat; quid mirũ ſi illicò introiuit, & quidquid petijt, obtinuit. Ita obſeruat Norbertus, ibi in Marcum in Bibliotheca V. P. dicens: *Ioſeph Diues dicitur,vt oſtenderet cauſam, quare à Pilato potuerit impetrare Corpus Ieſu; vel vndè acceſſum ad eum habuerit. Certum eſt, ſi Ioſeph pauper fuiſſet,Pilati faciem numquã videret, vel ſaltem per menſem ad ianuam expectaret.*

Marc.15.

Dionyſius Cartuſ. in cap. 15. Matth. art. 16.

Norbertus in Marcũ.

Qua re poterat in Pilati Curia adſcribi, quod Homero ſancitum fuit.

Ipſe licet venias, muſis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Ioan.Sareſber.lib.5.c. 10.

Sed vndè relinquam illud mirùm,ſemperque memorandum Alphonſi Aragoniæ Regis præceptum, qui Iudicibus ſub capitis pœna,nè deinceps in tribunali pænitùs accederent, ad ſentẽtias, vel ad cauſas decidendas, niſi priùs, omnibus expoliatis

paſ.

Panor. lib. 3. de dictis & factis Regis Alphonſi.

paſſionibus;ita cenſet Panor.lib. 3. de dictis, & factis Regis Alphonſi: *Dicebat* (inquit iſte Author) *ſapiens ille Rex Alphonſus, vt in iudicijs, & ſynodis, in Senatibus, & in Conuentibus,in quibus de rebus publicis conſultatur,priuatos affectus foris deponerent:hi enim ſunt, qui omnia in malum perfundant.*

Quare Plutarcus in præcepto politico ad Traianum de duobus Iudicibus, vnus Stratocles vocatus, Democlites alius; ad Tribunal accedentes dicere audebant: Eamus ad Tribunal, ad meſſem,nempè auream;ſic enim ioco,Tribunal,& Curiam appellare conſueuerant,quia illorum finis non erat cauſarum diſcernere veritatem,ſed potiùs pecuniæ receptionem. Audite quæſo

D. Thom. de Regim. Principũ.

Angelicum Doctorem D. Thomam de Regimine Principum, & eius obſtupeſcite verba:*Hodie* (inquit D. Thomas) *in Italia Iudices facti ſunt mercenarij; ſicut, & Domini:vndè agunt,non ad vtilitatem ſubditorum, ſicut & Domini, ſed ad lucrum præſtituentes in mercede finem.*

Pſal.81.

De his Iudicibus Rex Dauid pſal.81.loquens,ait: *Vſquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis;*quaſi diceret,dicite mihi ò Iudices, quando veſtræ ceſſabunt iniquitates, quando veſtræ iniuſtitiæ finem habebũt? Si Iudex ſecundum leges, iuſtus dicitur;vos Iudicis tantummodò nomen habetis:*Et faciem peccatorum ſumitis*; nempè ſententiam promulgate, non iuxtà iuſtitiæ ritum,ſed iuxtà amici voluntatẽ, ſeù munerum oblationem: ita Eminentiſſimus Bellarminus in pſal.81.*Porrò ſumere faciem peccatorum in iudicio,nil eſt aliud, niſi talem ſententiam ferre, non qualem iuſtitia exigit, ſed qualem requirit amicus,vel benefactor,vel cognatus; & hoc idem eſt reſpicere in faciem hominis,non in regulam iuſtitiæ.*

Eminentiſ. Bellarmin. in pſal. 81.

Præclarè confirmat hoc D. Hieronymus in pſalmo 81. ſubdens: *Quando venerit ad vos iudicium, non conſideratis cauſam, non conſideratis iudicium,ſed perſonas eorum,qui cauſas habent:* ac ſi dicat, ſi venerit pauper habens negotium iuſtum, & venerit Diues habens negotium nequam, vos perſonam accipitis, non negotium.Cauete cauete ò Iudices,& inſpicite, & conſiderate; quod Deus vos ad hoc elegit officiũ, vt animæ veſtræ fructum afferatis,non damnationem. Cauete dico,nè propter paruam eſcam, cibum amiſeretis æternum.

D.Hieron. in pſal. 81.

Mirabilis quoque redditur, eiuſdem Dauidis, illa alia prophetia de Deo humanato, de quo vaticinando canit:*Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autẽ Deos dijudicat,*Difficilis ſcriptura; Audiamus quæſo Doctorum expoſitiones.*Deus ſtetit*; in hebræo idiomate, *Elohim* dicitur, quod propriè *Deus Iudex* ſignificat.Per ly Deus,in plurali, Eminentiſſimus Caietanus, *Iudices intelligit*. Idẽ Cardinalis Bellarminus ibidem

Pſalm.81.

Eminentiſ. Caetanus Card. Bellarmin.

dem confirmat, verbo in Synagoga Deorum,dicens: *Synagoga Dei,nihil eſt aliud,niſi conuentus iudicum à Deo conſtitutus,quibus etiam nomen ſuum impertiuit,quia communicauit cum illis authoritatem iudicandi.*Sed percôtor, quare Deus, vt Iudex,in medio Iudicum locũ tenet. *In medio autem Deos dijudicat.* Cum eodem expoſitore Cardinali Bellarmino reſpondeo, quod Iudices, quando cauſam agunt,conſiderare debeăt,quod in medio eorum reſidet Deus, qui in die iudicij eos iudicabit. Quod certè multum prodeſſet Iudicibus,ſi ſeriò cogitarent in conſpectu ſummi Iudicis omnes cauſas iudicare: *Deus* (inquit) *ſtetit, ideſt ſemper aſſiſtit præſens inuiſibili maieſtate in Synagoga Deorum, ideſt in conuentu, & conſeſſis Iudicum,dùm cauſam populi iudicat:* hæc ille.

Remigius Altiſiorenſis in pſal. 81.

Sed Remigius Altiſiorenſis in pſal.81.aliam adducit expoſitionem: (In medio) *Qui eſt in medio, æqualiter ſe circumſtantibus videtur, & quia Deus communis eſt omnibus, certè in medio poſitus dicitur: Cum ſit ſatis certum apud mathematicos, quod medium æqualiter diſtat à qualibet parte circumferentiæ, ergo benè deducitur, quod Deus ſtans, vt Iudex in medio Synagogæ, à Iudicibus circũdatus,eos docere voluit, quod ſemper in medio maneat, & neque ad vnam magis, vel alteram declinare partem,plus nempè ad diuitem,quam ad pauperem, plùs ad nobilem,quã ad plebeũ.*)Audi Diuũ Baſilium homil.21. *Adſunt tibi ob oculos fratrum differentiæ,hic pauper, ille Diues,hic hoſpes,alius domeſticus, ſi iudicaueris, nè inæqualia videas, diuitem ſublimem, pauperem humilem.*

B. Baſilius hom.21.

Credo,ò boni Iudices, quod vobis meus diſplicet ſermo,nihilominùs ſi vobis diſplicet: Reſpondete interrogationi Sancti Thomæ de Villanoua, in Dominica 3. Aduentus dicentis: *Tu quis es: Reſpondebis, Ego ſum Iudex, Prætor, Decurio, Præfectus, Magiſtratus, Cenſor. Et numquid ſeruas rectam Regulam? Non poſſum omninò,ſed neceſsè eſt aliquando,aliquantulum flectere precibus, & rogatu aliquorum Procerum,& præcipuè eorum,qui apud Regem gratia, & fauore præſtant. Intercedit amicus,cui ſi nego, cum vituperio reijciam ab officio. Et numquid accipis munera? Aliquando,nàm non poſſum ſuſtentare domum meam,ſalarium eſt modicũ, ſumptus immodicus, non æquidem agros fodere,aut arare queo, ex meo officio alendus ſum. Et vtinam agros arares,vel foderes,melius enim fuiſſet,eſſe aratorem,quàm Iudicem:* hęc ille.

S. Tho. de Villano.

CAPITVLVM SECVNDVM

De Salomonis ſapientiæ magnitudine, ac de eius recta totiùs Regni Iſraelis iuſtitia.

Pſal. 5. *Verba mea auribus percipe Domine.*

QVà intellectus perſpicuitate, quà dicēdi copia, quà eloquenti lingua, quò ſufficienti calamo, de tàm Mundi prodigio, ac totiùs Mundi ſplendore, de Salomone inquam, eiuſque ſapientia, ac ſcientia, ſermonem habere? afficitur omnis creatura ſtupore. De Salomone dico loquar, qui maximoperè de ſapiētia cupidus, Dominum orauit, inquiens: *Nunc ergo Deus impleatur ſermo tuus, quem pollicitus es Dauid patri meo: tu enim me feciſti Regem ſuper populum tuum multū, qui tàm innumerabilis eſt, quam puluis terræ; Da mihi ſapientiam, & intelligentiā, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo: Quis enim poteſt hunc populum tuum dignè, qui tàm grandis eſt iudicare? Reſpondit Deus, quia hoc magis placuit cordi tuo, & non poſtulaſti diuitias, & ſubſtantiam, & gloriam, & petiſti ſapientiam, & ſcientiam, vt iudicare poſſis populū meum; ſapientia, & ſcientia data ſunt tibi*: hæc ſacer textus. (2. Paralip. c.1.) Vndè Deus tantam Salomoni infudit ſapientiam, inſtar multitudinis arenæ maris 3. Regū 4. vbi dicitur: *Dedit Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, ſicut arenam, quæ eſt in littore maris*: (3.Reg.4.) ergo quid mirùm ſi vires exceſſit humanæ ſapientiæ, dùm diuinitus per infuſionem accepit? Ita Angelicus Doctor 2.2.q.96. art.1. in corpore: *Certum eſt autē aliquos à Deo ſapientiam, & ſcien-* (D. Thom. 2.2.q.96. ar.1.)

tiam

Digitized by Google

3.Reg.13. 2.Paral.1. *tiã per infuſionem habuiſſe, ſicut de Salomone legitur* 3. Reg.3. & Paralip. 1. Et Gregorius Niſſenus homil.7. in Cant. de Salomonis ſcientia perſcrutando, an acquiſita, an infuſa fuit: inquit, *Quod ſua ſapientia Salomon veram ſignificet ſapientiam, nemo contradixerit ad hiſtoriam aſpiciens, & veritatẽ. Teſtatur enim Propheta, quod ille exceſſit humanæ ſapientiæ, vt qui omnium rerum cognitionem in ſui cordis latitudine cæperit, adeò, vt & priores prætererit, & quid deinceps ſunt conſequuti, eum non poſſunt aſſequi*; igitur iuxtà Niſſeni doctrinam, Salomonẽ humanis viribus non poſſe, tanta compræhendere ſapientiam. Et D. Gregorius Magnus ſubdit: *Ex hiſtoria ſacra innuitur, Salomonem diuinitùs accepiſſe ſapientiam*. Eminentiſſimus verò Caietanus ſuper illud 3. Reg.3. nempè diuitias, & gloriã dedi tibi, itaut nullus ſimilis tui fuerit cunctis retrò diebus, obſeruat dicens: *Ea diuina dona extendi ad vniuerſam Salomonis vitam, atque innumerabiles illius præclaras virtutes*: propter quas Angelicus Doctor 3.par. qu.31.ar. 3.ad 2. in calce reſponſionis docet: Beatã Virginẽ Mariã ex Salomone originẽ duxiſſe. *Credẽdũ eſt*; inquit, *quod Beata Virgo Maria, etiam ex Salomone originem duxerit, ſecundum aliquem modum per illos patres, quos enumerat Matthæus, qui carnalem Chriſti generationem dicitur enarrare. Et ſi non per lineam paternam, quæ erit Naſtanica, per maternam, quæ Salomonica eſſet propagaretur.* Et Euſebius Emiſſenus lib.7. de demonſtrat. Euangelica c.3. ait: *Chriſtus producendus erat non ſolùm ex ſemine Dauid, ſed etiam Salomonis.* Idem confirmat Sanctus Ephrem Syrus tom.3. Ser. de laudibus Sanctiſſimæ Dei Genitricis. *Virga verè extitiſti, & flos filius tuus ex radice quippè Dauid, ac Salomonis germinauit Chriſtum.* Quod ſi ita eſſet, quid mirùm ſi Dauid tot virtutibus illuſtratus fuit, ac per conſequens non minùs, & Salomon eiſdem inſignitus. Fuit igitur Salomon virtutibus plenus, ac perſpicua ſcientia ditatus, itaut omnis Iſrael ipſum timebant, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo. 3.Reg.3.

Gregorius Niſſenus homil.7. — Gregorius Magn. lib. 88. mor. c. 20. — Eminentiſ. Caietanus. — Angelicus 3.par.q.31. ar. 3. ad 2. — Euſebius Emiſſ.lib.7. de demõſtra. Euãg. c 3. — S. Ephrem Syrus to.3 de laudib. Virg.

Quod iſta Salomonis ſapientia fuit infuſa, non acquiſita, rationibus probatur; & dico fuiſſe per accidens infuſam, ad ſimilitudinem ſcientiæ primi hominis Adæ. Sed aduertendum eſt, ſciẽtiam vocari infuſam, dupliciter contingit, nempè per ſe, vel per accidens, ſcientia infuſa per ſe eſt illa cuius naturalis generatio eſt infuſio, qualis eſt ſcientia Angelorum, & Chriſti Domini, cui diuinitùs fuit indita, iuxtà illud Iſaiæ c.11. *Quod repleuit eum Spiritus ſapientiæ, & intellectus, & ſcientiæ, & conſilij.* Scientia infuſa per accidens dicitur illa, cui accidit, quod habita ſit per infuſionem, vt ſcientia Adæ. Æquali proportione de Salomone loquor. Et

Caiet.3.p. q.9.art.4. — Iſai.c.11. — D. Thom. 3.p.qu.11. ar.1.

Et probo, ſcientia rerum naturalium, quam habuit Adam fuit ſcientia ſibi à Deo per accidens infuſa, ſed Deus quoque, rerum omnium, ſcientiam dedit Salomoni, ergo fuit per accidēs infuſa inſtar Adæ: accidit enim ex miraculo, quod infundatur.

D. Tho. 3. p.q. 9.ar.4. Maior eſt D. Thomæ 3.p.qu.9.ar.4.in corpore dicentis: *Scientia autem infuſa attribuitur animæ humanæ, ſecundum lumen deſuper infuſum, qui modus cognoſcendi eſt proportionatus naturæ Angelicæ.* Probatur minor Deus dedit Salomoni ſapiētiam, ſicut arenā, quæ eſt in

3.Reg. 4. littore maris, vt habetur 3. Reg. 4. ſed arena, quę eſt in littore maris eſt ferè infinita, quę haberi nō poteſt, niſi à Deo per infuſionē, ergò, &c. minor eſt D. Thomę, &

D.Gregor. Niſſenus. etiam D. Gregorij Niſſeni loco citato, vbi inquit. *Salomon exceſſit in humana ſapientia, ſed quæ humanam exceſſit ſapientiam, alia eſſe non poteſt, niſi diuina per accidens infuſa, ideſt ex miraculo, ergo ad ſimilitudinem ſapientiæ, & ſcientiæ primi homi is Adæ ſapientiam, & ſcientiam per accidens infuſam habuit magnus ille, ac diuinus Salomon.*

Modo inſtatur, an hęc Salomonis ſapientia cum illa Adami cōtendit? Dico in aliqua ſcientia, Salomonem Adamum præceſſiſſe, nempè iuris ciuilis, & prudētiæ, quæ Adami ſæculo non tàm neceſſaria erat. Quare Prouer-

Prouerb.8. dic. biorum 8. dicitur: *Per me Reges regnant, & legum conditores, iuſtè decernunt, per me Principes imperāt, & potentes decernunt iuſtitiam.* Ex quo clarè infertur Salomonem ius docuiſſe, non ſuis ſolùm, ſed externis etiam, ſapientiæ beneficio pollicentem. Vndè Sambli- Samblicus in epiſt. ad Agrippam.
cus in Epiſtola ad Agrippam, inquit: *Oportet legibus præfectum ſummè purgatum eſſe, iuxtà ſummā legum rectitudinem, quemadmodum Salomon, ac neque fraude falli per ignorantiam; neque vita, inferioribus inferre, nec vlla occaſione iniuſta allici, nàm ſeruatorem, & cuſtodem legum, tā incorruptū oportet eſſe, quā ſūmè fieri poteſt in humana natura.*

Dùm ergò Salomon in hac ſapientia, & animæ puritate perſeuerabat, à Regina Saba inuiſitur 3. Regum 10. *Regina Saba audita fama Salomonis, venit ad Regem Salomonem, & locuta eſt ei vniuerſa, quæ habebat in corde ſuo.* 3.Reg. 10.
In dies vniuerſus Iſrael argento, & auro, ac Salomonis fama augebatur. *Magnificatus eſt Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ diuitijs, & ſapientia. Et vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde ſuo.* 3. Reg. 10. 3.Reg. 10.
Florebat Salomon cum pace, & opulentia, cum pietate, & cultu Religionis. *Salomon imperauit in diebus pacis, cui ſubiecit Deus omnes hoſtes, vt conderet domum in nomine ſuo, & pararet ſanctitatem in ſempiternum, quemadmodum eruditus eſt in iuuentute ſua:* Eccleſ.47. Eccle. cap. 47.
Procedebat Salomon publicè extrà Ieruſalem magnifico apparatu, & numeroſo equitum co-

comitatu.*Diſponam populos,& nationes mihi erāt ſubditæ,& in multitudine videbor bonus, & in bello*
Sap. 8. *fortis*.Sapientię 8.Septemnio Salomon templi ędificium perfecit, cui Dominus dixit, domus hæc, quam ędificaſti habitabo in ea, ſi omnia mea mandata cuſtodieris. *Anno quarto fundata eſt domus Domini, & perfecta eſt in omni opere ſuo annis ſeptem, & factus eſt ſermo Domini ad Salomonē dicens, domus hac, quam ædificaſti, ſi ambulaueris in præceptis meis, & cuſtodieris, omnia mandata mea firmabo ſermonem meum tibi, & habitabo*
3.Reg.6. *in medio filiorum Iſrael.* 3. Reg. 6. Salomon ſolemni pompa, conuocatis priùs Regni proceribus, templi dedicationem fecit menſe ſeptimo, ideſt menſe Septembri.*Conuenitque ad Regem Salomonem in ſolemni die, ipſe eſt menſis ſeptimus. Veneruntque cuncti Senes de Iſrael; & tulerunt arcam. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſrael, quæ conuenerat ad eum gradiebatur cū illo ante arcam.* 3.Reg.
3.Reg.8. 8. Completo Salomone templi ędificio, & collata Domini arca, totum poſteà ſe conuertit ad domum Regiam ędificandam, in qua tredecim conſumpſit annos: *Domum autem ſuam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vſque perduxit.* Demum ad externa ædificia, nempè ad inſtaurandas deſtructas Vrbes, ſe conuertit.*Cum perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini, & edificium Regis ædificauit poſteà omnes vicos, qui ad ſe pertinebant, & quæ erant abſque muro muniuit.* 3. Reg. 3.Reg.1.9.8.
1.9.8.

Hæc omnia Salomon ante peccati lapſum adimpleuit. Et præcipuè, vt Rex, & abſolutus Princeps rectam, ſanctamque iuſtitiam adamuſſim adminiſtrauit: ita D.Thomas 3. par. qu.59. D.Thomas 3. p. q. 59. ar.4.
art.4.*Iudiciaria poteſtas conſequitur Regiam dignitatem: Chriſtus autem quamuis eſſet Rex conſtitutus à Deo, non tamen in terris viuens, terrenum Regnum temporaliter adminiſtrare voluit*: vndè ipſe dicit Ioannes Ioan.18.
18. *Regnum meum non eſt de hoc Mundo.* Miror certè ſi Chriſtus, tanquam Rex, & Princeps vnctus fuit: *Vnxit te Deus Deus tuus,* canit Propheta pſal. 44. Quare Pſal.44.
iudiciariā poteſtatē exercere noluit? Dico, hoc fecit ad indicandum, quod non venerat miniſtrari, ſed miniſtrare, ideſt animas ad cęleſtia Regna perducere. D. Thom. loco cit. *Similiter etiam iudiciariam poteſtatem exercere noluit ſuper res temporales, qui venerat homines ad diuina transferre.* D.Tho. lo. cit.
Confirmatur ex D.Ambroſio D. Ambro. lib. 7. in Luc.
lib.7.in Lucam ſuper illud: *Quis me conſtituet Iudicem inter vos,* tomo quinto:*Benè terrena declinat, qui propter Diuina deſcenderat, nec Iudex dignatur eſſe litium, & arbiter facultatum, viuorum habens mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum.* Nihilominus Salomon Dominum orauit dicens: *Da mihi ſapientiam, & intelligentiam, quis enim poteſt hunc populum*

tuum

2.Paral.c.1 *tuum dignè iudicare? Reſpondit Dominus, vt iudicare poſſis populum meum, ſapientia, & ſcientia data ſunt tibi.*

In hac iudiciaria poteſtate mirificè, ac glorioſè oſtenſus eſt, Theodore. 3. Reg. q. 37. vt Theodor. 3. Reg. q. 37. obſeruat: *Quod Salomon obtenta à Deo ſapientia, in qua per totum illud tēpus, quod perſeuerauerit rectè, ſanctèque ſuum Regnum, omneſque alienigenas ad ſe nationes occurrentes adiudicauit.* D. Hieron. epiſt. 131. Quare Diuus Hieronymus epiſt. 131. ad Ruffinum de ſolertia iudicij Salomonis loquendo, ſic ſcribit: *Interpretatio iudicij Salomonis, quantum ad ſimplicem hiſtoriam perſpicua eſt, quod puer annorum duodecim, contra ætatis ſuæ menſuram de intimo humanæ naturæ indicarit affectu: vndè, & pertimuit eum omnis Iſrael, quod ſcilicet cum manifeſta non fugerent, qui tàm prudenter abſcondita deprahendiſſet.* Ad probandum hoc iudicibus exemplū, inquit Ioſeph Ioſeph lib. 8.c.2. lib. 8. c. 2. *Vt qui hæc legent, difficultatem decernendi intelligant, & ſi quando tale quidquam inciderit, ad exemplar ſolertiæ Regiæ difficultatē diſquirendi ſibi compareut.*

Et verè ſui, rectique iudicij omnibus experimētum præbuit. Vndè obſtupeſco de eius mirifi- 3.Reg.c.10 co, ac diuino iudicio. Inuiſitur Salomon à Regina Saba, quæ audita fama Salomonis venit tētare eum in enigmatibus donās ei inter alia munera duos diuerſorum florum faſciculos, quorū vnus naturalis erat, artificiatus alter, quiquidem artificiatus penitus à naturali differebatur: itaut cum Plinio dicere poterat Plin. lib. 21. c. 2. lib. 21. c. 2. *Maximum certamen erat artis, ac naturæ.* Et hoc vt Salomon, abſque narium approximatione inter naturalem, & artificiatum diſcernere poſſet; Salomon verò imperat, vt Samum Apium ante ſui præſentiam ferant, quæ vix floribus appropinquauerunt, quod ſtatim naturalem florem circuerunt, artificiato relicto, vndè animalia illa irrationabilia illicò enigmā exoluerunt. *Videns Regina Saba hanc Salomonis ſapientiam dixit ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea ſuper ſapientia tua, & nō credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & oculis meis vidi.*

Non credebam dico narrantibus mihi, præcipuè de illarum mulierum filio, cuius filius eſſet, & quando iudicium perdifficilè certè reddebatur, cum res noctu, & nullo teſte contigiſſet: tu pro tribunali ſedente ſententiam pronunciaſti. Nec tibi, nec illi, ſed diuidatur. Sed illa quæ mater non erat, hilari vultu, placet reſpondit. Vera namque mater, lacrymis aſperſa, magna voce clamans. Obſecro mi Rex nè diuidatur, ſed date illi infantem viuum, & nolite interficere eum, quæ verba à te percepta, ſentētiam protuliſti. Date huic infantem viuum, integrum, & incolumen, nàm hæc eſt vera mater. Quare videntes Iſraeliti, tuam in

iudicãdo ſententiã,timere ceperunt. *Audiuit omnis Iſrael iudiciũ, quod iudicaſſet Rex,timuerũt Regẽ, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo.*

Sed quod magis admirandũ eſt. Cupiens Adonias in ſuam vxorem Abiſag Sunamitis, vxo-
3.Reg.2. ris paternæ 3.Reg.2.Hoc audiẽs Salomon iratus eſt valdè; atque iurauit dicens: *Hæc faciat mihi Deus,& hæc addat,quia contra animam ſuam loquutus eſt Adonias verbum hoc. Et nunc viuit Dominus,quia firmauit me, & collocauit me ſuper ſolium Dauid patris mei, & qui fecit mihi domum,ſicut loquutus eſt,quia hodie occidetur Adonias.* Videtur omnibus, Salomonem non prudentem,atque ſapientẽ, ſed temerarium fuiſſe, occidendo fratrem: vndè inquit Grego-
Nanzianz. orat.6. rius Nanzianzenus oratione 16. *Nullus omninò cultus Deo perindè gratus eſt, ac miſericordia, quandoquidem,nec aliud quidquam eſt,quod Deo placet,& magis conueniat.*

Theodor. Theodoretus,inclytum Salomonem defendit dicens, quod Salomon ſeditioſo fratri condonauit,quæ aduerſus Regnum ſe egerat, illum de ſeruanda fide admonendo, ſed nil perficiente communẽ totiùs Regni opportunitatem conſpexit, dicendo hodie occidetur Adonias, quæ quidem ſententia fuit ſingularis virtutis,& iuſtitiæ,& totiùs Regni lætitia, & tranquillitas. 3. Regum 1. *Si fuerit vir bonus non*
3 Reg.1. *cadet, nec vllus quidam capillus eius in terram; ſin autem malum inuentũ fuerit in eo,morietur, miſit ergò Rex Salomon,& eduxit eum ab altari.*

Non multum diſtat ſententia hæc ab illa Ioab 2. Reg. 2. qui 2.Reg.2.
qui fuit particeps ſeditionis illius Adoniæ,Regnum inuadentis, quare Salomoni prudentiæ expediebat pro ſua, & Regni pace aliqua documenta præbere, vt oſtenderet non indigere Ducibus,ſeditioſis, & turbulentis, ſed pacificos Ciues inter ſeſe conſeruare,quare.

Vix fulminata ſententia contra Ioab, qui ſtatim ad taberna-
culum Domini fugit, *Et apprehẽ-* 3.Reg.2.
dit cornu altaris. Audiens Salomon, quod Ioab refugus erat, imperauit Banaiæ, vt interficeret eũ. Sacer textus: *Nunciatũ eſt Regi Salomoni, quod fugiſſet Ioab ad tabernaculũ Domini, & eſſet iuxta Altare,miſitque Salomon Banaiã filium Ioiadæ dicens; Vade interfice eum. Banaias ad Salomonis nutũ obediens. Venit ad tabernaculum Domini,& dixit ei. Hæc dicit Rex egredere. Reſpõdit Ioab,non egrediar, ſed hic moriar,indicans infelix Ioab, loci immunitate gaudere, ſed nihil ei proficiente,repetendo Salomon,* in-
terfice eum, Banaias Regis mã- 3.Reg.2.
datum adimpleuit.

Dubitatur modo,peccauitnè Salomon cum Ioab occiderit? Reſpondet Theodoretus qu.8- Theodor. q.8. in lib. Reg.
in lib.Reg. Minimè,quia in hoc decreto,patris teſtamẽtum exequitur. Vndè ſi in Altari occidi præcepit, nihil contra legem, immò legem obſeruare curauit,

quæ

quæ ſeditioſos, ac maleficos punire decreverat. Intuemini paulisper quãtum in Salomone adhuc puero, duodecim annorum Regis prudentia refulgebat, virtuſq; animi in reprehendendo, puniendo, caſtigando, modo pro largiendis gratijs ſedẽs in throno: *Pete mater mea, neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuã.* 3. Reg.
3. Reg. 2. 2. Modo in ſolio pro tribunali: *Hodie occidetur Adonias* 3. Reg. 2. Modo in throno pro ſtabilitate, & Regni firmitate. *Stabiliã thronum meum in ſempiternum* 2. Reg.
2. Reg. 7. 7. Modo in ſolio, vt Regiam Maieſtatem turbis pateſceret. *Rex Salomon ſedit ſuper ſolium Regni,*
3. Reg. 1. 3. Reg. 1. Modo in throno, vt vires iuſtitiæ prauis hominibus oſtenderet: *Amplificet Deus thronũ Salomonis ſuper thronum Dauid,* 3. Reg. 1. Modo in ſolio, vt omniũ inimicorum ſuorum nefas diſſiparet. *Rex ſedens in ſolio diſſipet omne malum intuitu ſuo,* Prouerb.
Prouer. 20 20. Modo in throno, vt veritatẽ defenderet pauperum. *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* Sapien-
Sapient. 6. tię 6. Modo in ſolio pietatis oleo populorum corda vnctitando. *Vnxerunt eum Domino in Principem, & ſedit Salomon ſuper ſolium*
1. Paralip. 29. *Domini in Regem.* 1. Paralyp. 29.

Dubitatur modo. An idem ſit Salomonis ſolium, ac thronus. Aliqui inſurgunt Doctores, & diuerſum eſſe dicunt, nàm ſoliũ videtur eſſe factum ad iudiciorũ vſum. Thronus ad Regiæ Maieſtatis ſplendorem. Solium videtur, faſtum, & immobile. Thronus eſt portatilis ex vno in aliũ locum. Solium, oſtendit tantùm ius dicentis. Thronus Regius, Regni ornamentum, & decor, &c. Abulenſis verò dicit idem ſignificari. Nàm Salomonem ſediſſe in ſolio Domini, ſiuè in eo throno, quod à Deo, Regibus datur, idem ſignificari.

Dixi, quod Salomoni prudẽtiæ expediebat pro ſua, & Regni pace aliqua documenta prębere, inter alia ſeditioſos, atque maleficos è ſuo Regno expellere, quemadmodum erant Adonias, & Ioab. Hoc exemplum. Cãtuarienſis Archiepiſcopus imitando, vt habetur in ſpeculo hiſtoriarum lib. 15. ita diſpoſuit. Speculum Hiſtoriarũ lib. 15.
Cum quodam tempore capti eſſent tres fabricatores falſæ monetæ, qui mox adiudicati ſunt tali crimine, & promulgati per Angliam, ſcilicet per manuum abſciſſionem; Quod dùm peruenit ad Archiepiſcopum Cantuarienſem. Dic autem Pentecoſtes celebraturus miſſam percuntatus, vtrum lex impleta eſſet? Reſponſum eſt ei, ob reuerentiam diei feſti dilatam eſſe pænam, vſque in craſtinum.

Reſpondit nequaquam, ego hodie ad Altare non aſcendam, donec ſuſtinuerint pęnam. Nàm negotium ad me reſpicit. Ipſi enim viri in poteſtate eius erãt. Hoc audiens populus admiratus eſt, & cœpit de Antiſtite murmu-

murare, quod erat nimis crudelis imperans punire eos in die Pentecoſtes ante Miſſæ celebrationem. Quibus punitis aſcendit ad Altare lęta facie dicens. Nũc confido, quod ſacrificium de manu mea accipiet omnipotens. In qua Miſſa, dùm diceret, Eccleſiam tuam pacificare, & cuſtodire, adiuuare, & regere digneris. Niuia columba cunctis videntibus ſuper eum deſcendit, & alis expanſis ſuper caput eius, ſic manſit in ſilentio, donec ſacrificium impleretur.

Hæc enim iuſtitia, quæ eſt punitiua malorum eſt ad conſeruationem Reipublicæ, ſicut mẽbrum putridum abſcinditur à corpore, vt totum corpus conſeruetur; & malè herbæ eradicantur, nè bonas ſupprimantur. Non enim eſt crudelitas punire reatum, ſed pietas, vt dicitur in decretali 23. q. 4. cap. iniuſtitia. Quia nullo modo debent Principes, Prælati, ac Rectores Communitatum crimina impunita dimittere; vt punitus emendetur, & alius eius exemplo cautus reddatur, vt patet loco citato c. *Si quis violentos, &c.* & in cap. *Principes ſæculi ibidem q.* 5. Non putas te amare filium, dùm ei nõ des diſciplinam. Nàm dicit Salomon Prouerb. c. 29. *Quia homines peſtilentes diſſipant Ciuitates, ideſt corrupti malitia alios inficiebat.* Et ſi Principes, & Rectores cõmunitatum tales fouent, eueniet eis, ſicut Ruſtico inuenienti Ser- Prouerb. c. 29.

pentem in via frigore conſtrictum, quem colligens, ad ignem in domum ſuam portauit, qui calefactus eum momordit, & interfecit. Quia dicitur prouerbialiter.

Hoſtem ſibi emit, qui furem de Cruce demit. Benè igitur dicit Propheta: *Beati, qui cuſtodiunt iuſtitiam, & faciunt iudicium omni tempore:* Et alibi idem Propheta *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit.* Sal. 105. Sal. 10.

Et Exodi 22. dicitur, *Maleficos, nè patiaris viuere*; ergò ſicut non eſt leue peccatum interficere innocentem, ſic eſt graue dimittere homines dignos morte ab his, qui habent poteſtatem, ſicut patet 3. Reg. 20. vbi dixit Propheta ad Achab Regẽ Iſrael. *Hæc dicit Dominus, quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* Sic faciunt moderni Iudices, qui capiunt pecuniam, & dimittunt maleficos viuere, erit anima illorum pro animabus eorum, & nõ habentes, occidunt: hæc ille. Exod. 22. 3. Reg. 20.

Vndè nota, quod propter partialitates, affectio mutatur, & ratio excęcatur. Mutari aliquis ſolet à recto, quadruplici affectione mentali, quæ ſunt; Amor, odium, ſpes, & timor. De his dicitur Danielis c. 7. *Quatuor venti pugnabant in mari magno.* Scilicet, iudicia mentis partialis. Difficilè quidem eſt, quod ille, qui habet iuſtitiam miniſtrare, aliqua iſtarum affectionem ad iniu- Danielis c. 7.

ſtitiam

non flecti. Nàm amor trahit ad ſuum compartialem, & amicum. Odium ad aduerſam partem. Amor amatum exaltat ſuper ſydera, & pro ſuo partiali quilibet ſupplex orat, culpam minuit, vel ipſam negat, pro miſericordia inſtat. Pars verò aduerſa, offenſa grauat, iuſtitiam poſtulat. Adeſt ſpes, partem fouens, & timor cõtrariam pauens. Iudicantis autẽ intellectus, his mẽtis turbinibus conquaſſatus, diſcernere verum neſcit, nec vult, nec poteſt; ſicq; iuſtificatur, innocẽs condemnatur. Vnus habetur pro ſpurio, alter pro legitimo; bonus dicitur malus, & malus bonus: Verum dicitur falſum, & falſum verum; & miſericordia pro iuſtitia, & iuſtitia pro miſericordia impijſſimè computatur: Vndè Iſidorus de ſummo bono, inquit: *Quatuor modis humanum iudicium peruertitur. Timore, dùm metu potentis alicuius, veritatem loqui pertimeſcimus. Cupiditate, dùm propter præmia cauſam alicuius corrumpimus. Odio, dùm contra quemlibet aduerſarium molimur. Amore, dùm amico, vel proximo ſubuenire nitimur.* Sequẽtique capitulo ſcriptum eſt: *Quicumque conſanguinitate, aut amicitia, vel hoſtili odio iudicium peruertit, iudicium Chriſti, iuſtitiam, & fructum illius in damnationis amaritudinem peruertit.*

Iſidorus de ſummo bono. Et in decr. 11. q. 3. ca. quatuor modis.

De his dicitur Amos 6. *Conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſynthium.* Vndè impoſſibile eſt homines in præſenti ſeculo nequam conuerſari, quin ſe offendant, vel extimant ſe offenſos, ſiuè ex ignorantia, ſiuè ex iuſtitia, ſiuè ex malitia, ſiuè ex fragilitate humana. Indè generantur odia, intumeſcunt corda, inualeſcunt inuidiæ, manifeſtantur offenſæ, pateſcunt inimicitiæ, & liuor mentis ſignis pranditur, & verbis. Vtraque pars ex altera inſidias ſuſpicatur. Interim per huiuſmodi iniuſtitias multiplicantur ſcelera, innocentes oppreſſi, vocem emittunt ad Deum vindictam clamantes, & dicentes. *Vſquequo Domine nõ vindicas ſanguinem noſtrũ de his, qui habitant in terra, ſcilicet partialibus,* Apocal. 6.

Amos 6.

Apocal. c. 6

Vndè D. Gregorius lib. 18. moralium, inquit, *Omnes huius Mundi Rectores in terrenis rebus fortes ſunt, in cæleſtibus debiles. Nã pro temporali gloria, vſque ad mortem deſudare appetunt, pro ſpe æterna, & perpetua vita, nec parum quidem in labore perſiſtunt; Pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerant, pro cæleſti mercede, vel tenuiſſimi verbi cõtumelias ferri recuſant. Terreno iudici toto etiam die aſſiſtere fortes ſunt, in oratione verò coram Domino in vnius horæ momento laſſantur. Sæpè nuditatem, deiectionẽ, famam, pro acquirendis diuitijs, atq; honoribus tolerant, & earum rerum ſpe ſe per abſtinentiam cruciant, ad quas adipiſcendas feſtinant, ſuperna autem acquirere minimè curant:* hęc ille.

D. Gregor. lib. 18. mor.

Percontatur, quare ſingulariter

ter dicitur, quod Spiritus ſanctus arguet Mundum de iuſtitia? Reſpondetur, quod ideò quia iuſtitia eſt vera porta per quam poſſumus intrare in Regnum Cælorum, ſecundum illud Pſalmi 117. *Hæc porta Domini iuſti intrabunt in eam*, & ideò ſi volumus ſaluari oportet nos iuſtos inueniri. Et quia iuſtitia eſt virtus vnicuique tribuens, quod ſuum eſt, ideò homo iudex procurare debet omnibus, quid eis ſecundum iuſtitiam licitum eſt. Sed heù rara virtus eſt ipſa iuſtitia apud eos, qui alijs ipſam debent exhibere. Vbi inuenitur Rector communitatis, qui paratus ſit cũ effectu pauperi iuſtitiam miniſtrare, quam iurauit, quin communiter ſecundum amorem, vel fauorem, donum, vel affectionẽ declinant à iuſtitia? ideò benè dicere poſſumus, ſi iuſtitia ſeruaretur, totus Mundus ſaluaretur, ſed quia maior fauor eſt ad vnã perſonam, quam ad aliam, viduę, pupilli, & orphani, & pauperes valdè raro poſſunt conſequi iuſtitiam: & aliquando cum iuſtiſſima eis ſubeſt cauſa, faciunt eos perdere tempus, labores, & pecunias, &c. O vtinam Superiores attenderent quantum peccatũ eſt pro vna hora pauperem, viduam, aut pupillam ante ianuam ſtare, qui fortè, ſi munus offerrent, ſtatim ſibi locus intrandi concederetur. Cogitent tales, quod tandem eis hoc eueniet, quod ſi mille annis ante fores

Pſal. 117.

Paradiſi cæleſtis pulſando ſtarent dicentes: *Domine Domine aperi nobis*, Matthæi 15. Cæli ianua eis non aperietur, ſed potiùs illi dicetur, memento, quod portas tuas, aut ianuas pauperi aperiri noluiſti, illi iuſtitiam faciendo, nunc in æternum pulſabitis, & clamabitis, & numquam intrabitis, *quia quod vni ex minimis meis non feciſti, mihi non feciſti.* Hæc autem iniuſtitia, heù in omni ſtatu inuenitur.

Matth. 15.

Cauſa verò quare in omni ſtatu iniuſtitia inuenitur eſt, valor nummi; Vbi nummus militat Hectorem militiæ ſuperat: vbi pugnant pecuniæ, virtus expugnatur Herculea. *Iudices ſunt canes muti, non valentes latrare, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimnm*, Iſai. c. 56. Nàm teſte experientia; Canis à latratu deſiſtit, ſi fur morſillum ſibi proiciat, ſic Iudex cupidus, à latratu iuſtitiæ deſiſtit, ſi ei ſubditus, morſillo auri, vel argenti, marſupium eius impleat. Vndè Petronius Poeta.

Iſaias c. 56.

Petronius Poeta.

Quid faciunt leges, vbi ſola pecunia regnat,
Aut paupertas vincere nulla poteſt.
Nàm nunc iudicium, nihil eſt niſi publica merces.

Sic in hiſtorijs legitur de quadam vidua, quæ conſuluit quendam ſapientem, qualiter in cauſa ſua poſſet triunfare contra ſuum aduerſarium. Cui ſapiens reſpondit tropicè, quod deberet li-

linire manus Iudicis, ſic inueniret Iudicem placabilem in cauſa, quæ reſponſionem ſapientis intellexit in ſenſu literali, & nõ tropicè, ſeù tranſumptiuè, accepit ollam cum ſagimine, & appropinquauit manu Iudicis, & cępit linire manus eius: Iudex verò ſtupefactus dixit ei, quid nunc prætendis mulier? reſpondit in ſua ſimplicitate, quod dictum fuerat ei, quod deberet linire ſibi manus, ſic inueniret gratioſum in ſua cauſa, qui reſpondit, quod eſſet ſagimen pecuniarum, quod Iudices flectit, atque potentes, de quibus Pro-

Pſal.28. pheta, inquit Pſal. 28. *Dextera eorum repleta eſt muneribus.*

D.Gregor. Et D. Gregorius loco ſupra citato ſubdit: *Qui rectè iudicat, & præmium remunerationis expectat, fraudem in Deo perpetrat, quia iuſtitiam, quam gratis impartiri debuit, acceptione pecuniæ vendidit, tales quippè ad veritatem non iuſtitiæ, ſed ad amorem præmij prouocant, quibus ſi ſpes nummi detrahitur, confeſtim à iuſtitiæ confeſſione recedunt, acceptio nummorum præuaricatio veritatis*

Iſaiæ c. 33. *eſt. Vndè pro iuſto dicitur: Qui ambulat in iuſtitijs, & loquitur veritatem, & excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitat:* hæc il-

D. Auguſt. le. Ideò dicit Auguſtinus ſuper Iſaiam: *Non licet iuſtum iudicium vendere Iudici, quamuis liceat Aduocato vendere iuſtum patrocinium, & Iuriſconſulto rectum conſilium.* Ratio eſt, quia Iudex æqualiter ſe debet habere ad ambas partes, non ſic Aduocatus, & Iuris conſultus.

Immò aduerte, vt patet de ſent. & re iudiciali c. vlt. quod Iudex ſine iuſtitia tenet locum Diaboli, ſicut Iudex bonus tenet locum Dei. Ideò dicitur 2. Paralyp. c. 19. *Conſtituit Ioſaphath Rex Iudæ, Iudices terræ præcipiens eis, videte quid faciatis, non enim hominis exercetur iudiciũ, ſed Domini, quodcumque iudicaueritis, in uos redundabit:* hęc ille. Et Diuus Ambroſius D.Ambr.

in cap. iudicet 3. q. 7. inquit: *Bonus Iudex nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed iuxta leges, & iura pronunciat, ſed nunc non iudicant ſecundum leges, & iura, ſed ſecũdum potentiam, & remunerationem.*

Vndè docet D. Thomas 2.2 D. Thomas 2.2.q.10.a.6.

q. 10. ar. 6. *Quod grauius peccat, qui contradicit fidei, quam ſemel ſuſcepit; quam qui repugnat fidei, quam non ſuſcepit; ſicut grauius peccat, qui non implet, quod promiſit, ideſt melius eſt non vouere, ſiue promittere, quam votum promiſſum, non perficere. Ita ſimiliter melius non eſſe iudicem, quam talem eſſe, & iniuſtitias facere,* vt dicitur, 1. Petri. 2. 1.Petri.2.

Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt cognitionem, retrorſum conuerti. Sed ſi iuſtitiam faciet quantumuis peccator ſit, ſaluabit animam ſuam. Narrat Petrus de Palude in 4. Petrus de Palude in 4.ſent.

ſententiarum de quodam Iudice Pagano, qui fuerat iuſtiſſimus in iudicando, cauens ſibi ab omni iniuſtitia, qui quamuis mortuus fuerat in infidelitate, tamen prę-

ſeruatus fuit per longiſſima tempora à condemnatore infernali: demum quodam fodiẽti in agro ſuo ad puteum, vel aliud faciendum, audita eſt vox, leuiter percute, nè me lædas, quò interrogato quis eſſet, reſpondit ſe fuiſſe Gentilem, & Iudicem, & propter iuſtitiam ſuam à Deo præſeruatũ, quouſque baptiſmũ reciperet, rogans eum, vt pro Epiſcopo mitteret, vel iret, vt baptiſmum ei conferret, quo facto ſtatim in cinerem diſſolueretur. Caluaria eius integra erat, & lingua in ea viuens, recens, & loquẽs; Quibus omnibus peractis, & coram Epiſcopo, Clero, & omni populo per ipſum declaratis, baptiſmo recepto in cinerem reſolutus eſt, ad beatitudinẽ anima eius nulli dubium tendẽte. Ecce quantum Deo placet iuſtitia, ſi taliter Deus remunerat infideles. Quis dubitare poteſt, quin Deus omnem Iudicem fidelem finaliter remunerare velit, vt ſperandum eſt in extremis, nè damnentur. Ideò propter iuſtitiam Deus dat pacem, ſecũdum illud Pſalmi 84. *Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* E conuerſo propter iniuſtitiam Deus tribuit aduerſa, in Pſalmo 106. *Propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt*; ſcilicet propter aduerſitates. Pſal. 84. Pſal. 106.

Demùm dico, quod ſi Salomon aliquando, Dei mandata per carnis ſpurcitias præuaricatus eſt, ſedens verò in throno, ſeu in ſolio iuſtitiæ, vt executor rectè iuſtitiæ, numquam legitur per dona fedare iuſtitiam. Nàm Regina Saba non pro obtinenda iuſtitia, ſed amoris, & liberalitatis cauſa, pretioſa munera ei donauit.

CAPITVLVM TERTIVM

An Pontifex in Sede Salomonis, nempè in Cathedra Petri Chriſti Vicarij ſedens, ſit ſupremus totius Eccleſiæ, ac Orbis Iudex.

Pſal. 5. *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.*

D.Thomas in opuſcu. 19.c.4. ANgelicus Doctor D. Thomas Aquinas in opuſculo 19. contra impugnãtes Dei cultũ, & Religionem c. 4. inquit: *Licet Chriſtus Dominus ſit ſponſus Eccleſiæ*, de quo dicit Ioãnes 3. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: ipſe enim de Eccleſia, nomini ſuo filios generat; alij autem dicuntur ſpõſi, ſicut miniſtri ſponſi, exterius cooperantes ad generationem ſpiritualium filiorum, quos quidem non ſibi, ſed Chriſto generant; quiquidem miniſtri in tantum ſponſi dicuntur, in quantũ vicem veri ſponſi obtinent; ideò Papa, qui obtinet vicem veri ſponſi, in tota Eccleſia, vniuerſalis Eccleſiæ ſponſus dicitur.* Et quemadmodum Chriſtus eſt nimis zelotes honoris ſuæ ſponſæ nempè Eccleſiæ, vt dicitur Apocal. 21. *Sicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Non minùs Summus Pontifex eius Vicarius de honore eiuſdem ſponſæ eſt maximoperè zelotes, pro cuius defenſione in Sede Salomonis, nempè in Cathedra Petri ſedens confirmat concilia, publicat decreta, iudicialia iura manifeſtat. Apoc. 21.

Vndè Eminentiſſimus Caietanus 2.2.q.1.ar.10. quod Papa determinante iudicialiter ex Cathedra, & diffinitiuè aliquid, de Caie 2.2.q. 1.ar.10.

 fide

fide tenemur omnes acceptare, ideſt tota,& vniuerſalis Eccleſia tenetur acceptare, nàm omnes fateri tenemur promiſſionem Eccleſiæ factam à Chriſto de Spiritus ſancti aſſiſtentia,eſſe de
Ioan.14. fide,Ioann.14.*Spiritus ſanctus docebit vos omnem veritatem*; ergo Papa in iudicando, & diffiniendo, quid tenendum ab Eccleſia ſit,de fide errare non poteſt.Vndè quicunque de cætero oppoſitum pertinaciter teneret hæreticus cenſeretur, dicendo ipſe-
Matth. vlt. met Chriſtus, Matthæi vlt. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſumationem ſæculi.* Vide Sotum in 4.diſt.22.q.2.art.2. ff.Dubium autem hoc eſt graue, verſ.quamuis enim fol.186.col. 2.Bagnes 2.2. q.1.ar.10. dub.2. ff. quæſtio ergò præſens, verſic. reſpondetur ergo ad quæſtionẽ.

Itaque quando Sũmus Pontifex ex diuina aſſiſtentia, & ex peculiari diuino priuilegio ſibi aſſiſtente,aliquid docet,vniuerſalẽ Eccleſiã obligando,vt illud recipiat, de Cathedra loquitur, nempè,vt Summus Pontifex, & vt potiſſimum membrum, & caput vniuerſalis Eccleſiæ. Nàm
Luc. 22. verba Chriſti Lucæ 22. *Ego rogaui Patrem pro te Petre,vt non deficiat fides tua.* Priuilegium hoc ſolummodo ſoli Petro, & eius ſucceſſoribus conceſſum fuit ad confirmandos fratres, atque ad iudicandum,diffiniendum cum Spiritus ſancti aſſiſtentia, eaque ad fidem ſpectant. Igitur Summus Pontifex docens,& aſſerens certa fide hoc, vel illud eſſe credendum, de Cathedra loquitur, & vt Summus Pontifex,& totius Eccleſiæ caput, & vt Chriſti Vicarius, quare quiſquam caueat ſibi perſuadere contrarium,dùm Chriſti Domini ſententia eſt,toti Eccleſiæ dicentis,Ioannis 14. Ioan.14.
Spiritus ſanctus docebit vos omnem veritatem.

Verùm in Petro Apoſtolo, duo conſideranda ſunt, vnum quod ſpectat ad priuatam hominis excellẽtiam;aliud quod ſpectat ad communem Eccleſię vtilitatem. Quod Petrus ſe eſſe Chriſti diſcipulum negauerit, hominis erat, quod confirmaret fratres ſuos in fide. *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, Lucæ 22.Ipſius erat,tanquam in Lucæ 22.
Eccleſia capitis. Quod ergo Sũmus Pontifex poſſit in aliquo deficere,priuati hominis eſt, nõ capitis Eccleſiæ; Nàm priuilegium eſt,quod datum Petro,tanquàm capiti Eccleſiæ,eiuſque ſucceſſoribus,quod Pontifex, vt eſt Eccleſiæ caput errare non poſſit in fide. Vide Caiet. 2.2. q. Caietanus.
39.ar.1.in comment.ff.in oppoſitum autem eſt.Bagnes 2.2.qu. Bagnes.
1.ar.10.dub.2.ff.quæſtio præſẽs verſic. reſpondetur. Sotus in 4. diſt.22.q.2.ar.2.ff. dubium autẽ eſt. Azorius 1.2. inſtitut. moral. lib.5.c.5. q.2. Suarez de fide diſput.10.num.11.vbi ait:*Sibi magis pium, & probabilius videre,poſſe quidem Papam, vt priuatam perſo-*

nam

nam errare ex ignorantia, taliter, quod quando Pontifex ſibi aliquid perſuadet aſſerit, aut docet nolens Eccleſiam ad illud recipiendum obligare loquitur non in Cathedra, vt Summus Pontifex, totius Eccleſiæ caput, & vt Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor, ſed extra Cathedram, vt perſona priuata, & ſingularis Doctor.

Caietanus. Quare Caietanus loco citato in fine comenti docet; *quod Papa dupliciter iudicat, & diffinit, vel ex ſola authoritate Papatus, & de his procedit aduerſariorum argumentũ, quod par imparem non habet imperium: vel ex authoritate Papatus, vt ſubſtat diuinæ aſſiſtentiæ dirigẽti in hoc certè, & indubiè; & in his Papa ligat ſe ipſum, & ſucceſſores, & iudicat, & diffinit irreuocabiliter, eo quod ſine pœnitentia ſunt dona Dei:* vt dicitur ad Romanos c. 11.

Ad Rom. c.11. *Et ratio eſt, quia in his Papa excedit ſeipſum, ſicut Dauid in excedendo ſe ipſum ſe, & omnes verè iudicauit. Talia autem ſunt ea, quæ ſunt fidei, quod ſcilicet Papa non ex ſola Papatus authoritate, ſed ex Papatu, vt ſubſtat Diuinæ aſſiſtentiæ ad Eccleſiæ fidem veram docendam diffinit iudicialiter:* hæc ille.

Eminentiſ. Caietan. Et idem Caietanus loco citato, ff. ad horum breuem intelligentiam, differentiam ponit inter humanum Principem, & Sũmum Pontificem; *quod humanus Princeps à multitudine originem, & poteſtatem habet. Papa autem non eſt ab Eccleſia, ſed à Deo immediatè: ita quod nec ab Eccleſia ortum habet, nec poteſtatem, tam principaliter, quã miniſterialiter. Ieſus Chriſtus namque verus Deus non per Eccleſiam, aut Apoſtolorum miniſteriũ medium, ſed per ſeipſum immediatè Papatum creauit, & Papam, cum dixit Petro. Paſce oues meas,* Ioann. vlt. Ioan.vlt. *Et ex hoc ſequitur, quod Papa Eccleſiæ præſidet ſic, vt non ſolùm ſingula membra, ſed ipſa communitas Eccleſiæ ſubſint Papæ.*

Quapropter dixi, quod Papa in Sede, ſeù in Cathedra Petri ſedens Sacra Concilia confirmat, vt patet in Lateranenſi Cõcilio inter cuius decreta ſub Leone Decimo, habentur hæc verba: *Cum etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem tamquam authoritatem ſupra omnia concilia habentem conciliorum inducendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius, & poteſtatem habere, nè dum ex Sacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorũ Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, Sacrorumque Canonum decretis: ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtet:* hæc ibi. Et quibus habes, inquit Caietanus: Concilium ipſum fateri Papam ſuper omnia concilia habere authoritatem, & ideò poſſe indicere, transferre, iudicare, decretare, diffinire, &c.

Quare Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Concil. c. 52. Graui. 4. p. 2. diſput. 5. art. vlt. diſtin. 2. aſſerunt, quod Concilium Calcedonenſe, tanquam hæreticas Card.Bela.

dam-

damnauit determinationes Cõcilij ſecundi Epheſini, quamuis fuerit legitima authoritate congregatum, vt inquit Fagnanus num.30.ex Cardinali Turrecremata in ſumma par. 2. cap. 100. quod ad Papam ſpectat confirmare, & non confirmare Conciliorum generalium decreta, immò facultatem habet contrarium ſtatuere illius,quod Cõcilium iudicauit, vt tradũt Azor. par.2. lib.5.c.14.q.2. Turrecremata lib.3.c.64.Grau.loco citato docentes, ſtandum eſſe iudicio, & determinationi Papæ ſedenti in Petri Cathedra iudicãtis,& determinantis, quid ſit definiendum, & decretandum. Et Rota deciſ.123.num.3.gl.1. ſequens Turrecrem.aſſerunt: *Concilium non habere poteſtatem,& facultatem condendi leges, totam obligantes Eccleſiã, niſi eam, quam ſibi Papa conceſſit,ſine qua nullam vim legum habent.Nec aliquid, inconſulto Papa,conciliũ ordinare poſſit in ordine ad regimen Eccleſiæ.* Et tantò ampliùs, quia vt probat Rota deciſ.361.num.12.p.10. recenſio.& deciſ.48. num.10. p.1. diuerſorum.*Quod in Papa non poteſt præſumi ignorantia; Immò Papa præſumitur ſcire omnia decreta Cõcilij Tridentini.Ratio eſt,quia Princeps ex officio tenetur leges ſcire,dùm Princeps,eſt legum conditor; & defenſor, qui ſecundum illas, ſubditos tenetur dirigere,& illarum contemptores punire, tanquam omnium ordinarius Iudex in Cathedra Petri ſedens.*

Quod verò nullum diſcrimen reperiatur inter Concilium Tridentinum,& alia generalia conſilia,vt notat Gloſa verſ.excipiatur, eorum decreta inſpice, in quibus inuenies, *Salua ſemper Supremi Pontificis authoritas.* En verba Concilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 21. de reformatione decernentis. *Poſtremò ſancta Synodus omnia, & ſingula ſub quibuſcumque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina, &c. In hoc Sacro Concilio ſtatuta ſunt,declarat ita decreta fuiſſe, vt in his ſalua ſemper authoritas Sedis Apoſtolicæ,& ſit,& eſſe intelligatur.* Et cap.verò ſignificaſti 4.de electione, habes verba Papę Paſchalis dicentis. *Aiunt in Concilijs ſtatutum non inueniri. Quod Romanæ Eccleſiæ legem concilia vlla præſcripſerint.Cum omnia concilia per Romani Pontificis authoritatem,& facta ſint, & robur acceperint,& in eorum ſtatutis Romani Pontificis,patenter excipiatur authoritas.* En quomodo conueniũt concilia omnia generalia, cum Tridentino Concilio in ſaluanda ſemper Summi Pontificis authoritate.

Quæ quidem authoritas in Sede Petri reſplendens, non indiget ad iudicandum, diffiniendum,decretandum Cardinalium votis. Nàm vt docent Petrus Rauenna de conſuetudine, ſect. 1. num.33. Fagnanus in cap. ex parte num. 20. de feudis, Rocchus in ſim.tractu 114.& alij:*Tota*

ta

ta authoritas,iuriſdictio, & poteſtas Cardinalium à Summo Pontifice dependet,& emanat. Et Barboſa lib.1.de iure Eccleſiaſt. c.2. nu. 181. Maluatius de canonizatio. Sanctorum in 2.dub. nu.35. Fagnanus c. ex parte num.18. Hugo diſtin.4.ff. leges quem refert, & alij inquiunt: *Papam quodcumque negotium,ſiue ſpirituale, ſiue tẽporale, quantumuis arduum, ſiue ſit canonizatio Sanctorum, ſiue Cardinalium depoſitio,ſiue quodcumque aliud ſimile,poſſe ſine conſenſu, & conſilio Cardinalium probe expedire. Ratio eſt, quia valor Summi Pontificis non pendet à conſenſu, vel conſilio Cardinalium. Verum vrbanitas, & prudentiæ virtus requirit, quod Pontifex dùm ſedet in ſede,ſeù Cathedra Petri,ad hoc, vt poſſit iuſtè iudicare, non eſt contra ius naturale,& diuinum,conſilium accipere, quamuis hoc eſſe ei arbitrarium,dùm à Cardinalium, vel alicuius determinatione voluntas eius non dependet.Quia authoritas,quam Papa habet à Chriſto,eſt illimitata, & vniuerſaliſſima,non pendens ab alterius conſenſu, neque à priuata Pontificis volutate;* Quia vt dixi,vt priuati hominis non iudicat in Cathedra Petri ſedens,in qua ſedente poteſt leges nouas condere, & nouas diſpoſitiones edere, antiquas abrogando,præcipuè,quãdo aliquæ leges tendunt in damnum Reipublicę, quas leges mutare poteſt. Et vt habetur cap.cum olim, ff.nos igitur de re iudici. cap.cum ceſſante de appellat.& cap.qualiter, & quãdo de accuſat.cap.ſentent.35.q. 9. *Abrogare etiam poteſt priuilegia, conceſſiones, & indulgentias reuocare, quæ ſunt quædam priuatæ leges contra ius commune aliquid indulgentes,&c. Qua facultate, & poteſtate Papa etiam ſi vellet non poteſt ſe priuare, quia huiuſmodi Authoritatis, & poteſtatis Pontifex non eſt Dominus, dùm Chriſtus talem poteſtatem dignitati Papali conceſſit,poteſt tamen Papa ſe tali poteſtate priuare renunciando Papatum.*

Ideò Chriſtus dixit Petro, Matthæi 16. *Et tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram,erit ſolutum,& in Cælis.* Quem locum explicans Rabanus in catena aurea c.16.Matthæi inquit. *Claues autem Regni Cælorum,ipſam diſcretionem, & potentiam nominat. Potentiam qua liget, & ſoluat, diſcretionem, qua dignos,vel indignos diſcernat;* Et vult dicere,& ſignificare,nempè;Per claues dãdas Petro, intelligi poteſtatem,& iuriſdictionem illius. Et Angelicus Doct. ſuper Matthæum loco citato ſubiungit. *Vndè Chriſtus Vicarium ſuum Petrum conſtituit,vt introduceret in Cælum, vndè illud miniſterium dedit,vndè claues dedit.Claues enim introducũt, vndè Petrus habet miniſterium introducendi.* Sed hoc manifeſtius, & clarius probatur conſtituendo Petrum ſuum Vicarium per illa verba, *Paſce agnos meos, paſce oues*

Matth. 16.

Raban. in cat.aur.

Angel.Do. ſuper Mat. loc.cit.

D.Tho. in cat.aur. *oues meas*, Ioan. 21. Vbi D.Thomas in Catena aurea Ioan. 21. ſubdit: *Sit amoris officium paſcere Diuinum gregem, ſicut fuit timoris indicium negare paſtorem*. Sed magis ad noſtrum propoſitum, inquit Alcuinus: Alcuinus. *Paſcere autem oues eſt credentes in Chriſto, nè à fide deficiant, confortare, terrena ſubſidia ſi neceſſè eſt ſubditis prouidere: & exēpla virtutum cum verbo prædicationis impendere, aduerſarijs obſiſtere, errantes ſubditos corrigere*. Ex his infertur Summos Pontifices Petri ſucceſſores, inter alias iuriſdictiones, hanc pręcisè habere poteſtatem paſcendi Chriſti oues, & ad gaudia Diuinæ beatitudinis perducere.

D.Thomas l.1.de regi. Princ.c.14. Confirmat hoc idem D.Tho. lib.1.de regim.Princ.c.14. dicēs, *Quia finem fruitionis diuinæ non cōſequitur homo per virtutem humanam, ſed virtute diuina*, iuxta illud Ad Roma. 6. Roman.6. *Gratia Dei vita æterna, perducere ad illum finem, non humani erit, ſed diuini regiminis*. Atqui hoc diuinum regimen ad Summum Pontificem ſpectat, ideò Chriſtus ei dixit, *Paſce agnos meos, paſce oues meas*. Et pergit D.Thomas c.15. vbi addit, D.Thomas c.15. *Ad Principis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, ſecūdum quod congruit ad cæleſtem beatitudinem conſequendam, vt ſcilicet ea præcipiat, quæ ad cæleſtem beatitudinem ducunt, & eorum contraria ſecundum quod fuerit poſſibile intercidat*. Quiſnam eſt iſte Princeps, qui ſubditorum bonam vitam procurat? Si loquàmur de Principe ſeculari, aut nemo, aut pauciſſimi inueniuntur. Concludere igitur oportet, Principem iſtum, Summum Pontificem eſſe, cui Chriſtus Dominus dicit: *Paſce agnos meos, paſce oues meas, &c.*

Qui Summus Pontifex Regibus, & Principibus, nobilibus, & generoſis ad quorum exemplū vaſſalli mouentur, Aquilæ proprietates eis proponit. Nam ſicut Aquila præcellit alias aues in nobilitate, quia eſt Rex auium, ſic illi præcellere debent in virtutibus cæteris hominibus, quæ eſt vera nobilitas. Secundo habet etiam proprietatem, quod altius volat, tantò magis reſpicit terram; ſic quantò maiores ſunt in dignitate, & nobilitate, tanto magis debent humiliare, & recognoſcere ſe eſſe mortales, & terrenos.

Sic fecit Rex, & Princeps Salomon Sapientiæ 7. in ſua Regia Sede ſedens. Sapient. 7. *Sum quidem*, inquit, *& ego homo mortalis ſimilis hominibus ex genere terreno illiùs, qui prior factus eſt, ſcilicet Adam*. Sic narrat Macrobius lib.4. Epigrammatum de quodam Rege Siciliæ, qui numquam comedebat, niſi in vaſis fictilibus: Macrobi. lib.4. Epig. Cum autem à quodam familiariter interrogaretur, cur illud faceret? Reſpondit, quod quamuis eſſet Rex Siciliæ, tamen fuit filius cuiuſdam figuli, vt ibi ſemper haberet memoriam ſuæ originis, & nè propter faſtum ſuperbiret ordina-

dinauit, quod ſibi in vaſis fictilibus,ſiue luteis ſeruiretur; ideò dicitur Eccleſiaſt.7.*Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*Nè illis dicatur illud Eccleſiaſtici 3. *Quid ſuperbis terra, & cinis.*

Eccl. 7.

Eccl. 3.

Hoc etiam benè recognouit Alexander Magnus,qui cum veniſſet ad Bragmandos,& vidiſſet eos nudos,& miſeros,dixit illis, quod deberent ab eo petere, & quidquid vellent, vellet eis dare. Qui dixerunt dà nobis immortalitatem;notate verba,quãtum in odio ab omnibus habeatur mors,erant nudi,& miſeri,& immortalitatem quęrebãt, è cõtra boni Chriſtiani,& Dei ſerui, quotidiè clamant,& dicunt,cum Apoſtolo: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Quid eis reſpondit, Magnus Alexander? quod petitis,dare non poſſum, quia ipſemet mortalis ſum.Mortales omnes ſumus, ſed ò quam longè à nobis eſt huiuſmodi memoria. *Timete,& cauete*,inquit D. Vincentius Ferrerius, *nàm inopinatè, & tanquam fur veniet in nocte*. Poëta.

D.Vincentius Ferre.

Poeta.

Felix quem faciunt, aliena pericula cautum.

Cautus fuit Papa Baſilius,Imperatori Anaſtaſio ſcribens, vt patet de maior.obed. c.ſolitæ,& in decret.diſt.96.inquiens: *Propterea Imperator,noſſe debueras,quod Deus fecit duo luminaria magna in firmamento; luminare maius, vt præeſſet diei, luminare minus, vt præeſſet nocti, vtrumque magnum, ſed alterum maius. Ad firmamentũ ergò Cæli, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ,fecit duo luminaria magna,ideſt duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis authoritas,& Regalis poteſtas,ſed illa quæ præeſt diebus,ideſt ſpiritualibus, maior; Quæ verò carnalibus,minor, vt quanta eſt diſtantia inter Solem,& Lunam,tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcetur.*

Vndè legitur de Alexandro Magno, qui cum veniret in Iudæam, cum propoſito deſtruendi ipſam,inuiſione habuit, quod Ioiadæ Summo Sacerdoti ſibi obuiam venienti, honorem deberet impendere, tamquam Superiori,qui ſic fecit,quia ſtatim, vt eum vidit Pontificalibus veſtimentis ornatum,& lamniam, in qua erat nomen Domini ſcriptum,ſecundum legem antiquam in fronte Pontificis,de æquo deſcendit, digniſſimè eum veneratus eſt. De quo cum admirarentur Principes eius. Reſpondit; *quod non ipſum adoraſſet,ſed Deum, cuius vicem gerebat in terris*; & veniens cum eo in Ieruſalem, templum Domini cum maximis donis honorauit,& ferocitatem depoſuit,ipſoſque ab omni tributo exemit

Non poſſumus non acclamare,& prædicare huiuſmodi Principes, ita proni erga Eccleſiæ, eiuſque Capitis honorem,& extimationem; Et qui in ſtatera veræ iuſtitiæ non declinant, ne-

E que

que à dextris, neque à ſiniſtris, vnicuique tribuentes, quod ſuũ
Ad Rom. c. 13. eſt; iuxtà illud Romanorũ c. 13. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorẽ honorem.* Quemadmodum Sol nũquã egreditur de linea eclyptica, quia non declinat ad dexterã, vel ad ſiniſtram partem Zodiaci; ſicut cęteræ Stelle erratice. Sic ſtatus cuiuſcumq; Principis non debet declinare ad ſiniſtram iniuſtitiæ; nec ad dexteram crudelitatis, & ſeuitiæ: Sed Regia via incedere per iuſtitiæ ęquitatem.
Sap. 1. Vndè Sapientiæ 1. *Diligite iuſtitiã, qui iudicatis terram.* Ideò dicit Au-
D. Aug. lib. 4. de Ciuit. Dei c. 4. guſtinus lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 4. *Remota iuſtitia, quid ſunt regna niſi magna latrocinia?*
D. Greg. in paſtorali. Vndè Gregorius in Paſtorali: *Cum paſtor per abrupta graditur neceſſè eſt, vt grex in præcipitium labatur.* Et D. Ber-
D. Bernard. lib. de conſid. ad Eug. nardus in lib. de conſideràtione ad Eugenium: *Conſidero gradum, ſed vereor caſum. Conſidero faſtigiũ dignitatis, & vereor abyſſum deorſum cadentis. Accedo celſitudinem honoris, & è vicino reformido periculum, quia iudicium duriſſimum fiet*
Sap c. 6. *his, qui præſunt.* Sapientiæ c. 6. *Iudicium durum, quia malè intrauerunt, durius quia malè vixerunt; Iudicium durum, quia pauperes ſpoliauerunt: durius, quia bona eorum conſumpſerunt. Duriſſimum, quia Chriſto, & Eccleſia non ſeruierunt de bonis illis.*

Et D. Pater Auguſtinus locò
D. Aug. ſupra citato, inquit, *Chriſtianus à Chriſto dictus eſt, ideò quantò magis homo Chriſtum ſequitur in iuſtitia, & bonitate, tanto verius, & tantò dignius Chriſtianus dicitur:* hæc ille. Ergo iniuſtitia debet homo ſecundum Diuum Auguſtinum, ſuum conſcientiæ pedem firmiter firmare, vt de eo illa in Dominicali oratione petitio verificetur, nempè adueniat Regnũ tuum. Dico, de quo Regno eſt inquiſitio? Reſpondetur, illius autem Regni inquiſitio eſt, cuius nihil aliud eſt, niſi iuſtitiæ operatio, dicente pſalmiſta: *Domine* Pſal. 14.
quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte Sancto tuo? & accepit à Domino diuinum reſponſum: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam;* Hæc autem iuſtitia naturaliter eſt hominibus inſita, continet hæc duo præcepta naturæ, quod tibi non vis alteri, nè feceris. Et Matthæi Matth. 7.
c. 7. *Omnia quacumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* De hac iuſtitia dicit Auguſtinus: *Iuſtitia eſt in corde hominis naturaliter, ipſa enim iuſtitia omnes virtutes, quæ hominem ad Deum ordinant plenè in ſe continet, & perfectè.*

Et ſi quis à curioſitate coactus interroget. Quod eſt pręmium iuſtitiæ, quod datur faciẽtibus iuſtitiam. Reſpondetur, quod facientibus, & operantibus iuſtitiam, tria optima dona dantur, quibus maiora non habet Deus, ſcilicet præſentis vitæ sãctificatio: Inferni euaſio; & cę-

le-

Digitized by Google

leſtis Regni poſſeſſio. De primo dicitur Matthæi cap. 5. *Beati, qui exuriunt,& ſitiunt iuſtitiam*, ſi autem Beati, ergo & ſanctificati. Item in pſalmo 88. *Iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis eius*. Cum autem Deus inſidet animæ per ſui præſentiam, tunc eam ſanctificat. De ſecundò, ſcilicet, inferni euaſione dicitur, Prouerb. 10. *Iuſtitia liberat à morte*; quod de morte æterna oportet intelligi, eo quod nulla iuſtitia liberat à morte naturali. De tertiò, ſcilicet, de poſſeſſione Regni cæleſtis dicitur Prouerbiorum c. 14. *Iuſtitia eleuat gentem in Regna*, nêpè ad Regna cæleſtia. Per hos igitur tres maximos fructus hortatur crebrius in ſacra Scriptura, vt iuſtitiam operemur, quia per eam ſolam meremur Regnum Cælorum.

Math. 5. — Pſal. 88. — Prouer. 10. — Prou. c. 14.

E contra, qui ſe ab illa elongantur, peribunt, iuxtà illud: *Qui elongant ſe à me peribunt*. Et Iſaias cap. 8. *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitia iuſti auffertur ab eo*. Contra quos Deuteronomij cap. 16. *Non accipias munera, quæ excecant oculos iudicum*. De illis dicit etiam Diuus Gregorius lib. 9. moralium cap. 13. Quibus, inquit, *Si ſpes munerũ ſubtrahitur, a defenſione iuſti protinus ceſſatur*. Vndè Alanus lib. de plãctu naturæ ait: *Langueſcit ciuilitas, ubi munerum patet pluralitas. Si in aure Iudicis ſuſurrat pecunia, Orpheij lyra ſuffocatur; vbi nummus loquitur, Tulliani eloquij tuba muteſcit*: hæc ille.

Iſai. 8. — Deut. c. 16. — D. Gregor. lib. 9. mor. c. 13. — Alanus lib. de plan. naturæ.

Dixi, vt habetur Deuteron. 16. *quod munera excecant oculos Iudicum*. Ita legitur de quodam Iudice, qui debebat iudicare inter pauperem, & diuitem. Pauper, qui erat carpentarius dedit Iudici carrucam vnam. Diues verò hoc percipiens, dedit ei æquum, qui ambo venerunt ad iudicium, timens pauper, quod deberet ſuccumbi, dixit ad Iudicem, porta fortiter carrucam. Diues verò hoc audiens ait, trahe fortiter æquum meum, tamen Diues præualuit, pauper acceſſit ad Iudicem dicens, nonnè ego dedi vobis vnam bonam carrucam, vt in iuſtitia præualerẽ. Reſpondit Iudex, ſi tu dediſti mihi carrucam, ille dedit mihi æquũ, qui traxit carrucam de loco, ergo, qui plus dant præcedunt: hęc ille; ergò munera excecant oculos Iudicum, vt Spiritus ſanctus dicit Deuteronomij 16.

Deuter. c. 16.

Dixit Chriſtus Matth. c. 5. *Nec iota vnũ, nec vnus apex præteribit à lege*. Quæritur, cur Chriſtus dixit iota, ꝙ eſt decima litera Gręcorũ & nõ ioth, quę eſt litera hebræorum, cum tamen Chriſtus fuit hebræus, & non Græcus. Reſpõdetur, quod iota eſt decima litera in Alphabeto Græcorum, & ſignificat decalogum, quod non præteribit, nec ceſſabit per Chriſtum, qui dicitur Deus Eloim, ideſt Deus Iudex, per quem Iudicem ad illa obligamur ſub pęna damnationis ęternæ, quæ tamen pęna nunc minimè curatur,

Matth. c. 5.

ſed ſi Deus appoſuiſſet ibi pęnā pecuniariam, melius fuiſſet obſeruata, quia homines nunc magis timent pęnam pecuniariam, quam æternam; & præcipuè è contra auari Iudices, magis pecuniam amant, quam pęnam ęternam timent. Vndè Diuus Bernardus inquit: *Veniet dies, in qua plus valebunt pura corda iudiciorum, quàm aſtuta eorum verba; plus valebit conſcientia bona, quàm marſupia plena eorum*; hæc ille.

D. Berna. de conſid. ad Eugen.

Sed non defuerūt antiquitus, ad aliorum exemplum, iuſtitiæ amatores, qui abſq; muneribus, ipſam apprimè amplexerunt, quemadmodum modo, vt plurimum, experitur oppoſitum. Iuſtitię dixi amatores, immò rigoroſę iuſtitiæ, quamuis iuſtæ, quæ nec ſanguini, nec humano reſpectui, honorique proprio nuſquam reſpexit. Quapropter in vita Octonis tertij Imperatoris Catholici, inquit Valerius Maximus: *A Gregorio quinto Summo Pontifice, ſimul cum vxore coronati, mirus legitur caſus, de ſua nempè vxore, Maria nomine, quæ poſtquam Principem Mutinenſem ad ſuum impudicum allicuit amorem, quamuis fruſtra, amor ipſe in odium verſus eſt. Vndè illius delicti, quo ipſa illaqueata erat, Principem innocentem, tali, apud virum ſuum fœditate accuſauit, qui nimis credulus, capitali ſententia, miſerum Principem punire iuſſit. Verum Principis vxor, cui ipſe ſuam propalauit innocentiam, ad Imperatorem adijt, ante ipſum comparuit, quando tunc viduis audientiam præſtabat, & accipiens in manibus abſque vlla ſui læſione laminam ignitam, ſui viri innocentiæ præclarum reddit teſtimonium. Imperatrici accuſationem retorquendo, quod videns, quod audiens, ſtupeſcens Imperator, illicò decreuit, Imperatricem in igne comburi, per quem libidinis ſolueret, ſimulque calumniæ pœnam.* Igitur plaudite ò populi, iubilate ò Principes Reges, & Imperatores: & vos præcipuè Iudices, qui hoc magnum in veſtris cordibus exculpire debetis exēplum, de tàm inſigni, & iuſto Imperatore, qui propriæ vxori, nēpè Imperatrici, minimè pepercit. Qui habet aures audiendi, audiat.

CAPITVLVM QVARTVM

An Principi Salomonis inſtar magis competat recti, ac veri Iudicis nomen, quam Armorum, victoriarumq; Gloria.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

Prouerb. c. 22.

SPiritus ſãctus Prouerbiorum c. 22. ſuũ proponit problematum. An melius ſit nomen bonum, quam diuitię multæ. Reſpondit, *melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multa*. Septuaginta vertunt interpraetes: *Melius eſt nomen bonum, quam gloria multa*. Gregorius Magnus lib. 7. epiſt. 12. *Summum in Principibus bonum eſt iuſtitiam colere, & ſua cuique iura ſeruare*. Immò Tullius lib. 3. de officijs: *Omnis in Principibus laus a iuſtitia nomen accepit: iuſtitia eſt ſine qua in Principibus, nihil poteſt eſſe laudabile*. Et iuxtà Valentiani Imperatoris ſententiam, quæ ſępius de ore ſuo promebat: *A Principe nihil magis, quam iuſtitiam exigit populus*. Et quia Iudex à iuſtitia dicitur; quæ maior gloria, quæ maior victoria in Principe, quam veri, ac recti Iudicis bonũ nomen, cuius exemplum, populorum corda ligat, vaſſallorum animos vincit, iuxtà Plinij ſententiam in panegyrico dicentis: *Ducimur a Principe: nam vita Principis perpetua eſt, ad hanc dirigimur, nec tam imperio opus eſt, quam exẽplo*.

Gregorius Magn. lib. 7. ep. 12.

Tullius li. 3. de offic.

Valentian. Imp. ſent.

Plinius in paneg.

Quæ veritas, vt manifeſtior fiat, audiamus Angelicum Doctorem D. Thomam lib. 1. de regim. Princip. c. 14. *Eſt*, inquit, *præconſiderandum, quod gubernare eſt id, quod gubernator conuenienter ad debitum finem perducere. Sicut*

D. Thom. lib. 1. de regim. Princ.

etiam

Digitized by Google

etiam nauis gubernari dicitur, dum per nautæ induſtriam recto itinere ad portum illæſa perducitur. Cum igitur Princeps ſit ſubditorum gubernator, eius aliud non eſt officium, niſi, vt homines per iuſtitiam, & exemplum in propriũ finem conuenienter perducat, quæ erit eius maxima gloria, inextimabilis victoria. Percontor, quiſnam ſit iſte finis. Reſpõdet Diuus Thomas loco citato, *Eſſe multitudinis congregatæ viuere ſecundum virtutem. Ad hoc enim homines congregantur, vt ſimul benè viuant, quod conſequi non poſſet vnuſquiſque ſingulariter viuens. Bona autem vita eſt ſecundum virtutem, virtuoſa igitur vita eſt congregationis humanæ finis.* Finis ergo cuiuſcumque Principis eſſe debet, vt ſubditi virtuosè viuant, ac per conſequens ab eis excludatur peccatum; quod eſt ſubditos per ſemitas veræ iuſtitiæ dirigere, ex qua pendet Principis gloria, ſuaque immortalis victoria. Quãuis ad hoc requiritur, quidquid Egyſippus Phyloſophus

Egyſippus Phyloſophus.

lib.2.c.5. aſſerit, dicẽs: *Boni Principis vita, quæ probitatis quædam præſcriptio eſt*: nàm pronitas vitæ in Principe perſcribit leges, & iura per quæ iuſtè, honeſtè, & piè Imperium, ſeù Regnum dirigitur, & gubernatur.

Nec ſufficit Principis bonitas, & vitæ integritas, ſed quid amplius? nàm Ptolemęus ſapientiſſimus Princeps inuiolabiliter decreuit, quod ſubditorum ſuorum in ſupremis ſui Regni officijs, nullus adſcriptus fuiſſet, niſi priùs in ſcientijs profeſſus eſſet. Idem ſcibit de Rege Demetrio Alchimius Phyloſophus. Et Ariſtoteles quendam phyloſophum ad ſcientias acquirendas ſuadebat, dùm Alexandri Magni Aulicus cupidus erat. Et Soclofes famoſiſſimus pictor, in Regis Scithiæ aula, Martem cum trutina pinxit in manu, in alia libros, vt omnes conciperent, quod in Regnis, Mars defenſionis ad ſedandos populos, eſt ſapientia cum trutina iuſtitiæ, quã vnuſquiſque bonus miniſter in corde inſculptam habere debet.

Præſertim Princeps, vt caput, à quo omnia membra motũ habent, indeſinenter, die noctuque vigilare, iuſtitiaſque, vel iniuſtitias, miniſtrorum ſuorum trutinare, præcipuè, an ſint donorum cupidi, vel non; Si Regni conſeruationi inuigilant; ſi bono publico, vel priuatis paſſionibus incumbunt; ſi per amorem, vel per cupiditatem ſeruiunt; ſi eorum actiones ſint veræ, an adulatoriæ; ſi ad Regni incrementũ aſpirant, an ad illius deſtructionem; ſi Regni Erarium ſit viriliter communitum. Quomodo iuſtitia in remunerando dignos, ac defectuoſos puniendo fulget? Quomodo nobilitas in virtutũ, atque ſcientiarum acquiſitionẽ inuigilat, Imperij præcipuum fundamentum; quidquid in conſeruando ſupremos miniſtros, me-

mediocres, ac infimos requiritur. Quomodò vni dederũt quinque talenta, nempè ſupremis, mediocribus duo, infimis verò vnum? Vndè inquit Sanctus Ludouicus Rex Galliæ. S.Lud.Rex Galliæ. *Non ſufficit Principi elegiſſe in Iudices meliores Regni viros, ſed inſuper hijs inuigilare, & inueſtigare, qua ratione officio ſuo fungantur.* Quid ampliùs, pro quiete, & Regni pace? Seditioſas, atque ſuperbas expellere perſonas, & numquam Imperij dominium diffidentibus tribuere, ſed incumbere, blandiri populum, & allectare vulgum. Nicephor. Gregora. Vndè Niceforus Gregora lib. 4. hiſtor. dicit: *Principem ſi quo natura ſublimior ſit, eo humaniorem ſe præbere inferioribus, chariſſimum populo futurum.* Decet Principi factionitatem, omninò vti mortiferum velenum à ſe expellere, vt ſtatera iuſtitiæ omnibus pateſiat. Chryſoſt. homil. 1. in Matth. Chryſoſtomus homil. 1. in Matthæum. *Quicunque Principum, per rectitudinem iuſtitiæ placuerũt Deo, & diutius regnauerunt, & proſperati ſunt.*

Quapropter Princeps pro bono communi, particulari quoque explorare conatur ſub qua herba anguis odij latet, & ſub quo melle zizaniarum amaritudo, quæ ſunt Imperij totalis deſtructio, & ſpopulatio: loquatur pro me Saianus cum Tiberio, Seneca cum Nerone, Brutus cum Tito, Alexander cum Cratero; Britilius cum Ciro, Pirrus cum Fauſto, Domitianus cum ſuo Aulico; Adrianus cum Andronico, Diocletianus cum Patritio. Debet ergo Princeps non dormire, niſi ad huiuſmodi extinguenda venena; hæc quidem eſt vera, & recta iuſtitia, quæ omnibus armorumque victorijs præualet, atque mundanis glorijs, iuxtà illa Chriſti verba: *Ego gloriam meam non quero, ſed eius qui miſit me.* Genebrardus hic: *Chriſtus propriam, non querebat gloriam, ſed iuſtitiam eius, qui pro Mundi iudicio filium miſit in Mundum; iuxta illud* Ioannis 19. *In iudicium ego in hunc Mundum veni.* Pro hac recta iuſtitia, quæ his temporibus maximoperè deploratur, diſcernere debet Princeps inter ſubditos, quis nàm ſit ſuperbus, & humilis, temerarius, & ſubmiſſus, ſolertus, & accidioſus, ambitioſus, & grauis, deuotus, & hyppocrita, innocẽs, & malitioſus, cauilloſus, & prudẽs, laſciuus & continens, ſtultus, & ſagax, pauper, & diues, indoctus, & eloquens. Huiuſmodi vitutes in Principis pectore abſque vitijs oppoſitis ad ſuæ iuſtitiæ ſplendorem, ad aliorumq; exempla, tamquam interſiſſimo ſpeculo effulſere debent, vt ab omnibus ſubditis inſpectis, in eorum cordibus imprimere ſtudeant; ita Euagrius lib. 1. hiſtor. Eccl. *Princeps ſibi primum virtutibus imperet, vt ſuos coerceat.* Euagrius lib. 1.

E contra ſi Princeps propriã gloriam querit, maleuolus iuſtitiæ redditur, fitque illicò iniuſti-

tiæ

tiæ germanus, quod clarè conſtat ex illo Ioannis 7. *Qui gloriã propriam quærit iniuſtia in illo eſt*, quapropter Regna, Prouincias, & feuda amittunt, & ſubditi, vt perfidi inimici declarantur, iuxta illud Prophetæ dictum. *Inimici eius, intrinſeci eius, & inimici hominis domeſtici eius*; Punitio Dei ad illos intenta, nempè ad Reges, & Principes. Sapientiæ 6. *Ad vos Reges ſunt hi ſermones mei; qui enim cuſtodierint iuſtitiam, iuſtè iudicabuntur; diſcite ergò Iudices finium terræ. Præbete aures uos (ſcilicet Principes) qui continetis multitudines, & plautis vobis in turbis nationum, quoniam eſsetis miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ. Horrendè, & citò apparebit vobis iudicium duriſſimum.* Immò Deus ipſe, ſua potẽtia, & maieſtate liberabit pauperes ſubditos ab iniuſtitia eorum. Propheta Dauid pſal. 71. *Liberabit pauperem a potente, & pauperem cui non erat adiutor.* D. Vincentius Ferrerius hic: *Quinam ſunt iſti potentes, niſi Reges, & Principes, qui per iniuſtitias potenter tormenta patientur.* Et Sanctus Ludouicus Rex Galliæ dixit Philippo ſuo hæredi. *Diligenter auſculta querelas pauperum, & ſatage, vt veritatem intelligas.*

Ioan. 7.

Pſal. 71.

D. Vincen. Ferrer.

D. Ludou. Rex Gall.

Et ſi quandoq; Princeps, Dei præceptis obedire nolit, ſuorum procerum ſaltem, vel ſapientum exemplis incumbere ſtudeat. Caſſiodorus lib. 1. c. 17. *Oblitus ſum procerum meorum audire conſilia, cuius obliuionis, iam pœnas do?* Et Plato de hijs, qui à ſapientibus diſſentiunt, inquit, *Argumentum inſcitiæ eſt, a Sapientibus diſſentire: fuere ſapientum emulatores, ſapientior eſt.* En magnus ille Alexander Principum norma, iuſtitiæ ſectator, atque defenſor, cuius immortales laudes nulla lingua enarrare ſufficit; in regimine Chriſtianæ Reipublicæ ad exempla ſuorum procerum applicatus eſt, iuxta Vlyſſi dictum. *Arma vbi ſunt, vbi Proceres, antiquus Armiger.* Et de forte Corialano legitur, vt Plutarcus aduertit; & Iuſtinus refert, quod ſuis militibus, nullam aliam proponebat legem, quam miſuram iuſtitiæ, & ſanguinis ſuorum maiorum effuſionem. *Tantum animarum virium patriæ, tantoque ſuorum maiorum exemplo in iuſtitia, & ſanguine, qua recordatione ſui memores, ſpiritus largiantur.* Ergo tàm Arma, quam victoriarũque gloria cædant iuſtitiæ. Et Principes ad hoc Dei iuſtitiæ attributum ſeneſcere intendãt, atque procurent Diuus Thomas lib. 1. de Regim. Princip. c. 12. *Ipſa difficultas, quæ Principibus imminet ad bene agendum, eos facit maiori præmio dignos.*

Caſſiodor. l. 1. c. 17.

Plato.

Plutarcus.

D. Thomas l. 1. de regi. Princ. c. 12.

Non eſt dubium, quod Reges, & Principes, ſicuti ipſe Deus teſtatur, ab ipſo ſunt nobis dati. *Dabo vobis Regem.* Et populus Iſraeliticus 1. Regum 8. *Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Nonminùs Propheta Samuel, quan-

1. Reg. 8.

do Saulo dixit: *Nonnè, cum paruulus es, caput in Tribubus Iſrael factus es? vnxitque te Dominus in Regem ſuper Iſrael.* Atque idem Samuel Dei mandato, Dauid, in Regem Iſrael vngendo ſubiunxit: *Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius.* Diuus Auguſtin. tractat. 2. in Ioann. *Liberabis populum ſuum, ideſt Eccleſiam de manibus inimicorum eius: Nàm hoc pertinet ad Reges, & Principes ſæculi Chriſtianos, vt temporibus ſuis pacatam velint matrem ſuam Eccleſiã, vndè ſpiritualiter nati ſunt:* Manifeſtat ergo Deus quomodò conſtituit nobis Reges, & Principes, atque ſubindè Regna, & Republicas. Ecce conſtitui te ſuper gentes, & Regna, & liberabis populum meum de manibus inimicorum eius. Quo medio? Ecce: *Scuto circumdabit te veritas eius.* Scutum erit veritas, & gladius qualis erit? Iuſtitia, ita vaticinatus eſt Regius Propheta pſal. 84. *Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de Cælo proſpexit.* Cum qua manu, enſem iuſtitiæ vibrabit? Cum ſiniſtra veritatis ſcutum, cũ dextera gladium iuſtitiæ. Ita Apoſtolus Paulus 2. Corinth. 6. *In verbo veritatis, & in virtute Dei per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris;* quem locum ſeptuaginta exponunt: *In virtute Dei, ideſt in virtute iuſtitiæ, cuius arma à dextris, & ſiniſtris.* Ideò Ioannes Euangeliſta volens vindictam, atque

Pſal. 84.

Septuag.

Ioan. Euãg.

Dei rigoroſitatem oſtendere ait, quod in ſua Apocalypſi vidit: *De ore Dei gladius vtraque parte acutus.* Acutus in ſiniſtra in verbo veritatis. Acutus in dextera in Virtute iuſtitiæ. Quæ armorũ præparatio ad quid? niſi ad inſtruendos Reges, & Principes ſuper eorum Regna, & Imperia; quemadmodum fecit Rex, & Princeps Salomon, 3. Regũ 10. qui non cum armis vindictæ, aut quid ſimile, ſubditorum, & vaſſallorum lapſus puniuit, ſed pietate, dulcedine, & charitate, *In verbo charitatis,* ſubditorum corda ferire, & Sozomanus lib. 9. hiſt. c. 1. *Solam pietatem Principibus ſufficere ad ſalutem, ſine qua nullius momẽti, exercitus, robur, imperij, & reliquũ apparatũ.* Nàm in adminiſtratione Regni pietas, & veritas præſertim, & nõ odiũ, & vindicta fulgere debent. Exodi cap. 18. *Prouideant ſibi Principes, viros timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam;* Quæ veritas, tantùm miniſtris odium parit, quod eorum pectora indies lacerat, & gladium iuſtitiæ illibatum, & intactum à ſeruitute Regnum præſeruat, pacem nutrit, odium extinguit, iniuſtitias ad nihilum redigit, in ſtatera cuiuſcumque legis; Diuinæ, Canonicæ, & Ciuilis, veritatem menſurat, affectuoſorum corda venenat. Theodoretus lib. 3. hiſtor. c. 25. *Hinc enim gloria Principis, pacem conſeruare, bellum extinguere, hoſtes in fugam vertere, tro-*

3 Reg. 10.

Sozoman.

Exod. 18.

Theodor.

phea erigere, victoriam conſtare, iuſtitiam adminiſtrare.

De muliere quadã laconiſma lego, quæ ad ſuæ Patriæ defenſionem, ſcutum, & gladiũ dedit filio dicẽs: *Fili, aut hunc, aut ſuper hunc*; quaſi diceret fili pro veritate, nè ſanguini parcas, & pro iuſtitia, nè dubitas animam reddere Deo. Pulchrum exemplum, nàm ſi de muliercula; quid dicã de Regibus, & Principibus? de quibus Propheta ſanctus vaticinatur dicens: *Nolite confidere in Principibus, in quibus non eſt ſalus*, Pſal.145. pſal. 145. Magnum reuera Sacramentum, execrabilis ſententia: *Nolite confidere in Principibus.* Quare? ſi Principes ſunt à Deo nobis dati, ad protegendum, defendendum, amplexãdum, quomodò Spiritus ſanctus per Pſalmiſtam, inquit: *Nolite confidere in Principibus?* Signate myſteria, & notate verba, quę ſubſequuntur: *In quibus non eſt ſalus*, quaſi diceret, ſi in ipſis deficit ſalus animę, & corrupta eſt eorum caro, quid dicam de miniſtris, & ſubditis, qui ad eorum exempla; ſiuè bona, ſiuè mala mouentur? ita Plinius lib.4.cap.22. Plin. lib. 4. c.6. *Vt enim in corporibus; ſic in imperio grauiſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur*. Et Euangeliſta Matthæus: Matthæus. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebroſum erit.* Genebrard. Genebrardus *Regni oculus eſt Princeps, ſi nequam fuerit, totum corpus, ideſt populus tenebroſus erit.*

Modo audite Spiritum ſanctum in Geneſis c.6. *Videntes filij Dei, filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi, & corrupta eſt omnis caro*. Filij Dei, in ſacra Scriptura, non ſolùm ſunt pacis Sectatores: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, Matthæi c.5. Matth. c.5. Sed filij Dei, etiam appellantur à Spiritu ſancto Principes terrę: ita Apoſtolus Paulus ad Romanos 8. literaliter: Ad Rom.8. *Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis, filiorũ Dei, ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit, quod ſumus filij Dei.* Ad Rom.9. Et cap.9. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen, ideſt filij Dei:* Et quia Abraam, Iſaac, & Iacob, ab antiquiſſima proſapia originem duxerunt, ideò dicitur in Iſaac vocabitur tibi ſemen, ideſt filij Dei. Dico modo, Principes terræ propter ſanguinis nobilitatem, filij Dei nominantur; ſed ſi huiuſmodi nobilitas per mala opera corrumpitur, quemadmodum fecerunt: *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ acceperunt ſibi*; & ſtatim inquit Sacer textus: *Corrupta eſt omnis caro*; Sacer text. ideſt omnis populus, ad Principis exemplum. Seneca: Seneca. *Vbi non eſt pudor, & cura iuris, nec Principis ſanctitas, pietas, fides, inſtabile Regnum eſt.*

Confirmatur. Nàm Geneſis eodem capitulo 6. habetur; Geneſ.6. *Gigantes erant ſuper terram in diebus illis, & iſti ſunt viri potentes à ſeculo, viri famoſi*. Dicite quæſo, quinàm ſunt iſti Gigantes ſuper terram, viri potentes? niſi Prin-

ci-

cipes, qui quidquid vident volunt, quidquid deſiderant, & appetunt, per potentiam obtinent. Viri famoſi in bellis, in armis, in
Pſal.75. victorijs, &c. pſalmiſta 75. *Ibi cõfregit potentias, arcuum, ſcutum, gladium, & bellum.* Dixi, quod Principes Gigantes ſunt, nàm queadmodum Gigas per corporis altitudinem ab omnibus videtur: ita Princeps per ſuæ potentię altitudinem ab omnibus inſpicitur. Immò guſtatur, ſiuè dulcè, ſiuè acerbè; dulcè per liberalitatem, acerbè per auaritiam; dulcè per continentiam, acerbè per laſciuiam; dulcè per pietatẽ, acerbè per vindictam; dulcè per iuſtitiam, acerbè per iniuſtitias. Hæc omnia in Principe, qui velut, vt Gigas altus, & ſublimis ab omnibus contemplabar, nihilominus inſpecta eius morum, & ſapientię altitudo, ſi ſapiens fuerit, eius Imperium, & Regnũ in lacte, & melle, ideſt in iucunditatè, & lætitia exultabit, iuxta illud
Sapient.6. Sapientię cap.6. *Rex ſapiens, ſtabilimentum populi eſt.*

En inuictus, & ſapiens Princeps Dauid, qui inſtar Gigantis ad Reipublicę Chriſtianæ defenſionem, & ſuorum ſubditorũ conſeruationem velociter cu-
Pſal.18. currit, vt dicit pſalmo 18. *Exultaui, vt Gigas ad currendam viam, cum ſcuto, & gladio rectæ iuſtitiæ ad ferendum in charitate inimicorum corda*, quemadmodum ipſemet
Pſal.18. in eodem pſalmo inquit: *Iuſtitiæ Domini rectæ ad lætificandum corda.* Nàm vera, & recta Principũ iuſtitia eſt, quæ vaſſallorum corda lætificat. Vndè 2. Reg. 22. 2. Regum 22.
ſubdit: *Deus meus ſcutum meum, ab inimicis meis ſaluus ero;* ſed quibus armis; Reſpondit; Armis tribulationum, anguſtiarum, carcerum, ſeditionum, vigiliarum, ieiuniorum, prĕſertim armis iuſtitiæ, quæ inter omnes virtutes, primum obtinet locum. Paulus
Apoſtolus 2.Corinth. cap.6. *In* 2.Cori. c.6.
omnibus exhibeamus nos metipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, & in ſuauitate per arma iuſtitiæ à dextris. Sed adnotate, quemadmodum vltimo loco armam ponit iuſtitiæ, ad ſignificandum, quod ipſa ſit omnium virtutum
fundamentum: ita Ariſtoteles Ariſt. lib.6. Ethic.
lib.6. Ethicorum: *Iuſtitia non ſolũ eſt virtutum præſtantiſſima, ſed ipſa omnis eſt virtus.*

Debet ergo bonus Princeps pro ſubditorum documento his omnibus fulgiri virtutibus, vtpotè Salomon ante lapſum quarum radix eſt vera, & recta iuſtitia, quæ erga ſubditos in Principe, ęqualis, & non partialis (vt ſolet) eſſe debet. Nàm ſi partialis eſt, iniquitate mixta eſt. Et
quid prodeſt Principi, inquit 2.Cori. c.6.
Paulus Apoſtolus loco nuper citato: *Iuſtitia cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Vos Principes, eſtis in iuſtitia Dei mi-

miniſtri, & vti tales, nolite pauperculos iugum iniuſtitiæ portare ſubditos, ſed ſeductores ad has iniuſtitias, tanquam venenoſos ſerpentes fugere, & ab eis omninò ſeparari, & à ſua ſequela eijcere, & à ſua domo, vel Tribunali per ſcalas præcipitare. Et ſic vnquam patris nomen, erga ſubditos, nec ſubditi, nomen filij erga patrem amictere poſſunt. Paulus Apoſtolus 2. Corinth. 6. *Propter quod exite de medio eorum, & ſeparàmini, & eritis in patrem, & ipſi in filios.* Ariſtoteles lib. 8. Ethicorum: *Bonus Princeps, nihil differri à bono patre*; tanquam pater debet Princeps ſuos diligere ſubditos, ac per conſequens odia, & vindictas omninò depellere, nè per illa, odioſus ſubditis reddatur.

2. Corinth. c 6.

Ariſtot. lib. 8. Ethic.

Fuit quidam Phyloſophus Exarſes nomine, correxit quendam Regem Babyloniæ Euilmeradach, de quo dicit Magiſter in hiſtoria, quod erat valdè imprudens, & erga ſuos populos valdè crudelis, qui corpus patris ſui Nabucdonoſor, diuiſit in trecentas partes, & trecẽtis vulturibus dedit ad comedendum. Et cum populus videret Regis vitam deteſtabilem, & nemo eũ corripere auderet; prædictus Phyloſophus morti ſe expoſuit, inueniendo ludum ſcacchorum, in quo corriguntur, & informantur omnes Principes. Cum igitur Princeps prędictus, hunc ludum vidiſſet, miratus ludi pulchritudinem, ac inſueti ſolatij nouitatem, ludum diſcere deſiderauit. Tunc Phyloſophus dixit Principi, hoc non poſſe facere, niſi priùs formam diſcentis aſſumeret. Reſpondit Princeps hoc eſſe congruum, formam diſcipuli aſſumere. Tunc Phyloſophus formam ſcacchorum accipiens, & mores Principis deſcribens, ſic eum ad correctionem per ludum attraxit. Audiens Princeps correctionem ſuam propter quã iam multos ſapientes occiderat: comminatorio præcepto, Phyloſophum interrogauit dicens, quare hunc ludum inueniſſet? Reſpondit Phyloſophus; O Domine mi Princeps, tuam vitam deſidero glorioſam, quam videre non poſſum, niſi iuſtitia, ac bonis moribus ſit inſignita, & ſic à populo diligaris. Opto ergo, vt tibi priùs domineris, qui non alijs, niſi violentia dominaris, neſcis quia violenta imperia durare non poſſunt, ſecundum illud commune axioma: *Nullum violentum durabitur*. Ad hæc Princeps, vetera relinquens, noua amplectens nempè benignitatẽ, & clementiam, nàm vt inquit Caſſiodorus lib. 12. epiſt. 16. *Benigni Principis eſt, non tàm delicta velle punire, quàm tollere, nè aut acriter uendicando æſtimetur inimicus, aut leuiter agendo putetur improuidus.* Iuxtà quæ verba Codice de donatione inter virum, & vxorem; Iuſtinianus Imperator inquit: *Nihil eſt tàm paculiare Impe-*

Magiſter in hiſtoria.

Axioma.

Caſſiodorus lib. 12. ep. 16.

Iuſtinianus Imperator.

pe-

perialis Maieſtatis, *quàm benignitas, ſeù clementia per quam ſolam, Dei ſeruatur imitatio.* Vndè Titus Imperator, qui inter eximios, optimoſque annumeratur Imperatores, cuius encomia, egregieque laudes non tantummodò dicere ſufficit, quod Chriſti mortem vendicauit,ſed benignitate, liberalitate omnes ſuperauit, taliter, non eſſe condecens, dicere ſolebat: *Principem inclemẽtem,illiberalem eſſe,quæ Principis dignitatem, excellentiamq; abrogant, quapropter nemini vllam negauit gratiam.* Vndè accidit, quod in Cæna recumbens, & excogitãs, quod illa die nulla impertiuit beneficia. Amicis,qui in Cæna, cum ipſo erant, dolens dixit, inclinata eſt iam dies,& nullus hodie meam expertus eſt liberalitatem?quaſi diceret,Seneca ſubiungit: *Principes à Deo creatos eſſe, propter ſubditis, beneficia largiendis.* Quam Principis clementiam, & liberalitatem debent ſui populi maximoperè venerare,vt ab alijs in reuerentia habeatur, quia quamuis reuerẽtia non ſit idem, quod honor,nihilominus aliquis reueritur cauſa honoris: ita D. Thomas 2.2.q.103.art.1.ad primum: *Vbi reuerentia non eſt idem, quod honor,ſed ex vna parte eſt primum motiuum ad honorandum, inquantum,ſcilicet,aliquis ex reuerentia,quam habet ad aliquem, eum honorat. Ex alia verò parte eſt honoris finis,inquantum, ſcilicet, aliquis ad hoc honoratur, vt in reuerentia habeatur ab alijs.* Debent itaque populi,ſeù vaſſalli,ſuũ Principẽ omnimodè reuerire, vt ab alijs reuereatur,quæ reuerentia ſecũdum eundem Diuum Thomam in pſalmo 34. *Eſt timor initialis,& caſtus,qui Principis excellentiam reſpicit.*

D Thomas 2.2.q.103. art.1. ad 1.

D.Thomas in pſal.34.

Verùm debent Principes,ſeù Prælati pro ſubditorum, ſeù populorum bono regimine eſſe ſolliciti, vt officiales bonos iuſtos, & vtiles inſtituant, & adulatores, & detractores à ſe reijciant.Debent enim inſtitui officiales, qui iuſtitiam diligunt, & non rapacitatem ament, quia quales miniſtri ſunt,talis Dominus eſſe perhibetur. Non enim debent inſtituere officiales auaros,qui eſtorquent à ſubditis iniuſtè,& calumnioſè argentum,& aurum,aut alia bona,quia ex hoc redditur Dominus odioſus populo.Sunt enim quidam officiales, qui plura extorquent à ſubditis,quam ſui prædeceſſores, vt ſic in cõſpectu ſint acceptiores. Tales ſunt ſocij Iudæ, qui non auferebant à diuitibus,ſed à pauperibus, ſcilicet à congregatione paupercula Apoſtolorum. Verùm ſi ſunt boni non debent ſubitò,& ſine cauſa mutare.Exẽplum recitat Ioſeph de Tiberio Cæſare, qui cum eum amici ſui redarguerent, quare Præſides Prouinciarum non mutaret?Reſpondit: *facerem ſi Reipublicæ, expediret.* Memini me,inquit,hominem vlceribus plenum, muſcis gra-

Ioſeph de Tiberio Cæſare.

Digitized by Google

grauatum fuiſſe,& cum vidiſſem
eum, compatiens, accepto fla-
gello,vt muſcas depellerem,ait:
*Cur meo ſãguine muſcas plenas abij-
cis? & famelicas aduentare permit-
tis? in duplo mihi cruciatum augens,
vndè mihi putaſti ſubuenire*. Sic in
propoſito,ſi indigentes, & auari
fiunt officiales: amotis primis,
nimis populum exactionant, vt
citò ditentur. Ideò dicitur in
Prouerbiũ. Prouerbio: *Muſcæ famelicæ forti-
ter mordent,& ſugunt.*

Demum perpendite hunc ſa-
cræ Scripturæ locum quæſito re-
Luc.22. ſpondentem. Nàm Lucæ c. 22.
dixit Chriſtus diſcipulis ſuis:
*Vnuſquiſq; veſtrum vendat tunicã
ſuam,& emat gladium*.Huiuſmò-
di tunica, vt in multis Sacræ
Scripturæ locis patet, præcipuè
Leuit.6. in Capitulo 6.Leuitici,eſt veſtis,
quã Sacerdotes ad ſacrificandũ
veſtiebãtur: *Veſtietur tunica Sa-
cerdos,& feminalibus lineis.* Et Ca-
Leuit. 10. pitulo 10. *Tulerunt eos ſicut iace-
bant,veſtitos lineis tunicis.* Quid ſi-
gnificat veſtis iſta, ſeù tunica.
Dico,ſignificat gloriam; ita in
Machab. c. 2. ſecundo Machabęorum de Ni-
canoris veſte lego. *Nicanor, qui
mille negotiationes ad Iudæorum uẽ-
dictionem adduxerat, humiliatus
auxilio Domini, depoſita veſte glo-
riæ ſolus venit Antiochiam.* Et gla-
dius quid ſignificat? *Emat gladiũ.*
Iuſtitiam denotat,vt nuper dixi,
& hoc fermè indubitatum in to-
Geneſis 3. ta Sacra Scriptura Geneſis 3.
*Flammeum gladium, atque verſa-
Exodi 5. tilem.* Exodi c.5. *Nè occidat nos pe-
ſtis, aut gladius.* Leuitici 26. *Indu-* Leuit.26.
*cam ſuper vos gladium vltorem fæ-
deris.* Iudith. c. 6. *Tuncque gladius* Iudith.6.
militiæ meæ tranſeat per latera tua.
Dauid pſal.77. *Concluſit in gladio* Pſal.77.
populum ſuum. Amos Propheta Amos 9.
c.9. *In gladio morientur omnes pec-
catores populi mei.* Matthæi c. 10. Matth.10.
Non veni pacem mittere,ſed gladiũ.
Itaque tunica, gloriã ſignificat,
gladius iuſtitiam: *Vnuſquiſque
vendat tunicam ſuam,& emat gla-
dium*, quaſi diceret,vnuſquiſque
vendat propriam gloriam,& pro
fidei incremento gladium iuſti-
tiæ,emat. Idem dicere poſſumus
de Principibus. Vnuſquiſque
vendat propriam gloriam,inanẽ
gloriam,& gladium iuſtitiæ,ſci-
licet veri, ac recti Iudicis emat,
vt dici poſſit verus Princeps,
Magnus Princeps, Excellens
Princeps,nàm magnitudo,& ex-
cellentia Principis non reſplen-
det in vanitate gloriæ; Armorũ-
que Victoria, ſed in magnitudi-
ne, virtutumque excellentia.
Nàm virtutes ſunt ſubditorum
ſpecula,exemplorum ſtaterę,bo-
norumq; omnium mercimonia:
Hę ſunt verę diuitiæ, quę impe-
rium,ſiuè Regnum ditant, ipſum
defendunt, rebelliones tollunt,
tumultum expellunt, perturba-
tiones ſedant,ignem odij contra
Principem extingunt, inimicorũ
venena mitigant, plebem pla-
cant,illibatum, ac intactum Re-
gnum conſeruant; Ad vos Re-
ges,ad vos Principes,inquit Spi-
ritus Sanctus Sapientię 6. *Sunt hi* Sapient. 6.
ſer-

Digitized by Google

ſermones mei, qui cuſtodierint iuſtitiam (quæ eſt omnium virtutum fundamentum) iuſtè iudicabitur;ſin autem citò apparebit vobis iudicium duriſſimum,&c.

D. Hieron. Et Diuus Hieronymus dicit, & ponitur in decr.23.q.5.c.Regum. *Quod proprium eſt Regum, & Principum facere iudicium, & iuſtitiam, & liberare de manibus vi oppreſſos, peregrinos, pupillos, viduas, quæ faciliùs opprimuntur à potentibus, tales opprimentes debent plectere per iuſtitiam. Debent etiam furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, paricidas, & periuros non ſinere viuere; ſed ſi aliqui, nunc corriguntur, ſunt pauperes, & impotentes.* Ideò Spiritus ſanctus Prouerbiorum 29. publicat dicens: *Cum impij ſumpſerint principatum gemit populus*; Et in eiſdem Prouerbijs c. 28. *Regnantibus impijs ruina hominum; Et hoc propter peccata terræ multi Principes eius*. Et idem Diuus Hieronymus cap. Regum: inquit, *Iuſtitia Regis eſt Deum timere, & per omnia in eo cōfidere, Fidemque Catholicam habere: Eccleſias quoque defenſare, & eorum miniſtros venerare.* Quamuis Ariſtoteles cap. 5. Politicorum ſubdit: *Quod id, quod primò ſtudet, Excellentes in ſuo Principatu perimere, quia timent, quod poſſent inſurgere contra eos*. Vndè Poeta quidam.

Prouerb.29 · Prouerb.28 · D. Hieron. · Ariſt.c.5.

Aſperius nihil eſt humili, qui ſurgit in altum,
Cuncta ferit, dùm cuncta timet, dùm ſæuit in omnes,
Hinc ſe eſſe putat, nec beſtia ferior vlla.
Quam ſæua rabies in terga libera ferens.

D.Franciſ. de Paula. Et D. Franciſcus de Paula ſubiungit opuſc. 1. epiſt. 6. *Occæci, & oculis animæ orbati omnes, qui in rebus terrenis finem ſuum poſuerunt, & nullus in rebus diuinis, quia tales miſeri, & infelices peius, quam bruta animalia, ſolùm ſecūdum ſenſum viuentes. Abſq; rationis diſcurſu cogitant, ſed homines rationales, qui obliuiſcuntur Deum, iumentis inſipiētibus ſimiles facti ſunt, quibus non eſt intellectus hi nimirùm ſemper in confuſione erunt, expectantes damnationem æternam. Præparentur omnes Principes, qui ſunt in Mundo, tùm ſpirituales, tùm temporales expectantes iram maximam, quæ ſupernentura eſt illis, & qualis ira erit? illa nimirum, quam expectāt Heretici, & infideles omnes:* hæc ille D. nempè Franciſcus de Paula,&c.

CAPITVLVM QVINTVM

An aliquid amplius requiratur ad Salomonicæ Reipublicæ conſeruationem, & gubernationem.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

Ariſtoteles lib. 3. Politicorum.

ARiſtoteles lib. 3. Politicorum dubium proponit. An ſit melius habere Reges, & Principes per electionem; an per hęreditariam ſucceſſionem: Omiſſis alijs opinionibus, cum aliquibus Doctoribus dico, quod melius eſt continuare Regnum per ſucceſſionem hæreditariam, propter multa mala, quæ occurrunt in electione, ſcilicet diſcordia eligentium, ex qua ſequitur deſtructio terrarum, & Ciuitatum, bella, homicidia, incendia, &c.

Ægydius l. 3. de regi. Princ.

Magiſter Ægydius lib. 3. de regimine Principum ad propoſitum adducit quatuor rationes. Prima eſt, quia peiores mores illorum ſunt, qui nuper facti ſunt diuites, quam qui fuerunt diuites ab antiquo. Cuius exemplum patuit in filio cuiuſdam Carbonarij, qui propter diſcordiam eligentium fuerat electus in Regem Ciuitatis. Veniens pater videns filium ſuum in Regalibus inſignijs, interrogauit filium ſuũ an ipſum agnoſceret? Reſpondit filius. Pater non cognoſco me ipſum, quomodo deberem te cognoſcere, &c. Secunda ratio, quia conuenientiores mores ad regendum didicerunt filij regẽtium. Tertia, quia merita parentum, talibus inducunt quandam neceſſitatem benefaciendi, nè filius videatur degenerans à parẽtibus. Quarta, quia per diutinam con-

conſuetudinem Populus filijs libentius obedit: & præcipuè quando à Senioribus Conſiliarijs reguntur; iuxtà illud
Iob, 12. Iob. c. 12. *In ſenibus eſt ſapientia, & in longo tempore prudentia*: Ideò Roboam perdidit decem Tribus, quia audiuit conſilia iuuenum.

Vndè Valerius Maximus narrat lib. 6. cap. 2. de quodam ſene; qui reſpondit minanti, quod habebat multos gladios. Reſpondit Senex, & ego habeo multos annos: Ideò præcepit Dominus Moyſi vocare Seniores ad Con-
Num. 11. Exod. 3. ſilium. Num. 11. & Exodi cap. 3. Quia Conſilium debet eſſe Sapientum, & litteratorum. Ideò
Tobias 4. Tobias docuit filium ſuum cap. 4. dicens: *Conſilium ſemper à Sapiente perquire*. Quare dicit Boe-
Boetius lib. 1. de conſo. pro. 4. tius lib. 1. de conſolatione proſa quarta: *Tu hanc ſententiam ex ore Platonis ſanxiſti Beatas fore Republicas, ſi eas ſtudioſi Sapientiæ regerent, vel eorum Rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet.*

Et Diuus Hieronymus lib. 3. opuſculo 20. cap. 8. inquit: *Quis Salomonis Conſiliarius fuit, qui non tantummodò Reipublicis, ſed toti Mundo conſilium præſtitit?*

Non enim debet eſſe Conſilium vnius Sapientis, ſed multorum Sapientum, Prouerbiorum
Prou. 11. c. 11. *Salus populi, vbi multa conſilia*, quia quod duo, vel tres inuenire non poſſunt, hoc faciunt decem, vel viginti, ideò non oportet inniti proprio capiti, ſed ſẽtentias aliorũ audire. Non enim debet dicere placentia, & adulari in conſilio, ſicut multi faciunt. Immò debent eſſe Conſiliarij de numero bonorum, & iuſtorum, & non malorum. Quia dicitur Iob c. 5. *Conſilia prauorum Deus diſſipat*: Vndè Diuus Ambroſius
Iob. 5. D. Ambroſ. lib. de offic. libro de officijs, inquit: *Quomodo poteſt dare vtile Conſilium, niſi habeat iuſtitiam; quomodo putabam eũ idoneum, vt det mihi conſilium, qui non dat ſibi*: Ideò nè iuuenes in conſilio timerent veritatem dicere, inceperunt conſilium à iunioribus. Quare Saluſtius magis
Saluſtius. peritè de Miniſtrorum Conſilijs ſcripſit. *Omnia Regna, Ciuitates, nationes vſque eò proſperum Imperiũ habuerunt, dùm apud eos vera conſilia valuerunt*. Et Tacitus lib. 4.
Tač. lib. 4. hiſt. hiſtoriarum non minùs ſcitè, quã Saluſtius dixit. *Nullum maius boni Imperij inſtrumentum, quam bonus Conſiliarius, quia ſæpè numero accidit, quod frequenter, Ottonus Im-*
Ottonus Imper. *perator dicere ſolebat. Quales Senatores, talis Princeps*. Miniſtri, ſeù Conſiliarij bonitas, eſt ita valdè Reipublicæ neceſſaria, à qua ſiuè bonum, ſiuè malum propen-
Sofocles. det, vt ait Sofocles: *Nulla res, malo conſilio, nocentior*. Bonitas miniſtri, Principis bonitatem manifeſtat, quæ vtraque bonitas, non tàm conſcientijs, quàm ſcientijs quoque attribui debet.

Periculoſum eſt ergò, quod Reipublicæ, & Regna habeant malos homines ſine conſcientia in eorum conſilijs, quia dicit Tullius in libro de ſenectute:

 Quod

Tull. de ſenectute. *Quod dantes conſilium in Republica plus agunt, quam alij. Nàm ſunt ſicut Gubernatores in Naui. Nàm gubernator nauis, citò poſſet dirigere Nauem ad lapidem, vel ſcopulum, vt frangatur, quod alij officiales Nauis non poſſunt. Sic, & Conſiliarij.* Ergo grauiter illi peccant, qui dant cõſilia mala Regibus, Principibus, & Dominis, ad incẽdia, rapinas, & bella, aut communitatibus, ſeù Republicis, de quo Communitas, ſeù Republica finaliter depauperatur. Et quod peius, quod iurant iſti Conſiliarij, quia volunt Rempublicam regere, atque gubernare, & iuſtitiam adminiſtrare, ſecundum poſſibilitatem eorum. Vndè dicit Auicenna: *Quod conſilians eſt ſicut dans formam, ſecundum quam alius habet operari. Vè ergo illis conſiliarijs, qui ea conſulunt, quæ ſunt in periculum animarum. O quoties hæc contingunt, vbi non curant, ſi iuſtè, vel iniuſtè fiat, ſed vt ſolùm ad replendum burſas eorum, vel ad explendum vindictam, vel vt placeãt Principi, quomodocumq; ſemper eſt malum:* hæc ille. Tales enim Cõſiliarij faciunt contra iuſtitiam, & contra æquitatem, cum magis timeant hominem, quam Deum. Contra quos dicitur decreta 11. q. 11. *Quiſquis metu cuiuslibet poteſtatis veritatem occultat, iram Dei grauiter contra ſe prouocat, quia magis timet hominem, quam Deum.* Propter hõc Pilatus fuit damnatus, quia magis timuit Cæſarem, quam Deum, dando falſam ſententiam contra Chriſtum. Ideò dicitur 3. Regum 3. *Timuerunt Regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in illo.* Timuerunt Regem, id eſt Salomonem, videntes ſapiẽtiam eius, in gubernatione Chriſtianæ Reipublicæ.

Auicenna.

Decret. 11. q. 11.

3. Reg. 3.

Sunt quidam Domini, ſeù Principes, inquit Boetius, qui nõ timentur à ſuis ſubditis, neque à Conſiliarijs. Ratio, quia dormiunt, aut ignorant mala ſubditorum, præcipuè officialium. Nõ ſic dici poteſt de Deo, cui *omnia ſunt nuda, & aperta oculis eius;* vt dicitur ad Hebræos 3. Quare iſti tales, ſi Principem, ſeù Republicam decipiunt, non ita Deũ. Vndè Boetius lib. 5. de conſolatione, Metro 2.

Ad Hebr. c. 4.

Boet. lib. 5. de conſola. metro 2.

Aud ſic Magni conditor orbis,
Hinc ex alto cuncta tuenti,
Nulla terræ mole reſiſtunt,
Nec nox atris nubilis obſtat:
Quæ ſunt, fuerunt, veniantq; vno
mentis cernit in ictu,
Cum agitis, ante oculos Iudicis cũcta cernentis.

Vndè Diuus Pater Auguſtinus Sermone de verbis Domini, inquit: *Si peccare vis, quære locum, vbi Deus non videat, ſi omnia ſunt aperta oculis eius.* Sunt aliqui Iudices, Conſiliarij, & officiales, qui aliquando procurant eorum occultare actiones, de quibus, & conſimilibus loquitur Diuus Auguſtinus in Regula dicens: *Et ſi à nemine hominum videatur, quid faciet de illo deſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt; an ideò putan-*

Aug. in regula.

tandus eſt non videre, quia videt tantò patientius, quantò ſapientius? Ideò Iob. c. 9. *Verebar omnia opera mea ſciens, quia non parceres delinquenti.* Et pſalmiſta Dauid. *A iudicijs enim tuis timui, quia nihil in uultum dimittis.* Qui quidem timor Dauid, fuit timor filialis, & reuerentialis, non timor ſeruilis. Filialis, dùm ad hunc timorem nos admonet dicens: *Seruite Domino in timore.* Sed dices, quomodo timebo eum? Reſpondet Hugo Cardin. ſuper regul. D. Auguſt. *Si vis Deum timere, illum cogita omnia videre, titillat te mala conſcientia, cogita: quia te videt, quidquid in te mali fuerit, penſa, quod totum, Deus conſpicit, quidquid egeris, aut dixeris, memento ſuper te oculos Dei eſſe, ſemper time diſplicere ei. Hæc eſt via iuſtitiæ, ò Iudex, hæc ſunt primordia ſapientiæ, ſicut ſcriptum eſt. Initium ſapientiæ timor Domini:* hęc ille, alius timor eſt riuerentialis pſalmiſta: *Domine audiui auditum tuum, & timui.* Eundem timorem habuerunt Apoſtoli, nempè Iacobus, Petrus, & Ioannes, qui viſa gloria Domini, cæciderunt in facies ſuas, & timuerunt valdè. Iſte timor non ſolum eſt in humanitate, ſed etiam in Angelis; ideò Apocalypſi dicitur de Angelis: *Caciderunt in conſpectu throni in facies ſuas.* Iſte timor eſt etiã in animabus Sanctis iuxtà illud pſalmi: *Timor Domini permanet in ſæculum ſæculi.* Ideò viginti quatuor Seniores cęciderunt coram agno. Iſte timor cauſat de futuris prouidentiam, & circumſpectionem in officialibus, Cõſiliarijs, & bonis iudicibus, iuxta illud Eccleſiaſtici. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Vndè requiſiti de fraude, reſponderunt. Timuimus valdè, & prçuidimus animabus noſtris.

Iob. 9. · Pſal. 108. · Pſal. 2. · Hugo Car. · Eccl. c. 1. · Pſal. 110. · Apoc. c. 7. · Pſal. 18. · Eccl. c. 1.

Alius eſt timor ſeruilis. Bonus eſt iſte timor, & vtilis, licet inſufficiens, per quem fit paulatim conſuetudo iuſtitiæ: hæc docet Magiſter ſententiarum. *Cum ergo quis non amore iuſtitiæ, ſed timore gehennæ, vel alterius pænæ, ſe abſtinet à malo, vel facit aliquod bonum, taliter propter timorem flagelli, dicitur timor ſeruilis.*

Magiſt. ſententiarum.

Taliter timuit Deum Pharao, quando flagellabatur dimiſit populum, quando autem ceſſauit plaga, nec Deum cognouit, nec populum dimittere voluit. Taliter timuit Deum Antiochus, qui in infirmitate flagellatus, orabat Dominum ſceleſtus, à quo non eſt miſericordiam conſecutus, quia hoc fecit timore pençmortis, ſicut patet 2. Machabæorum 2. De tali timore dicitur primæ Ioannis 4. *Timor iſte non eſt in charitate*, qui timor quamuis non ſit peccatum, eſt tamen cum peccato, quia manet in homine peccandi voluntas. Vndè verſus.

2. Machab. c. 1. · 1. Ioan. c. 4.

Oderunt peccare mali formidine pęnæ,
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Poeta.

Sciendum eſt, quod talis timor non liberat à pæna æterna.

Huius exemplum in hiſtorijs legitur, de duobus officialibus, qui multum ſe dilexerunt inuita, & pactum fecerunt ad inuicem, qui primo moreretur, rediret ad alterum ſi poſſet. Et factum eſt, vt vnus moreretur, facta confeſſione, accepto Viatico, apparuit alteri dicens, ſe damnatũ. Reſpondit alter, quare? numquid fuiſti confeſſus, & accepiſti corpus Chriſti? Reſpondit, quod hoc fecit ſolummodò timore inferni.
Ad Rom. 8. De quo Romanorũ 8. *Non enim accepiſtis iterum ſpiritum ſeruitutis in timore*. De quibus dicit Diuus
D. Gregor. lib. 1. mor. c. 27. Gregorius lib. 1. moral. c. 27. *Cũ quis ex timore, bona agit, à malo penitùs non receſſit, quia eo ipſo peccat, & peccare vellet, ſi peccare vlterius potuiſset*: hæc ille. Vndè nota, quod quilibet Chriſtianus quãtumcũque bonus, ſiuè Princeps, ſiuè Prælatus, ſiue Iudex, ſiue Conſiliarius, ſiue Sacerdos, ſiue Clericus, ſiue Religioſus propter ſubditorum, & laicorum exemplum ſemper Deum timere debent, ex quo ſequitur bona operatio, nempè benè operare,
Eccleſ. quia vt dicitur in lib. Eccleſiaſt. *Timenti Deum, omnia cooperantur in bonum*.

Pro qua cooperatione, & Reipublicæ gubernatione ſcire oportet, quod iuxtà Theologorũ doctrinam multiplex ſumitur iuſtitia. Quædam eſt ſanctitatis oſtenſiua, hæc eſt perfectorum. Quædam eſt falſitatis indicatiua, hæc eſt phariſeorum, ideſt malorum Iudicum. Quædam eſt ęquitatis conſeçutiua, hæc eſt Prælatorum. Quædam eſt neceſſitatis communicatiua, hęc eſt omnium mercatorum. Quædam eſt dignitatis diſtributiua, hæc eſt Principum, & Dominorum. Prima eſt Sanctitatis oſtẽſiua, hæc eſt perfectorum, de quibus dicit Propheta Dauid: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus*, pſal. 44. Quæ ſecundũ
Auguſtinum ſuper hunc pſalmũ Pſal 44. D. Aug. hic.
non aliud; *Quam declinare à malo, & facere bonum*. De quo dicitur Matthæi c. 5. *Beati, qui exuriunt, et faciunt iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum*. Secunda eſt falſitatis iudicatiua, hæc eſt phariſeorum, ideſt malorum Iudicũ,
de qua Matthæi c. 5. *Niſi abun-* Matth. c. 5.
dauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & phariſæorum non intrabitis in Regnum Cælorum.

Tertia iuſtitia, eſt æquitatis executiua, hęc eſt Prælatorum, hæc vocatur iuſtitia legalis, quæ conſiſtit in omnium bonorum obſeruatione, & malorum omnium vetitatione, ſi enim in regimine negligantur opera virtuoſa, & non fiat impletio legis, & fiunt iniuriæ, violentiæ, & dolus, ſequitur deſtructio Reipublicę: ideò ſcribitur primo Poly-
ticorum, *quod iniuſtitia legalis eſt* Primo Polyticorum.
crudeliſſima, & ſeueriſſima habens arma. Quarta eſt iuſtitia communicatiua, hæc eſt mercatorum, de quibus dicit Anſelmus libro, cur omnis homo: *Iuſtitia*, inquit,

eſt

eſt animi liberalitas ſubueniens ſecundum propriam neceſſitatẽ. Quinta eſt iuſtitia diſtributiua, hæc eſt Principum, de quibus dicitur Eccle.c.10. Eccleſiaſtici cap. 10. *Quod Regnũ, vel Ciuitas transfertur de gente in gentem propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos;* Ergò ad hanc obſeruandam hortantur omnes Principes, iuxta illud Sapientiæ primo: *Diligite iuſtitiam, vos qui iudicatis terram.* D. Ambr. in Examerон. Vndè Ambroſius in hæxameron inquit: *Vbi prudentia, ibi malitia, vbi fortitudo, ibi iracundia, vbi temperantia, ibi impatientia, vbi autem iuſtitia, ibi concordia, & cætera virtutes,* ergo ipſa eſt maximè neceſſaria in Republica. Quia dicit Aug. lib. 4. de Ciu. Dei c. 4. Auguſtinus lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 4. *Remota iuſtitia, quid ſunt Regna, niſi magna latrocinia?* Quare ergo iurgia inter Principes, Dominos, aut Ciues? quia vnus alteri non cædit, nec reddit, quod ſuum eſt. Nec etiam conſtituuntur Conſiliarij, & Iudices in Republica, qui ſint amatores iuſtitię, ſicut Dominus præcepit Moyſi per os Ietro Exod. 18. Exodi 18. *Prouide,* inquit, *ex omni plebe viros ſapientes Deum timentes, qui oderint auaritiam, & in quibus eſt veritas vitæ, doctrinæ, & iuſtitiæ, & cõſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones.* Ex his patet, quod Duces, Principes, Conſiliarij, Iudices, debent eſſe ſapientes, ac per conſequens eijcere inſipiẽtes, ſectare iuſtitiam, auaritiam Prouerb. 28 expellere, quia Prouerbiorum 28. dicitur: *Princeps impius, et Dux indigens prudentia, multos opprimãt per calumniam, qui odit auaritiam, longificat dies eius.*

Per hanc diabolicam auaritiã grauiter peccant, qui dant mala conſilia Principibus, Republicis, & Dominis, per quæ ab aduerſarijs accipiens munera, in infernum detraduntur. Cuius exemplum ponitur in ſpeculo hiſtoriarum lib. 25. de Carolo In Spec. 25. Magno, dicens de ſeipſo. Ego Carolus Imperator dono Dei, Rex Germanorum, Romanorũ Imperator, Sacra nocte diei Dominicæ, poſt celebratum nocturnarum diuinum officium, dùm iam ad dormitũ, & vellem ſomnum capere, venit ad me vox terribilis dicens: Carole exietur à te modo ſpiritus tuus, in hora nõ modica, ſtatimque fui raptus in ſpiritu, & qui me ſubſtulit erat candidiſſimus, tenens in manu ſua glomerem lineum clariſſimum, iubar luminis emittentem, ſicut ſolent cometes facere, quando apparent, cæpitque illũ diſſoluere, & dixit ad me. Accipe glomerem micantis filum, & liga, ac noda firmiter in pollice tuæ manus dexteræ, quia per illum duceris in laborintias infernorum pænas. Hæc dicto præceſſit me velociter diſtorquens filum luciflui glomeris, duxitque me in profundiſſimas valles igneas, quæ erant plenæ puteis ardentibus pice, & ſulphure, plumbo, cere, & adipe, & ibi inue-

ueni Epiſcopos Patris mei, & auunculorum meorum; quos cũ pauens interrogarem, cur tàm grauia paterentur tormenta? Reſponderunt, fuimus Epiſcopi patris tui, & auunculorum tuorum, & dùm debuimus illos, & populum de pace, & concordia admonere, ſeminauimus diſcordias, & per mala conſilia fuimus incenſores malorum, ideò nunc incendimur in iſtis tartareis pœnis, & ſupplicijs. Deindè traxit me ſuper montes igneos de quibus oriebantur paludes, & flumina feruentia, & omnia metallorum genera bullientia, vbi reperi innumeras animas hominum, etiam Principum patris mei, & fratrum meorum immerſos, vſq; ad capillos, alios vſquè ad vmbilicum, & clamauerunt ad me eiulando. Dùm viximus, amauimus cum patre tuo, & fratribus tuis prælia, & homicidia; atque rapinas pro cupiditate terrena, ideò per iſta bullientia flumina, & metallorum diuerſa genera torquemur. Et cum ad hoc timidus accederem, audiui retro me animas clamare: potentes potēter tormenta patientur. Et vidi ſuper ripas fluminis bullientes fornaces piceas, & ſulphureas, plenas magnis dragonibus, & ſerpentibus diuerſi generis, vbi vidi etiam aliquos Principipes dicentes mihi. Heù nobis Carole, vides quanta grauia habemus tormenta propter noſtram malitiam, & ſuperbiam, & mala conſilia, quæ Regibus noſtris, & tibi dedimus propter cupiditatem; Cumque dolendo ingemiſcerē occurrũt ad me Dragones apertis faucibus, plenis igne, ſulphure, & pice, volentes me deglutire: Sed ductor meus triplicauit ſuper me filum à cuius claritatis radijs ſuperata ſunt eorum ora ignea; Et multa alia, quæ nimis longum eſſet enarrare. Concludit, quod iſta deberent attēdere illi peſſimi Conſiliarij Dominorum, & Principum, Republicarum, & Ciuitatum, qui eos inſtigāt ad infinita mala propter auaritiam, & eorum priuata cōmoda, quæ omnia finaliter in eorum caput redundant, dicente Eccleſiaſtico c. 27. *Facieti nequiſſimum Conſilium, ſuper ipſum deuoluetur, & non agnoſcet, vndè adueniat ſibi.* Eccl. c. 27.

Debent quoque Conſiliarij Republicarum, & Dominorum eſſe de numero ſecretariorum, maximè vbi fit conſilium de bono cōmuni, nè impediatur. Ideò dicitur conſilium à con: & ſileo ſiles, ſilere, quia debent ſilere ſecreta conſilij: Prouerbiorum 11. *Qui fidelis eſt, celat amici commiſſum.* Prou. c. 11. Non ergo ſunt boni, & fideles Conſiliarij, qui reuelant ſecreta conſilij vxoribus ſuis: nec ſunt fideles, qui dicunt aduerſarijs. Qualiter iſti obſeruant ſua iuramenta, videant ipſi. Ergò à conſilijs debent excludi pueri, & mulieres, qui ſilere non poſſunt. Vndè refert Macrobius in Macrob. li-

libro de ſomno Scipionis, quod puer quidā Romanus, Papyrus nomine, patri iunctus, ſimiliter intrauit Senatum Romanorum, vbi quoddam ſacratiſſimum habitum eſt conſilium, quod non licebat alicui reuelare ſub pœna capitis. Cumque Papyrus domū rediſſet, & mater interrogaret, vndè veniret. Reſpondit puer ſe interfuiſſe conſilio Senatorum cum patre. At illa: Quæ, & qualia egerunt patres in Senatu? cui ille non eſt licitum dicere ſub pœna capitis. Et mulier auidior audiendi ſecretum, admirans ſilentium pueri, modo precibus, modo minis, animum pueri in diuerſa declinare ſtuduit. Cumque illa pœnis puero nimium eſſe moleſta. Actum eſt, inquit puer in Senatu, Vtrum melius ſit, vt vnus vir habeat duas vxores. An quod vna pluribus nupta ſit. Dùm hoc illa audiuit, ſtatim in ſecreto ad certas matronas retulit, & in tantum factum eſt, vt feminæ Romanæ poſtera die ad Senatum abierunt orantes, vt vna potiùs duobus nupta, quam vni duæ. Senatores obſtupeſcentes, quænam eſſet hæc mulierum intēperies, & quid eis hæc poſtulatio vellet, mirabantur. Tunc puer intrans Senatum ordinem rei pandit; & Senatores multum commendauerunt ingenium pueri, & ſtatuerunt, vt nullus puer in poſterum Senatum intraret præter Papyrum; Immò addo, quod nec ſufficit conſiliarijs Reipublicæ ſecretudo, quæ eſt quædā principalis conditio in Conſiliarijs. Verùm non minùs principalis eſt iſta alia; nempè pecuniarum contemptus, quibus deſpectis, cum ſinceritate ſimul cōſcientiæ in dies Republica floreſcit. E contra, vè Reipublicæ, ſi auaritia in Conſiliarijs, & miniſtris pedem firmauit, eorum corda cupiditatis funiculis ligauit, citò euanuerit, citò deficiet, quemadmodum euaneſcunt pecuniæ miniſtrorum furtiuè, & contra conſcientiam acceptæ, quæ taliter euaneſcunt, quod quando cogitant ſacculos argēto, & auro conſeruari plenos, tunc vacuos inueniunt, nàm pecuniæ obliquè acquiſitæ parum durant, veluti ſomnum infirmi, quod citò tranſit, iuxtà illud Dauidici dictum pſalmo 75. *Omnes viri diuitiarum dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis.* Quod patet in illo diuite de quo legitur in vita Diui Ambroſij, qui perijt, cum tota domo ſua, quam hiſtoriam nota ibidem. Pſal. 75. D.Ambr.

Videant ergo illi, nè contingat eis, ſicut cuidam Conſiliario contingit, de quo dicit Franciſcus Petrarca in lib. 2. de remedijs vtriuſque fortunæ, cap. 14. Erat quidam vir multarum ditior virtutum, ſed non ita diues pecuniæ. Erat illi filius primogenitus, Conſiliarius ſuę Ciuitatis, ſeù Reipublicæ, qui magnas opes, multumque aurum acquiſic- Franc. Petr. l. 2. vtriuſq; fort. c. 14.

ſierat,& erat mirum viſu. In pio patre ſene iuuenilis largitas:in iuuene filio ſenilis tenacitas ſæpèque illum Pater hortabatur, nè paupertatis, ac famæ obliuiſceretur,ac etiam,vt ſibimet, & annoſæ matri, ac fratribus præcipuis, & alijs conſanguineis egentibus prodeſſet, & diuitias ſuas daret,ac etiam pauperibus. Sed fruſtrà,vel ſurdo canitur,vel aeri.Contigit tandem,filium cū electis viris Reipublicæ ad Romanum Pontificem proficiſci; Quo digreſſo ſtatim pater occaſione nacta nouis thalami,Erculæque clauibus eſt introgreſſus, theſaurum nulli vtilē è latebris eruit.Seque, & coniugem, ac filios familiam omnem exquiſitiſſimè induit:Emit æquos ornatiſſimos,vaſa argentea,ſuppellectilem ſpecioſam.Vltimo domum amplam,quam nouis auxit ædificijs, & picturis inſignibus ornauit,muniuitque rebus omnibus, quas liberalis, & lauta, & abundans vita exigit, multaque pauperibus dedit. Sacculos verò in quibus aurum filij fuerat, arena lapilliſque flumineis plenos obſtrictoſque, & obſeruata, ſicut priùs fuerant, dimiſit. Redeunti de hinc filio fratres ei obuij fuerunt;quorum veſtes, & habitum miratus, qualem ante non viderat,quæſiuitq; cuius eſſent æqui, vndè ille veſtes, læti, atque omnium ignari ſimplicitate puerili, patris eſſe dixerunt,multoſque alios domi inſtabulo eſſe dixerunt,hæc audiens nimis mirabatur. Cum paternæ domus attigit limen, vix parentes, vixque patientes recognoſcens, ſtupore plenus extitit. Thalamum,atque arculam feſtinus adijt, vbi cum exterius nil mutatum cerneret, parumque animo conquieuit, & quoniam collegarum præſentia impediebatur, feſtinanter, & raptim arculam aperuit, ſacculiſque conſpectis ſolito more, turgētibus;atque obſtrictis, iam ſecurus abijt. Sed mox negotio expedito,poſt in thalamo ſe recluſit, & ſacculos aperiens,aurū in arenam conuerſum reperiens exclamauit.Accurrit pater, quid inquit eſt tibi fili, & cur fles? Amiſi (inquit ille) pecuniam, quam multis quæſitam vigilijs, multiſque laboribus in his ſacculis dimiſeram,ſpoliatus ſum in tua domo.Pater reſpondit.Quomodo ait ſpoliatus es, nōnè omnes ſacculos plenos video?Ille autem gemens ait,arena pater, non pecunia eſt, & hæc dicens apertos patri oſtendebat. Tunc ſenex fronte nihil mota.Quid inquit refert fili apud te arena nè, an pecunia plena ſint,otioſa pecunia eſt, quæ per otioſa conſilia acquiſiſti,per eadem amiſiſti. Memorabile dictum, præclara ſententia,iuxtà illud Lucę cap.6. Luc.6. *Vè vobis diuitibus,qui habetis lucrū in arca,damnum in conſciētia;*quod quidem lucrum dicitur cupiditas,quæ eſt radix omnium malorum, vt dicit Apoſtolus 1. ad

Thi-

Thimoteum 6. & ibidem inquit: *Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum, & tentationem diaboli, & in deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitũ, & perditionem*. Sicut, qui nunc congregant pecuniam, vt magni apud Mundum habeantur, & cum magna pompa, & apparatu, & turba famulorum incedant. Contra quos Sapientiæ c. 5. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non eſt ueſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus. Aut auis, quæ tranſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum, itineris illius, ſed tantùm ſonitus alarum verberans leuem ventum, & ſcindẽs per vim itineris aerem, commotis alis trãſuolauit, & poſt hoc nullum ſignum inuenitur, itineris illius: aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aer continuò in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius: ſic, & nos nati continuò deſinimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum voluimus oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus, &c.*

Sapient. 5.

In malignitate autem noſtra dico conſumpti ſumus, & meritò nàm quid profuit nobis ſuperbia? quid nobis diuitiæ contulerunt? attende, quid narrat Diuus Franciſcus de Paula opuſculo ſeptimo cap. 6. de familiarijs alloquijs ad diuerſos: *Quod Rex Galliæ Ludouicus vndecimus, in perſona propria ad eum porrexit, magno marſupio pleno aureis nummis, vt in ſecreto ſaltem ipſum perſuaderet, vt eos reciperet; cui Sanctus: Neque Rex, quæ à maieſtate tua mihi offerunt, neceſſaria ſunt, neque neceſſarium eſt tibi, velle adipiſci, quod tentas; melius erit reſtituas, quod alienum retines, & agere de æterno, quia ſic poſteà citiùs temporale lucraberis: alleuia ab impoſitionibus vaſſallos tuos, quia ſic apud Dominum magis acceptæ erunt eleemoſynæ tuæ, maximé, cum tàm mala valetudine vitam ducas infirmam, & periculoſam, & hoc tibi ex parte Dei notum facio, quia citò futurum eſt, vt breui finiatur; parum credas adulatoribus: & bonis in credendo nẽ adhibeas difficultatem, nàm Regia magnitudo non debet vilium hominum voluntati aſſentiri. Vide Rex, quod hi te decipiunt, & ego ſcio, quod nàm multum temporis erit, quod valdè mihi auſculaturus es, quia Dominus hæc omnia approbabit. Ideò quadam die Sanctus Pater, iuncta manu ſua, cum manu Regis, manus ad manum ſtantes, dixit Beatus Pater: Pietas Catholica ò Rex, magis ſplendere debet in Principibus, & etiam morum moderatio, & bonum exemplum eorum, quo populos potenter cõponunt: quod ſi Principis exemplum malum eſt, pluſquam malum exemplum ſubditorum nocet. Pondus diuinæ iuſtitiæ non eſt perſonarum acceptio, neq; apud eam Reges excuſabũtur, quia dicit Dominus: Potentes poten-*

D. Francif. de Paula. opuſc. 7. c. 6.

lib. 1. c. 9. 2.

lib. 1. c. 9. 3.

tenter tormenta patientur, & in Rege recogitabit Deus qualiter tot, talibuſque acceptis donis, (ſcilicet, quod fuerit cum immediatum miniſtrum ſuum) correſponderit, &c. Hæc ille, Diuus nempè Franciſcus de Paula.

Immò idem Sanctus, ſupra capitulo quinto, corrigere volẽs de reſtitutione Regem Neapolis (qui locum ei obtulit, vbi monaſterium ſuæ Religionis ædificare poſſet.) Cumque ſe excuſaret Rex, quod nihil haberet, quod reſtituere, cum alienum nõ

l.1.c.8.a.7. retineret; dixit Sanctus: *Impoſitiones, & Gabellæ, quas quotidiè exigi facis à tuis ſubditis, ſanguis pauperũ ſunt, bona aliena ſunt, & ea reſtituere debes; quia ſi in hoc Mundo non inueniunt pauperes iudicium, non deficiet eis in conſpectu Dei contra Reges Chriſtianos: quod ſi cognoſcere hanc veritatem deſideras, porrige mihi monetam vnam.*

Porrexit autem Rex Sancto Patri vnum ſcutum, quod à Sancto, manibus ſuis confractum facilitate maxima, & ſanguine, coram omnibus vndequaque di-

l.1.c 8.a.7. ſtillante; *Dixit Regi: ſanguis pauperum eſt hic, qui clamat in Cælum.*

Sed quid dicam, de Alexandri Magni Imperatoris iuſtitia? qui quamuis magnis precibus, ac ſummiſſionibus à ſua matre D. Olympia rogatus, vt pedagia ſuis imponeret ſubditis, & mortem alicui contradicenti traderet; imperterritus, ſuæ matris reſiſtit voluntati, dicẽs: *Quamuis ò mater, vt mater, iuſtam popoſcis mercedem; hominis enim vita, nullo compenſatur beneficio.* Ita Franciſ. Senen. lib. 3. de inſtitut. rerum public.

Et Diuus Fulgentius homilia 10. de Rege Salomone loquens, inquit: *Dicebat Salomon, Domine da mihi ſapientiam, & ſcientiam, vt ſciam inter iuſtum, & iniuſtum iudicio ſecante diuidere, nè mea tibi ſententia incipiat diſplicere, & incipiat populus tuus ſub meo, tàm paruo, & minùs inſtructo examine laborare.* Quare. D. Fulgent. homil. 10.

Populus, laceratas per dona, inſpiciens leges, laborare, ac tumultuare incipit; quapropter Rex Alcamenes, altiora defugiuit, atque recuſauit dona, nè iuſtitiæ leges corrumperet, quemadmodum Plutarchus in Apologia Regum notat: *Si recepiſſem (dicebat Rex) pacem cum legibus habere non poteram; ò mentem Regis dignam, quæ magno, ac celeberrimo lucro, legum authoritatẽ antepoſuit, &c.* Plutarc. in Apolog.

Vndè dicere ſolebant Solonus, & Anacarſes, (vt ſcribit Valerius Maximus li. 7. c. 2. & Laertius lib. 1. c. 3.) quod leges ſunt inſtar aranearũ telis, in quibus parua, ſeù exigua animalia hęrẽt, per quę pauperes deſignantur; fortia verò erumpunt, & hi ſunt diuites, ſuis donis omnia erumpẽtes, quare Valerius Maximus, inquit: *Leges aranearum telis ſimiles eſſe, in quibus infirmiora animalia hærent; validiora prærumpunt: ita* Valer. max. lib. 7. c. 2. Laert. lib. 1. c. 3.

le-

leges,humiles,ac tenues conſtringunt: à potentioribus autem,impunè violātur,&c.

Demum,ad vos Principes me vertor, ſimulque,cum Propheta Michæa c. 7. Michęa vobis loquor; capitulo tertio dicente? *Audite Principes Iacob,duces domus Iſrael.Numquid nō veſtrum eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonum,& diligitis malum; qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum? qui comederunt carnē populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt;& oſſa eorum confregerunt,& conciderunt.Tunc clamabunt ad Dominum,& non exaudiet eos, & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo, ſicut nequiter egerunt in aduentionibus ſuis.* Vbi D.Hieronymus ait: D. Hieron. *Manifeſtè aduerſus Principes Iſrael ſermo eſt,& ſub metaphora aduerſus huius ſeculi Principes,qui clamabunt ad Dominum,& non exaudientur,quia nec ipſi rogantes audierunt,extendent manus ſuas ad Dominum,& Deus auertet faciē ſuam ab eis,quia,& illi auerterunt à precantibus vultum, hæc patientur, quia leones fuerunt.Ecce tibi,quid faciet Dominus, cum in ſuprema illa die,cauſam agnoſcat,ſtatuat, & iudicet,reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua, & qui in proximum crudelis eſt,Deum tantæ iniquitatis uindicem acerrimum experietur.*

Digitized by Google

CAPITVLVM SEXTVM.

An Princeps veluti Salomon dici poſſit ſubditorum Paſtor.

Verba mea auribus percipe Dominè, intellige clamorem meum.

Exodi 3.

CVrioſum, atque admirabile myſteriũ, in Exodi libro cap. 3. & 7. Sacra narrat Scriptura. Quéadmodũ Moyſes antequam ad Principatum perueniret, paſtoris coluit officium; ita Sacer textus: *Moyſes autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui, cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, vocauit eum Dominus; Moyſes Moyſes, qui reſpõdit, adſum. At ille. Vidi afflictionem populi mei in Egypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præſunt operibus, ideò veni, vt educas populum meum filios Iſrael de Ægypto, vndè conſtituo te Ducem, & Principem populi mei. Immò in Deum Pharaonis, vt capitulo ſeptimo habetur.* Itaq; Moyſes poſt nuptias præfuit gregibus ad Principatũ ſe præparans; additare volens omnipotens, neminem poſſe maturè, & cautè Principatus nomine gaudere, niſi priùs Paſtoratus exercuiſſet officium. Audite Phylonem Hebræum lib. 1. de vita Moyſis, quomodo eximiè, atque egregiè hiſce factum deſcribit. *Paſtoralis ars ad Regni præludium; ideò Reges cognominantur paſtores populorum, non contumeliæ, ſed honoris gratia, rideat qui volet, ſolus poteſt eſſe Rex vndequaque perfectus, qui benè colet arte paſtoritia, vt curando minora animalia, dicit quomodo præeſſe debeat præſtã-*

Phylo Heb. lib. 1. de vi. Moyſis.

D. Greg. in ſuo paſtor. c.18. *tioribus*. Et D. Gregorius in ſuo paſtorali c.18.inquit: *Deus natura omnes homines æquales genuit, ſed variante meritorum ordine, alios alijs culpa poſponit, quia ipſa diuerſitas, quæ acceſſit, ex diuino iudicio diſpenſatur*. Quare Salomon, Paſtoris inſtar imperauit in diebus pacis, cui ſubiecit Deus omnes hoſtes 3.Reg. 10. Vndè antiqui Patres noſtri non Reges hominum, ſed paſtores hominum memorantur. Et Petrus Rauennenſis in ſuo exemplari epiſt. 5. idē ſentit, dicens: *Ad reprimendas inſolentias ſubditorum perſpiciens è Cælo iuſtitia erexit in populis regnātium ſolia, et diuerſorum Principum poteſtates, qui eos reprimere poſſet quamuis amore non terrore, veluti Paſtor, qui proprias oues paſcit, & nutrit*. Verùm quidam Rex Romanorum ſcripſit cuidam Regi Francorum: *Quod Rex illitteratus, eſt quaſi aſinus coronatus*. Ideò ille Magnus Alexander dicebat: *Imperium in virtute, & decore exiſtere*. Et in libro de vita, & moribus Phyloſophorum, de Salomone legitur dixiſſe: *Populi Rector, ſeù Paſtor priùs ſe, quam populum rectificare debet*. Alioquin erit, vt ille, qui vmbram curuam rectificare conatur, priuſquam virga curuā vmbram faciens; ſi ergo Rector ineptus eſt, quomodo poteſt alios compeſcere. Vndè Prouerbiorum 30. dicitur: *Per tria mouetur terra, quartum non poteſt ſuſtinere. Per ſeruum, cum regnauerit. Per ſtultum, cum ſaturatus fuerit cibo. Per odioſam mulierem, cum in matrimonium fuerit aſſumpta. Et per ancillam, cum hæres fuerit Dominæ ſuæ*. Tales cum Principatus fuerint aſſecutæ, non permittunt aliquem ſecum viuere, teſte Ariſtotele lib. 5. Polyticorum ex dictis Beantis Phyloſophi dicētis: *Quod Principatus, virum oſtendit*; quia malus, dùm habuerit poſſe, oſtendit malitiam ſuam. Si quis vellet alium cognoſcere qualis ſit, committat ſibi Paſtoratus officium, ſtatim oſtendit malitiam ſuam, quod eſt valdè ſtultum, teſte Boerio lib. 2. de conſolatione proſa 5. & Ariſtoteles loco nuper citato inquit: *In Principatu requiritur Paſtoralis amor, non partialis affectatio*; quēadmodum Paſtor ille, per vnam ouem, nonaginta in deſerto reliquit.

Salomon. · 3.Reg.10 · Petr.Rau. · Mag. Alex. · Salomon. · Prouerb 30 · Boet. lib. 2. de conſola. pro.5.

Modo quæritur, quęnām eſt ratio, quod Euāgeliſta Matthęus in capite decimo, loquendo de illo Chriſti præcepto. *Nihil tuleritis in via, neque peram, neque virgam*. Et Sanctus Euangeliſta Marcus cap.6. inquit: *Et præcepit eis, nè quid tollerent in via, niſi virgam tantùm*. Hæc eſt (vt omnibus patet) manifeſta contrarietas. Vnus dicit, quod feratur virga; alter verò non; Rupertus Abbas tom.3.lib.8. in Matthęū hoc dilucidando enigma ait: *Duæ virgæ ſunt, altera Regum gentium, altera diſcipulorum Chriſti: Virga Regum gentium, virga eſt dominationis, ſcilicet virga paſtoralis offi-*

Math.10. · Euangel. Marc. · Rup Abb.

officij, virga diſcipulorum Chriſti, virga dilectionis,illa virga,quæ Dominationis eſt, nempè paſtoralis officij ſuper curam animarum ſollicitæ vigilantis non interdicitur, ſicut hæc dilectionis, nempè ſubmiſſionis, & humilitatis,ergò Principes meritò uocari, & dici poſſunt ſubditorum paſtores.

En Princeps Dauid, qui ſuarum ouium, ideſt ſubditorum fuit ita zelotes,quod millies pro ipſis mortem vellet ſubire. Ecce venit Angelus, ita ferox cum gladio vtraque parte acuto, interficere populum. Et Princeps Dauid ad prębendum alijs Principibus exemplum: vt veri Paſtoris officio fungeretur, ſuam propriam expoſuit vitam dicendo,contra me obuerte gladium, & non contra oues meas, populum meum, & ſubditos meos.

D.Ambr. Diuus Ambroſius Apologia Dauidis cap.7. *Vis videre etiam Principem Dauid boni Paſtoris diffinitionem, quæ hic deſcribitur adimplere. Cum enim Angelus in populum deuiſſet, & euaginato gladio multos interfeciſſet, tanquam bonus Princeps morti ſeipſum obijciens, vocem, eleuauit dicens,egoſum, qui peccaui,ego qui inique egi,iſti qui oues ſunt, quid fecerunt?* Et hoc vtique dicebat ſponſa in Cantica: *Trahe me poſt te*; ad trahendum erga ſubditos Principum corda,tanquam ſubditorum veri Paſtores, requiritur in ouibus, ideſt in ſubditis obedientia, ſimulque beneuolētia: *Oues meæ vocem meam audiūt*; Ecce obedientia: *Et cognoſcunt me meæ*; Ecce beneuolentia. Et ſi aliquando conceditur ouibus tondere lanam, non verò tollere vitam; Nàm mortua oue, nec lac,nec lanam accipere poſſunt.

Sed non parum obſtupeſco de Apoſtolo Petro,de quo canit Eccleſia: *Tū es Paſtor ouium, Princeps Apoſtolorum.* Vbi aduertite, quod primo eum vocat Paſtorē ouium,deindè Principem, confirmando,quæ nuper dixi, quod ad Paſtoratum, nomen Principis ſubſequitur.

Amplius miror, quod diſcipuli videndo Chriſtum ſuper maris aquas deambulare, quam linceis oculis Ioannes inſpiciēs, vix dixit Dominus eſt,quod Petrus illicò,abſque vllo temporis interuallo: *Miſit ſe in mare*. Maximoperè Sanctus Petrus Chryſologus Ser.78.admiratur: *Quomodo? Petrus dùm ſimul in piſcatu, cum alijs inueniebatur diſcipulis, paulum nòn expectare poterat? & in cimba, ſeù lembo, cum alijs diſcipulis ad Chriſtum pergere? Non enim longè erant à terra.* Immò adde, quod Petrus,vt audiuit, *Dominus eſt*, cum veſtibus miſit ſe in mare;quod alij Nautæ non faciunt: *Tunica ſubcinxit, & miſit ſe in mare*. Dubium ſoluit Chryſologus loco citato dicens, quemadmodum Petrus fuit primus in Principatu. Primus quoque eſſe debuerat pro ouibus in vitæ periculo,Chryſologus: *Vt eſſet primus in redditu, qui acceperat in ordine* D. Petrus Chryſol.

Prin-

Principatum. Et hoc, vt Principes Deum recognoſcant, cum ſuorũ obſeruantia pręceptorum, à quo Principatum acceperunt.

Neque longè ab hoc illa tri-
Aug.to.10. ſer.49. de verb. Dom. in Ioan. na Chriſti Petro interrogatio: *Petre amas me*. Quaſi diceret, inquit Diuus Auguſtinus tom.10. ſer. 49. de verbis Domini in Ioannem: *Quid mihi dabis, quid mihi præſtabis, quia amas me*, ipſemet replicat Chriſtus, ſuum explicans deſideriũ: *Paſce oues meas*.
Auguſt. Nunc myſterium intelligo, ait Auguſtinus, nã affirmatus Chriſtus ter de Petri voluntate: *Tu ſcis Domine, quia amo te*, illicò ſubiunxit: *Paſce oues meas*; ad denotandum, quod nulla alia obligatio reperitur in Principe, vtpotè Paſtore, quam ſuorum ſubditorum ſalus, bonorumque conſeruatio, Auguſtinus: *Quid erat præſtaturus, Petrus reſurgenti Domino, & eunti in Cælum, atque ſedenti ad dexteram Patris? (reſpondit) quaſi diceret, hoc mihi dabis, hoc mihi præſtabis, ſi amas me, paſce oues meas, ideſt ſi amas me, curam habes de ouibus meis, & ſubditis tuis, vt nõ delinquant in corde ſuo*; iuxtà illud
Pſalm.14. Prophetæ Dauid pſal.24. *Legem dabis delinquentibus in via*.

Ideò volens Omnipotens, Ieremiam in Principem ſui popu-
Cap.1. li conſtituere dixit: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes*: Immò ipſum in Monarcham, & Imperatorem ſuper omnes Reges, & Princi-
Cap.1. pes terræ coronauit: *Ego quippè dedi te hodie in Ciuitatem munitã, & in columnam ferream, & in murum æneum ſuper omnem terram Regibus Iuda, Principibus eius, & omni populo terræ*. Et illicò dedit Cap.1.
illi totius terræ Sceptrum Reale, Sceptrum Monarchiæ. *Virgã vigilantem ego video*. In hæbraica lectione de hac virga, ſeù Scæptro, magnum inuenio myſteriũ, iuxtà Pagnini lectionem: *Virgam* Pagninus.
ex amigdalo celeriter florentem ego video: notate verba. Virgam ex amigdalo, ideſt Sceptrum ex amigdalo, quæ arbor citò floreſcit, de qua Alciatus ſcribit: *Cur* Alciatus.
citò præparans præmittis amigdole flores? Et vt naturales referunt, aliquam in ſe huiuſmodi arbor particularem continet qualitatem, nempè, quod ſub capite poſita, ideſt ramus eius, ſed floridus ſomno priuat. Modo dico, quando Omnipotens Deus, Ieremiam in Principem, in Regẽ, in Imperatorem, in Monarcham totius terræ ſuper omnes Reges, & Principes conſtituit dicendo: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper omnem terram Regibus Iuda, & Principibus eius*; quid ſubiũxit? *Vt euelles, & deſtrues, ædifices, & plantes*: quaſi diceret. Ego cõſtitui te in Principem, & Monarcham populi mei, vt à peccatis eos depurgas, euelles odia, laſciuias, vſuraſque deſtruas, Diuinũ ædifices cultum, & meorum pręceptorum obſeruantiam plantas, quapropter dedi tibi vigilãs Scæptrum, nempè virgam vigilantem ex amigdolę arbore cuius

ius qualitas eſt, ſomno priuare, ad denotandum, quod maxima in Principibus, vt veri Paſtores erga ſubditos requiritur vigilātia, quorum defectus, & crimina ad Principem pertinet rationem reddere. Sanctus Petrus Damianus lib. 4. epiſt. 3. *Quid eſt, quod tibi ſoli vigilas? & his pro quibus priorem exigendus es rationem, tàm ita ſecurus dormis?* E ſi Principes ſunt morum probitate fulgidi; hæc tantummodò condictio, multum ſubditis confert, qui Principum veſtigia obſeruant, vt imitare valeant: ita Quintilianus declamatione 4. *Hæc eſt Principum condictio, vt quidquid faciūt præcipere videantur.* Et Spiritus Sanctus Eccleſiaſtici c. 10. *Qualis rector eſt Ciuitatis, tales, & habitantes in ea.*

Petr. Dam lib. 4. ep. 3.

Quintil. declam. 4.

Eccl. c. 10.

Quæquidem Principum condictio, dùm, ita bonos parturit fructus, & vt bonus Paſtor, ad præbendum ſubditis exemplum, ſuas naturales refrenat proprietates; ab alijs ſucceſſoribus proſequi deberentur, iuxtà illud Theologorum aſſioma, omne bonum eſt ſui ipſius diffuſiuum. Vndè in libro Numeri lego cap. 27. Quod reuelauit Diuina Maeſtas ſuo Principi Moyſi in completorio vitæ ſuæ, atque præcepit, vt in Montem Abarim aſcēderet, & terram contemplaret, quam filijs Iſrael daturus erat: *Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare indè terram, quam daturus ſum filijs Iſrael, cumque videris eam, ibis, & tù ad populum tuum.* Miror de Principe Moyſi, qui dùm eſſet morti propinquus, non petijt prolongationem vitæ, ſed ſui ſucceſſorem: *Nè ſit populus, ſicut oues abſque Paſtore. Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hāc.* Et Deus ſtatim voluntati illius conſenſit dicendo: *Tolle Ioſuè filium Num, virum in quo eſt Spiritus Dei, & pone manum tuam ſuper eum.* Et poſt pauca immediatè ſubdit: *Et dabis ei partem gloriæ tuæ.* Per hanc partem gloriæ aliqui ſentiunt Doctores, Principatus inſignia. Oleaſter verò inquit: *Pones de deſcenſu tuo ſuper eum.* Sed quæ proportio inter gloriam, & deſcenſum: Gloria dignitatem denotat, deſcenſus humilitatem: Vndè replicat Oleaſter: *Dignus eſt locus iſte, vt ſumma conſideratione expendatur.* Nàm vnire duo inter ſe contraria, gloriam ſcilicet, & deſcenſū, ideſt celſitudinem, & humilitatem, magnum includit Sacramētum, & qnale eſt. Oleaſter *Non dicit pone de tua dignitate, de tua maeſtate, aut poteſtate ſuper eum, ſed de tua humilitate, vt diſcat à te, quia mitis es, & humilis corde.* Quæ virtus magnoperè in Principe ad aliorum exemplum relucere debet. Vndè Diuus Hieronymus ad Galantiam Matronam, de ratione piè viuendi tom. 1. ait: *Humilitas eſt conſeruatrix cæterarum virtutum;* igitur ſi humilitas eſt in Principe, tamquam in humili

Num. c. 27.

Oleaſt. hic.

D. Hieron. ad Galantiā matronam.

Pa-

Paſtore, qui humilem ouem paſcit, omnes in eo fulgent virtutes,& ſi ita,ergo,& ſubditi,quia,
Quintil. vt dixi,cum Quintil. *Hæc eſt Principum conditio,vt quidquid faciũt, præcipere videantur*. Et hoc erat præcipuum Dauidis memoriale, quod iugiter Deo præſentabat, & tamquam ſui cordis victima exhibebat, vtpotè veri Principis, & Paſtoris, nempè humilitas,
Pſal. 131. ita pſalmo 131. *Memento Domine Dauid,& omnis manſuetudinis eius,ſicut iurauit Domino, votũ vouit Deo Iacob.*

Quapropter Chriſtus Dominus humilitatis exemplo, atque prædicationis cauſa in Capharneum morabatur. Vbi Cæſaris tributũ,aliquãdo exigebant: En vnus ex exactoribus Petro dixit:
Matth. 17. *Magiſter veſter non ſoluit digrachma.Chriſtus hoc audiens,Petrum ad ſe vocauit impenens ei: Vade ad mare,& mitte hamum, & cum piſcem,qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore, inuenias ſtaterem, illum ſumens,da eis pro me,& te.* Statim Petrus obediuit, & quod Ieſus iuſſit,fecit. Maximopere de hoc
Eminentiſs. Caiet. admiratur Eminentiſs. Caietanus,præcipuè, quia Deus miracula non niſi in neceſſitate patrat, aliter fruſtrà exiſtimarẽtur. Nunc dico, Collegium Apoſtolorum in communitate viuebat, & Iudas,qui loculos habebat,diſpenſator erat;ergo Chriſtus ad quid Petrum mittere in mare ad capiendum cum hamo piſcem, & aperto eius ore,ſtatere inuento,illum ſumendo, dare eis pro ſe,& Magiſtro? Nonnè Iudæ dicere poterat; Solue pro me, & vobis omnibus, ergo piſcis eſt depoſitarius, ergo Iudas non amplius diſpenſator. Eximiè reſpondet Caietanus in Matth. 17. Caiet. in Matth. 17.
Notandum eſt,quod Ieſus, quamuis loculos communes habuerit apud Iudam:noluit tamen communibus vti, ad proprium perſonalemque debitũ perſoluendum, exemplum præbens Superioribus,vt communibus ſubditorum bonis,non vtantur ad propria. Qui legit intelligat; qui habet aures audiendi audiat.Senſus literalis eſt,quod abſtineant Principes ſubditis taxas, atque vectigalia imponere (vt in dies obſeruatur) ad perſonale debitum perſoluendum.Hinc tumultus,hinc rebelliones, hinc lites, hinc iurgia. Caue caue. Bonus Paſtor,ideſt bonus Princeps, dũ lac,& lanam ab oue recipit, pellem nequaquã deſiderare. Nàm pellem pro pelle totus grex,ideſt totus populus peribit.

Audi quæſo, rebellatus eſt populus contra Dominum, qui videns, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore,penituit, quod hominem feciſſet in terra. Vocauit indè Moyſen,cui dixit:
Vade deſcende peccauit populus, quẽ Exod. c. 32.
eduxiſti de terra Ægypti, receſſerũt citò de via,quam oſtendiſti eis:fecerunt ſibi vitulum,quem adorauerũt, & cum duræ ceruicis ſit iſte populus,

dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos. Moyſes hæc Domini verba audiens, valdè in corde attriſtatus eſt. Et conſiderās ex vna parte Deum iratum, ex alia populi ignorantiam: vti bonus Princeps, & Paſtor, Dominum orauit dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*. Vide, erga ſuum populum amoris excellentiam, vide charitatis præſtantiā, maluit celeſtem gloriam perdere: *Dele me de libro vitæ*: quam populi punitionem, magis curat de populi venia, quā de Dei gratiæ amiſſione. Miror ò bone Paſtor, & Princeps de hac tua nimia charitate, ac amoris excellētia. Neſcis forſitan Chriſti verba? *Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum Mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Vis Deum propter hominem perdere? Hæc charitas non vrgit nos ſed ſufficere orare, & obſecrare pro illis. Ipſi peccauerunt in Deum, & ipſi Diuini furoris irā experibunt, & non tu bone Paſtor, & Princeps, ergo quare dicis, aut dele me de libro vitæ, aut dimitte eis. Diuus Bernardus ſer. 12. in Cant. inquit, quod verus Princeps, magnanimus Princeps reſpectu ſui populi, non ſolùm, vt paſtor, ſed inſtar quoque piæ matris ſe habet, quæ quia pluſquam ſe, filium amat, ſi ad nuptias vocata fuerit, potiùs defugeret nuptias, quam proprium deſerere filium: ita Princeps Moyſes, quia tanquam pia mater, ſuum diligebat populum, non diſplicebat gloria priuari diuina: nec facie ad faciem Deū videre, vt populus, veniam obtineret. Bernardus: *O verè Principē vnctum vnctione miſericordiæ, loquitur planè parentis affectus, quam nulla poteſt delectare felicitas, extorribus quos parturiuit. Ita nec Moyſi, ſe ſolum introduci in gaudium Domini ſui, foris ſcilicet remanente populo, cui licet inquieto, & ingrato, vice pariter, & affectione matris inheret: dolēt viſcera, ſed tolerabiliorem ſi foreiudicat terſionem, quam euulſionem*. Diſcant, diſcant huius ſeculi Principes, qui tanquam veri Paſtores pro ſubditis debent propriam deponere gloriam, & quandoque perdere vitam. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*. Et non tollere iniuſtè ſubditis vitam, quæ quamuis, cū armis non tollatur, multoties tollitur auferendo à ſubditis eorum bona, quæ deficiendo, panis deficit, & deficiente pane, deficit vita, & deficiente vita, tollitur vita, iuxta illud Eccleſiaſtici 34. *Qui aufert panem, occidit proximum ſuum*. Ergo ad occidendum ſubditos, non requiruntur arma bellica, ſed tantummodò eos bonis priuare.

Matt. c. 16.

Ber ſer. 12. in Cant.

Eccl. c. 34.

Verùm hoc Paſtoris nomen propriè Prælatis conuenit. *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ*. Percontatur mellifluus Bernardus ſer. 30. in Cantica. Quare Chriſtus

D. Bern. ſer. 30. in Cant.

ſtus Apoſtolum Petrum ſuæ Eccleſiæ Paſtorem declarauit: *Tu es paſtor ouium, tu Princeps Apoſtolorum*. Huius dubij reſponſio ex Euangeliſta Luca cap. 2. habetur: *Domine tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ira*; quaſi

Ad Rom. c. 8. diceret, cum Diuo Paulo: *Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius, nec ipſamet mors, nàm tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire*. Audiens Chriſtus, Petrum paratum mori; ergo tù es bonus Præſul bonus Paſtor: *Nam bonus paſtor dat animam ſuã*

Bernar. *pro ouibus ſuis*. Bernardus: *Quia Petrus paratus erat, & in carcerem, & in mortem ire, vſque adeò ſua vineæ, ideſt ſua animæ non detinebatur amore, quo minùs curam intenderet animarum, ſubiungit, tù es Paſtor ouium Princeps Apoſtolorum*.

Quiquidem Prælati, à Deo ſunt electi, vt docet Diuus Gre-

Greg. Naz. or. 3. gorius Nanzianzenus orat. 31. qui volens baculum renunciare paſtoralẽ, à ſuis ſubditis licentiã

Geneſ. 22. petijt, qui reſponderunt: *Quem igitur ſubſtituemus*. Dixit Sanctus *Videbit ſibi Dominus Paſtorem ad præfecturam, quemadmodum ouem vidit ad holocauſtum*. Nàm Iſaac, dùm ſimul cum Patre Abraam in montem ibant ad ſacrificandum, dixit patri, vbi eſt victima ad ſacrificandum. Reſpondit: *Dominus prouidebit fili mi, & vidit arietem inter vepres*. Modo dico ſi Dominus de animali prouidit pro ſacrificio, tantò ampliùs de homine pro Paſtore. Vndè quãdo eligitur Prælatus; quaſi pro ſuorum ſubditorum ſalute ad ſacrificium ducitur, quemadmodum ouis ad holocauſtum, inquit Gregorius: Ergo Prælati à Deo ſunt electi.

Et ſi à Deo Prælati ſunt electi, ait D.Bernar. Ser. 77. in Cã- Ber. ſer. 1. in Can.
tica, debent ſuam ſponſam, nempè Eccleſiam diligere, & defendere, & non eam prędare, & ſpoliare. Cantica: *Inuenerunt me vi-* Can. 5.
giles, qui cuſtodiunt Ciuitatem, vulnerauerunt me, tulerunt pallium mihi. Prælati ſunt iſti, inquit Ber- D. Ber. ſup. ecce reliq.
nardus, qui Eccleſiæ ſponſæ ſuæ pallium tulerunt ad ſeipſos eorumq; conſanguineos veſtiendos: *Heù pauci admodum ſunt, qui non quæ ſua ſunt quærant ex omnibus charis ſuis, diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, quia manus dederunt mammonæ; intuere quomodo incedunt nitidi, & ornati circumamicti varietatibus, tanquam ſponſa procedens de thalamo ſuo; & poſt pauca. Indè eſt, quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta hiſpida exanguis, propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare, non eſt cuſtodire, ſed perdere, non eſt defendere, ſed exponere, non eſt inſtituere, ſed proſtituere, non eſt paſcere gregem, ſed mactare, & deuorare*. Et idem mellifluus Bernardus, pauperes valdè compatiens, ſuper ecce nos reliquimus omnia inclamat. *Prælatus non ſibi*

de bonis Eccleſiæ ampla palatia fabricet, mutans quatrata rotundis, nec loculis indè congreget, nec in vanitate, aut ſuperfluitate diſpergat: non extollat de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos, aut neptes, nec filias nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare, ſacrilegij crimen eſſe dignoſcitur, ſanè patrimonia pauperum facultates ſunt Eccleſiæ. Vndè de ſeipſo ſubiungit Diuus Auguſtinus Serm. 3. de tentatione Chriſti in deſerto: *Non ergò debemus habere temporalia ad poſſedendum, nec ego, qui Epiſcopus ſum habere debeo, niſi tantùm ad diſpenſandum, quia bona Eccleſiarum, patrimonia pauperum ſunt.*

Aug. ſer. 3. de tēt. Chriſti in deſer. to.

Quare Oleaſter in Numeris cap. 14. docet: *Prælatos non debere velle prælaturam, etiam in meliorē mutare, miſerenda res eſt in Chriſtianiſſimo non videre Epiſcopum, aut Prælatum, qui aliam prælaturā maiorem, aut pinguiorem non deſideret, & ad eam non inhiare videatur.*

Oleaſter in Num. c. 14.

Vndè Angelicus Doctor ſuper illa verba Apoſtoli Pauli ad Hebræos cap. 13. *Ipſi enim peruigilāt, quaſi rationem pro animabus reddituri,* ſubiungit: *Hoc eſt enim maximum periculum, hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro ſuis non ſufficit.* Vaticinatum eſt hoc, ſcilicet de ratione, quam Epiſcopi, ſeù Prælati reddent in die Iudicij de ſibi commiſſis à Hieremia Propheta cap. 13. dicente: *Vbi eſt grex, qui datus eſt tibi? pecus inclytum tuum? quid dices cum viſitauerit te?* Quapropter D. Ioānes Chryſoſtomus hæc ſubdit verba: *Omnium quos regis virorum, & mulierum, & puerorum reddenda eſt ratio, tantò igni caput tuum ſubijcis? miror enim ſi poteſt ſaluari aliquis Rectorum.* Riguroſa ſentētia. Cæcus, qui cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Cæci aulici adulatores, qui blandis verbis propter ſolummodò complacētiam, quod rationi diſſonum eſt perſuadent; ſed magis cæcus, qui ipſis aurem præbet ad iniuſtè operandum: igitur quid mirum, ſi omnes in foueam cadunt, quod Deus auertat, ò vtinam.

D. Thamas ad Hebr. c. 13.

Hier. c. 13.

Chryſoſto. ſuper Hieremiam.

Sed audiamus tantiſper D. Bernardum lib. de conſideratione ad Eugenium dicentem: *Peruerſa res eſt ſedes prima, & vita ima, caput canum, & cor vanum, frons rugoſa, & lingua nugoſa, ingens auctoritas, & nutans ſtabilitas. Nàm veritas nunc expirauit, mendacium, & falſitas regnant. Non curant Deum, nec Mundum, nec literas, nec ſigilla, nec iuramenta, nec fædera.* Et Magiſter Petrus lib. 2. de Regimine viri fortis cap. 37. *O quoties indigni, digniſſimis præferuntur, & ò quoties indigni, digniſſimoſiudicātiſalienorum ſeuerior, ſuorū quiſque fauorabilis, multi ſe indignos dicunt pauci credūt:* hęc ille. Et D. Bernardus loco nuper citato, cōqueritur dicens: *Quem mihi de numero Præpoſitorum dabis, qui non plus inuigilat marſupijs ſubditorum euacuandis, quam vitijs extirpandis pro tunc nocentibus, & innocentes inuadunt.*

D. Bern. de conſider. ad Eug.

Mag. Petr. lib. 2. de regimine viri fortis c. 37.

D. Bern. lo. cit.

Vn-

Vndè ad propoſitum de marſupijs euacuandis in hiſtorijs legitur. Fuit quidam Clericus, qui vnum habuit canem, quem excellenter diligebat, mortuo cane ex amore eum ſepeliuit in Cimiteriũ; Citatus propter hoc ab officiali ſuo, qui veniens dixit ei, cur canem in Cimiterio ſepeliſſet, quod propter hic vellet eũ corrigere, & punire.

Reſpondit Clericus, ideò hoc feci, quia valdè rationalis erat, & fecit teſtamentum, ſicut homo, etiam contulit vobis in teſtamentum, florenos decem, & ait Officialis, vbi ſunt illi floreni? Reſpondit Clericus, hic ſunt, & proiecit eos ante officialem præueniens eius correctionem, & punitionem: tunc ait officialis, ſi fuit ita rationalis permittatur eum in Cimiterio iacere. Ecce, quod primum non fuit licitum, data pecunia fuit licitũ.

Quare Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 185. art. 1. ad primum, hæc habet verba: *Non amandus eſt honor in hac vita, ſiuè potentia, quoniam omnia vana ſunt ſub Sole, ſed opus ipſum, quod per eundem honorem, vel potentiam fit. Et vt Gregorius dicit in paſtorali*, par. 1. cap. 8. *Laudans deſiderium, ſcilicet boni operis, in pauorem vertit protinus, quod laudauit, cum ſubiungit. Oportet autem Epiſcopum irrepræhenſibilem eſſe, quaſi dicat: laudo, quod quæritis, ſed diſcite, quid quæritis*. Ideò Diuus Chryſoſtomus hom. 35. in Mattheum tom. 2. notat; *Opus quidem deſiderare bonum, bonum eſt: priuatum autem honoris cõcupiſcere, vanitas eſt. Primatus enim fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe horret*. Sicut Diuus Gregorius in paſtorali par. 1. cap. 8. aduertit; *Quod tunc laudabile erat, Epiſcopatum quærere, quando per hunc, quemquam dubium non erat ad ſupplicia grauiora peruenire*. Quare ſubiungit Diuus Auguſtinus lib. 19. cap. 19. tom. 5. de Ciuitate Dei: *Locus ſuperior, ſine quo populus Regi non poteſt, & ſi adminiſtretur, vt decet, tamen indecenter appetitur*. Nàm multoties, huiuſmodi appetitus indecens redditur, quia bonus deficit finis, quæ boni finis deficientia, ò quam magnum apud Deum attulit onus, & iſto modo ſuperioritatem appetere, melius eſſet in ardentem rogum voluntariè ſe proijcere. Nàm, vt docet Angelicus Doctor loco citato ad 2. *Ad ſtatum Epiſcopalẽ præ exigitur vita perfectio, vt patet per hoc, quod Dominus à Petro quæſiuit, ſi plus eum cæteris diligeret, antequam ei committeret paſtorale officium*. Vndè Diuus Chryſoſtomus homil. 66. in Matthæum tom. 2. ſuper illa Domini verba; Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, inquit: *Quod gentile eſt primatus cupere, & ſic gentium comparatione, eorum animam, æſtuantem conuertit*. Et Diuus Thomas loco citato, artic. 1. in corpore ait; *Quod in Epiſcopatu tria conſiderari poſſunt, ſcilicet reuerentia, & honor, & ſufficientia tempo-*

ra-

D. Thomas 2. 2. q. 185. ar. 1. ad 1.

D. Gregor. p. 1. c. 8.

Chryſoſto. hom 35. in Math.

D. Gregor. in paſtora. p. 1. c. 8.

D. Aug. lib. 19. c. 19. to. 5. de Ciuit. Dei.

D. Thomas loc. ci. ad 2.

D. Chryſo. hom 66 in Matth. to. 2

D. Thomas lo. cit. art. 1. in corp.

ralium, appetere ergo Epiſcopatum ratione huiuſmodi circumſtantium bonorum, manifeſtum eſt, quod eſt illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem: hæc ille. Et Diuus Chryſoſtomus ſuper Matthæum homil. 35. in opere imperfecto, tom. 2. ſubiungit: *Primatum Eccleſiæ concupiſcere, neque iuſtum eſt, neque vtile. Quis enim ſapiens vult vltrò ſe ſubijcere ſeruituti, & periculo tali, vt det rationem pro omni Eccleſia, niſi fortè, qui non timet Dei iudicium, abutens primatu Eccleſiaſtico ſeculariter, vt ſcilicet conuertat ipſum in ſecularem?* hæc ille. Sed quid ſcribit Diuus Gregorius homil. 17. in Lucam? audi: *Et quia eo ipſo, quo cæteris Prælati ſumus, ad agenda quælibet, maiorem licentiam habemus, ſuſceptæ benedictionis miniſterium, vertimus ad ambitionis argumentum: Dei cauſam relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Vos igitur, qui Paſtores eſtis, penſate, quia Dei animalia paſcitis: de quibus profectò animalibus Deo, per Pſalmiſtam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea.*

D. Chryſo. ſuper Matt. hom. 35. to. 2.

D. Gregor. hom. 17. in Lucam.

Sed Sacri percontantur Doctores. Vndè oritur iſtorum animalium, ille quandoque zelus? inquiunt, à rerum temporalium deſiderio, ac ambitione potius, quam ſpiritualium. Nàm experitur, quod quidam rarius cadūt, & velocius ſurgūt, nihilominus, & ſi vix aliquando cadunt, tuba cęcinit. Cadit alter, & ipſius peccatum pro pœnitentia, non indiget pergere Romam, dùm domi eiuſdem, plenarias lucratur indulgentias.

Demum concludo, quod ſi apud Deum acceptio non datur perſonarum. Ego cum acceptione loquor: nàm fuerunt, & ſunt, & ſpero, quod erunt iuſti, & boni Rectores, & Prælati Diuinæ Iuſtitiæ formidoloſi, atque ſui gregis nimis zelotes. Nihilominus dato, & non conceſſo, quod ex millibus, decem reperiantur defectuoſi.

Cum

Cum his nequaquam numerari debet.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINVS

DOMINVS VINCENTIVS LANFRANCVS

MATERANENSIS CIVITATIS ARCHIEPISCOPVS.

QVI ita celeberrimum in hac Ciuitate Materanen. ædificauit Seminarium, quod nec in Vrbe, nec in Orbe reperitur. Pro quo à Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, contra Acheruntinos, hoc præclare obtinuit decretum, nempè.

MATERANEN. SEV ACHERVNTIN. SEMINARII.

POſtquam modernus Archiepiſcopus Seminarium, à S. Concilio tantoperè commendatum, ſcutis decem millibus, & vltrà è proprio ære inſumptis, conſtruxit in Ciuitate Matheræ, Capitulum, & Clerus Acerentiæ, ad eligendos deputatos requiſiti pro taxa facienda, per inhibitionem A.C. operi tàm pio remoram inijciunt, propter vetuſtas controuerſias inter ipſas Eccleſias Acerentiæ, & Matheræ, ab antiquiſſimo tempore vnitas. Ideò ad recidendas difficultates, ac litium diuturnitates decerni petitur.

An pro manutentione Seminarij erecti Matheræ poſſit Archiepiſcopus taxare beneficia Matheranen. & Acheruntin.

Die 1. Iulij 1673. Sacra Congreg. Eminentiſs. S.R.E. Cardinaliũ Concilij Tridentini Interpretum, rationibus ex vtraq; parte deductis accuratè perpenſis, reſpondit, affirmatiuè, reſeruato Iure Clero Acheruntin. erigendi Seminarium, quo erecto, ceſſet contributio. Fr. Vincentius Maria Vrſinus Cardinalis Sancti Xiſti Præfectus. Adeſt Sigillum. S. Archiep. Brancacius Epiſc. Viterbien. Gratis etiã quoad ſcripturam.

C A-

CAPITVLVM SEPTIMVM.

An Salomonis Iuſtitia, ſicut quælibetque alia ſit Sacrificium Deo oblatum.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

ANtequam ad principalis intenti finem perueniamus, obſtupeſce cādide Lector de iuſtitiæ ſacrificio, quātum Deo ſit carum. Volens Altiſſimus, Hebræorum ſuperbiam punire, maius flagellum inuenire nequit, quam Nabuchodonoſor (qui inter ſuperbos ſuperbiſſimus, inter crudeles crudeliſſimus, inter homines, diabolicus homo) pro ipſorum
Ierem.c.25 Principe conſtituere, ita Hieremiæ cap. 25. *Et non audiſtis me, dicit Dominus, vt me ad iracundiā prouocaretis in operibus manuum veſtrarum in malum veſtrum.* Quaſi diceret, quia inobediſtis me, meam prouocaſtis iram, quæ in vobis metipſis in ruinam redundabit: *Ecce ego mittam, & aſſumā Nabuchodonoſor, Regem Babylonis ſeruum meum, &c. & ſeruient omnes gentes iſti Regi Babylonis ſeptuaginta annis.* Adnotate Spiritus sācti verba: *Ecce ego mittam, & aſſumam Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſeruum meum contra vos, qui vos dominabit, ipſiq; ſeptuaginta annis ſeruietis.*

Miror certè, & nimis obſtupeſco, quod Nabuchodonoſor, Dèi ſeruus vocetur? Nabuchodonoſor, homo ſuperbus, crudelis, diabolicus, Dei ſeruus appellatur? Nabuchodonoſor, qui veluti alter Deus adorari voluit, ſe-

ſeruus Dei nuncupatur? Et à Diuina Sapientia, vt Dei ſeruus, canonizatur? quid eſt hoc? Dei ſerui, ſunt humiles, deuoti, timorati, omni virtute pleni: quomodo igitur Nabuchodonoſor, his omnibus expoliatus, dici poſſit Dei ſeruus? Excellenter meum confirmat problema, Diuus Pater Hieronymus hic inquiens: *Quodque vocat ſeruum ſuum Nabuchodonoſor, non ſic ſeruus vocatur, vt Prophetæ, & omnes Sancti, qui verè ſeruiunt Domino; ſed quod in euerſione Ieruſalem, oblationeque iuſtitiæ, Domini ſeruiat voluntati.* Inquit D. Hieronymus, quod Nabuchodonoſor, non dicitur Dei ſeruus in hoc ſẽſu, quo Prophetæ, omneſque Sancti, qui verè, ac cordialiter ſeruierũt Deo, ſed quia voluntati, & iuſtitiæ Dei ſeruiuit in euerſione, & punitione Ieruſalem, ad indicandũ, celſitudinem ſacrificij iuſtitiæ quantum Deo placet, quod Nabuchodonoſor, homo iniuſtus, diabolicus, omni ſcelere plenus, ſuum appellauit ſeruum.

D. Hieron.

His prænotatis, modo diſquirere oportet. An opera externa ſint interni cordis ſigna.

Vndè nota: Inter reliquas ceremonias, quas Deus requirebat, vt gratum ſibi Sacrificium eſſet, illa videbatur præcipua, quod offerens, manum ſuam ſuper caput hoſtię poneret. *Ponet*, inquit Spiritus ſanctus, Leuitici cap. 1. *Manum ſuam ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, atq; in expiationem eius proficiens.* Inquirunt modo Doctores: Ad quid nàm Deus, hanc manus impoſitionẽ expoſceret, vt ſacrificium ſibi eſſet placitum, & offerenti proficuum?

D. Thomas 1. 2. q. 102. ar. 3. ad 8. Leuit. c. 1. 3. 4. 13. & 24.

Varias Abulenſis, ſimiliterq; Oleaſter, rationes tradunt, docẽtes: *Quod per illam cæremoniam voluit Deus requirere, vt is, qui offerebat, non nudam hoſtiam offerret, ſed ſemetipſum eidem coniunctum, & ſociatum.* Vndè adnotauit Diuus Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 5. dicens: *Hoc neceſſarium eſſe, vt ſacrificium Deo eſſet placitum, & offerenti proficuum.* Nàm animalia nuda, nec Deo erant grata, nec aliquid vtilitatis offerentibus inducebant. Ideò idem Auguſtinus illa Dauidis verba explicando, nempè: *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi,* inquit: *Quid eſt in me, id eſt intra meipſum, apud me ipſum, quia de te ipſo profer te ipſum, nempè voluntatem tuam, & cor tuum, intra te ſunt vota, quæ Deo reddas.* Vndè Diuus Chryſoſtomus homilia vndecima in Epiſtola ad Hebræos ad noſtrum addit propoſitum: *Holocauſta, victimæ, & ſacrificia Chriſtianorum omnium ſunt opera ſăcta, nempè iuſtitia, eleemoſyna, temperantia, orationes, laudes Deo.* Nota, quod inter opera Chriſtianorum Sancta, Iuſtitiæ primum cedit locum, quia iuſtitia, vt dixi, eſt omnis virtus. Quare Euſebius Emiſſenus in expoſitione Euangelij obſeruat. *Opus bo-*

Abulenſis, & Oleaſter ſuper Leui. q. 15.

D. Aug. lib. 10 de Ciuit. Dei c. 5.

Pſal. 55. Aug. ſuper hunc pſal.

D. Chryſo. hom. 11. in epiſtol. ad Hebr.

Euſebius Emiſſen. in expoſitione Euang.

K

bonũ,quod facis, ſiuè iuſtitia ſit, ſiuè ieiunium, ſiue eleemoſyna, ſiuè oratio, tanti eſſe apud Deum valoris, & extimationis, quanta fuerit cordis ad Deum effuſio, & voluntatis interna oblatio. Confirmat Diuus Augu-
D Aug. lib. 10. de Ciu. Dei c.6. ſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap.6.dicens: *Omnia opera bona, quæ in Deum obſequium fiunt, ſacrificia dici poſſe, inter hæc autem primum ſacrificium, quod offerre debemus eſſe illud, quo noſmetipſos Deo offerimus virtutibus iuſtitiæ indutos*. O quam præclarum eſt hoc teſtimonium, illud attentè conſidera.

Dixi, quod non nudam hoſtiã offerre debemus, ſed noſmetipſos virtutibus iuſtitiæ indutos:
Prouer. 23. c.16. ideò Prouerbiorum 23.c.16. ait Spiritus ſanctus: *Fili prabe mihi cor tuum*. Ad indicandum, in tantum externa opera, aut ſacrificia expoſcere, inquantum ſigna ſunt internæ donationis, & oblationis cordis, ac animi propterea poſt tot ſacrificia, leges, cæremoniaſque Iſraelitico populo impoſitas, quid indè prætenderet, exprimere volens ſubdit. *Et nũc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuũ, & ambules in vijs eius, & diliges eum, & ſeruies Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua*. Inquit ergò Diuus
Aug. lo. cit. Auguſtinus loco cit. *Quod ſacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificij Sacramentum eſt*. Quare pœnitens Propheta quærens Deum peccatis ſuis habere propitium ſub-

dit, pſalmo 50. *Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique, holocauſtis non delectaberis: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*. Psal. 50.
Adnotate, non vult Deus ſacrificium trucidati pęcoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis, ex quo vera iuſtitia, quæ virtus eſt, ortum habet. Volebat Sãctus Propheta ad illud inſigne ſacrificiũ Abraæ alludere, quod inter omnia, quę antiquitus Deo exhibita fuerunt, gratius, & acceptabilius fuit: *Tolle filium tuũ*
vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi. Geneſis 22.

Miror, quod iuſtus ſenex non turbatur animo, non confunditur mente, non deſtituitur conſilio, ſed illicò ad implenda iuſſa feſtinat: *Igitur Abraam de nocte conſurgens, ſtrauit Aſinum ſuum, ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum*. Diuus Ambroſius D. Ambroſ.
lib. 1. de Cain, & Abel c.8. expẽdit illud de nocte conſurgens: lib. 1. de Cain, & Abel c.8.
Quare de nocte Deus ſacrificium poſtulauit in filio, & Abraam obediẽs ſtatim diſceſſit? Reſpondet. Nè tanti egregij meriti ſi propoſitum mutaret, materiam auferret; Et perueniens ad locum, quem Deus ei deſignauit, dimiſſis pueris, & aſino, ſolus cum filio montem cõſcendit, ædificauit altare, ligna compoſuit, filium alligauit, & ſuperpoſuit, extenditque manum,

nus, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum. De quo ſpectaculo ſtupefactus Diuus Gregorius Niſſenus, lacrymas continere non poterat, & Cælũ inſpiciendo, vocemque Angeli clamantem audiendo: *Abraam Abraam ne extendas manum ſuper puerum, nec facias illi quicquam, nunc cognoui, quod times Deum, et non pepercisti vnigenito filio tuo propter me:* Spectaculum hoc perpetens, obſtupeſcens, inquit: *Quid hoc? numquid Domine ludere vis? illudere Abrahæ contendis? Nequaquam, ſed grande, diuinumque myſterium demoſtrare.* Deus non poſtulauit ad Abraam ſibi filium offerri, quod victimis declaretur humanis, aut humanus ſanguis ſibi eſſet gratus, vel ſuauis ad cibum; ſed quod Deus quærebat, erat ſacrificium cordis contriti, & humiliati Abrahæ, quare extendente Abraam manum ſuam pro filij decollatione, ſacrificiũ completum fuit, iuſſitque, vt à ſacrificio filij, ſe contineret, qui non filij, ſed cordis Abrahæ iugulum intendebat. Quod eſt externa opera, aut ſacrificia expoſcere inquantum ſigna ſunt internæ donationis, & oblationis cordis, ac animi. Confirmat hoc Diuus Thomas 1.2.q.102.ar.3. ad primum, dicens: *Quod Deus non volebat ſacrificia ſibi offerri propter ipſas res, quæ offerebantur, quaſi eis indigeret.* Vndè dicitur Iſaiæ c.1. *Holocauſta arietum; & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & hircorum, & agnorum nolui; ſed volebat ea ſibi offerri ad ſignificandum debitum ordinem mentis humanæ in Deum:* ideſt oblationem cordis, & animi, ex qua vera oritur iuſtitia.

D. Gregor. Niſſen.

D. Thomas 1.2.q.102.ar.3.ad 1.

Iſaia c.1.

Saul quoque voluit Deo Sacrificia offerre, boues, vitulos, arietes pingues, agnos lactentes, ſed quia vacua erant omni cordis affectu, tantummodò externa ſacrificia exhibendo: Cor autem ſuum in rebus terrenis collocando. Deus omnia abiecit dicendo: *Quis quæſiuit hæc de manibus veſtris?* Quæſiuit ſacrificia Abel, Abrahę, Melchiſedech, Noè, Samuelis, &c. quia erant plena ſpiritu, firma fide, ſuccenſa charitate: *Spiritus timentium Deum quæritur*: ait Eccleſiaſt. cap. 34. Nota.

1.Reg.15.

Ierem. c.5.

Eccl.c.34.

Eſt autem iuſtitia ſacrificium externum Deo oblatum, valde ſibi cordiale, & deſideratum; quàpropter mandat, vt ſibi offeratur ſacrificium iuſtitię; inquiẽs per os Dauid pſal.4. *Sacrificate mihi ſacrificium iuſtitiæ:* quare? Nàm ſecundum Diuum Ambroſium hic: *Iuſtitia dicitur omnis virtus.* Et quemadmodum in ſacrificio Altaris, omnes ibi numerantur virtutes, ſimiliter in ſacrificio iuſtitiæ: omnis virtus offertur, ideò dicit: *Sacrificate mihi ſacrificium iuſtitiæ.* Ad indicandum inter tot ſacrificia, tàm in veteri, quam in noua lege oblata; excepto ſacrificio Altaris, nil dignius, nil charius ei, quam iuſti-

Pſal.4.

tiæ ſacrificium: Ad quod requiritur bona Iudicis conſcientia, nàm anima, amiſſa conſcientiæ munditia,& gratiæ pulchritudine,per quam Diuinæ naturæ cõſors effecta fuerat, nullatenus poteſt bonos iuſtitiæ fructus facere,qui mercede Cæleſtis Gloriæ ſint digni. De quo Dauid cæ-
Pſal. 111. cinit: *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis, potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur, gloria, & diuitiæ in domo eius.* In hũc ſenſum, quidam illud explicant,
Pſal. 50. quod dixit Dauid pſal. 50. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, & ædificentur muri Ieruſalem; tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, &c. Non acceptat Deus,*
Septuagin. Interp. inquiunt, ſeptuaginta Interpretes, *ſacrificia iuſtitiæ, niſi ædificata priùs Ciuitate animæ per pœnitentiam Deique gratiam.* Alij legunt
Oleaſt. hic nempè Oleaſter hic: *Beneficia Domine in bona uoluntate tua Syon, ideſt eam fac bonam, & tua voluntate, & gratia, vt ædificetur, & ſit Ciuitas tua; Hoc enim requiritur, vt ſint tibi iuſtitiæ ſacrificia accepta.*

Dixi, quod iuſtitia dicitur, omnis virtus; Probatur. Nàm ideò Beatiſſima Virgo Maria dicitur: *Speculum iuſtitiæ*, vt canit Eccleſia, quia omnium virtutum eſt ſpeculum. Vndè ſi Theologos interroges, quid terminus iſte (Iuſtitia) ſignificat, illicò reſpondent: *Iuſtitia eſt omnis virtus:* quare Sancti, quia omnium virtutum ſunt condecorati, iuſti appellantur. Confirmat hoc D. D. Ambr.
Ambroſius lib. 2. in Lucam: *Habet Sanctorum æditio lætitiam plurimorum, quia commune eſt bonum; Iuſtitia enim, communis eſt virtus.* Ad quod Iuſtitiæ ſacrificium requiritur, vt dixi bona Iudicis cõſcientia.

Pro qua curioſum redditur illud Leuitici cap. 2. Vbi Spiritus Leuit. c. 2.
ſanctus mandat, ſacrificia cum ſale offerri: *Quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies in omni oblatione tua offeres ſal.* Quare cum ſale? forſitan, quia ſicut ſal carnes cõdit, ita mentes eorum inſipidas condiebat? aut ſicut ſal, terram ſterilem facit, carnes exſiccat, à putredine ſeruat, ita deſtructo Regno peccati, germent vitiorum eorum conpeſcebat, carnaleſque concupiſcentias reſtringebat, aut ſicut ſal habet vim ſanatiuam; Vndè Hæliſeus ſale in vas nouũ miſſo, ſanauit aquas Hierico, ſic infuſo ſale ſapientię cæleſtis in corde ipſorum, ſanatæ ſunt aquæ, ideſt animæ eorũ. Demùm inquit Angelicus Do- D. Thomas
ctor 1.2.q. 102. art. 3. ad vltimũ: 1.2.q 102. ar. 3. ad ul.
Quod ſal offerebatur, quia impedit corruptionem putredinis: Sacrificia autem Dei debent eſſe incorrupta, & etiam, quia in ſale ſignificatur diſcretio ſapientiæ, vel etiam mortificatio carnis. Nihilominus his omnibus ommiſſis mandat Spiritus ſanctus ſacrificia cum ſale
offerri, quia vt ait Genebrardus: Genebrard. in Geneſi. 19.
Sal, eſt iuſtitiæ ſymbolum conuertẽ-
do

do propter inobedientiam, vxorem
Geneſ.c.19 *Loth inſtatuam ſalis*. Geneſis c. 19. *Ideò vult Deus, vt ſacrificia ſint illi accepta, ſale iuſtitiæ ſint aſperſa, ad inſinuandũ, quod non eſt ſacrificium, tàm ei charum, & acceptabile, ſicut iuſtitiæ ſacrificium.*

Debemus itaque Domino ſacrificium iuſtitiæ ſacrificare, & eum adorare, & humiliter reueriri, quemadmodum fecerunt filij Iſrael; & ipſemet Salomon, 3 Reg. 3. qui volens ad ſui patris Dauid imitationem ſacrificium iuſtitiæ Salomonis oblat. iuſt. Domino Deo in veritate, & iuſtitia, ac cordis ſinceritate offerre, aſcendit in Gabaon, vt immolaret ibi, cui apparuit Dominus dicens: *Poſtula quod vis, vt dem tibi, & ait Salomon, tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid patre meo miſericordiam magnam, quia ambulauit in conſpectu tuo in veritate, & iuſtitia, & nunc Domine Deus dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populũ tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum*. Audiens Dominus Salomonis orationẽ, obnixè, ac humiliter ſuam petẽs miſericordiam pro iudicio, & iuſtitiæ ſacrificio obtulendo, reſpondit: *Quia poſtulaſti verbum hoc ad diſcernendum iudicium, ecce feci ſecundum ſermones tuos*. Vide, & conſidera ò Chriſtiane Iudex, quantum Deus in verò iudicio, rectaque iuſtitia maximoperè Prou.c.8. delectatur. Ideò Prouerbiorum cap. 8. inquit: *Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum*. Quinam ſunt hi filij hominum, cum quibus delectatur Deus. Reſpondit Propheta Dauid pſal. 61. *Filij hominum* Pſal.61. *in ſtateris*, ideſt ſunt illi, qui iuſtitiam in ſtateris menſurant, nempè timorati Iudices, iuxtà illud Prouerbiorum cap. 16. *Pondus,* Prouerb.16 *& ſtatera iudicia Domini ſunt*. Quæquidem ſtatera per lignum ſignificata, in quo mali ſuſpendantur homines dicitur benedicta, vt habetur Sapientiæ c. 14. Sapient.14. *Benedictum eſt enim lignum, per quod fit iuſtitia. Per manus autem quod fit, maledictum eſt;* vt ſunt miniſtri iuſtitiæ, inquit interlinealis. Interlin.

Nec præclarè illud Leuitici cap. 2. intermittendum, vbi vo- Leuit.c.2. lens Deus, quod homines pro peccatorum deletione ſacrificia per manus filiorũ Aaron offerrent, Moyſi ſuo Proregi, per hęc verba præordinauit dicens: *Prævideo, ò Moyſen, quod homines, ac mulieres erunt ita temerarij ingrati, et ſuperbi, qui cum mille peccatis, meam ledebant maeſtatem*. Quare, vt mea non remaneat inplacabilis indignatio, de pullis colũbarum, de panibus ſimile, abſq; fermento mihi in ſacrificium offerant: mel verò nequaquam in ſacrificium volo. *Nec mellis adolebitur in ſacrificio Domini*. Miror de hac ſacrificij nouitate, cur Deus mel in ſacrificio expulit? cum mel non ſolum fuit Sanctorum cibus, vt canit de Pręcurſore Ioanne, Eccleſia: *Sociata paſtũ,* In hymno. *mella locuſtis*: Sed de ipſomet Chriſto legitur: *Butyrum, & mel*

co-

comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Cur modo in ſacrificio reſpuit mel? *Nec mellis adolebitur in ſacrificio Domini*. Reſpondet D. Thomas 1.2. q. 102. ar. 3. ad vltimum: *Quod mel non offerebatur in ſacrificijs Deo, tùm quia conſueuerat offerri in ſacrificijs idolorum, tùm etiam ad excludendam omnem carnalem dulcedinem, & voluntatem ab his, qui Deo ſacrificare intendunt*. Sed Theodoretus qu. 1. in Leuit. ad noſtrum propoſitum dicit, quod mel eſt iniuſtitiæ ſymbolum: *Apis enim*, inquit, *ex alienis perſoluendo vult ſacrificia*. Apis latro dicitur, dùm ex floribus liquorem ſubtrahit: Deus namque ſacrificij iuſtitiæ amator eſt, non iniuſtitiæ, idcò reſpuit, & recuſat, immò proteſtatur: *Nec mellis adolebitur in ſacrificijs Domini*.

D. Thomas 1.2. q. 102. ar. 3. ad vlt.

Theodoret. q. 1. in Leu.

Vndè certum eſt, quod Deus omninò nolit iniuſtitias, quapropter valdè odit iniuſtos Iudices, qui veluti populi illi, qui ambulabant in tenebris, ipſi inter tenebras inimicitiæ Dei ambulant. Quod probatur ex illo Iſaiæ c. 9. & ex illo Euangeliſtæ Matthæi c. 4. Iſaias prædicens felicem Chriſti aduentum ait: *Populus, qui ambulat in tenebris vidit lucem magnam*. Sãctus autem Euangeliſta Matthæus volens huiuſmodi prophetiã, iam exhibere completam, inducit illam ſub his verbis: *Populus, qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnã*. Huiuſmodi ſcripturæ contrariæ videntur. Propheta enim dicit: *Populus, qui ambulabat in tenebris*. Euangeliſta: *Populus, qui ſedebat in tenebris*: Sedere enim, & ambulare, contraria ſunt, nec poſſunt eidem conuenire.

Iſa. c. 9.

Matth. 4.

Ad hanc pulcherrimam difficultatem dico, quod hęc ſcripturarum contrarietas, vt probè annuit quidam modernus Doctor, in Iudicibus verificatur, qui relinquentes ſemitas iuſtitiæ, quæ lucem ſignificat, iuxtà illud pſal. 96. *Lux orta eſt iuſto*, (nàm iuſtus à iuſtitia dicitur) ambulant per vias tenebroſas, vt dicitur Prouerbiorum cap. 2. *Seruans ſemitas iuſtitiæ, qui relinquunt, ambulant per vias tenebroſas*. Vndè cõcludit ſupradictus Doct. *Iudices in tenebris ambulant, dona, pecuniaſque recipiẽtes, ſedent indè in tenebris, quando pro tribunali ſedent, & per munera corrupti, iniuſtam ſententiam propalant*. Vident lucem magnam; lux gratiam denotat, gratia vitam æternam, iuxtà illud Ioannis c. 1. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum*. Iuſtus Iudex vidit lucẽ magnam, nempè gratiam, ideſt vitam æternam, iuxtà illud pſalmi 96. *Lux orta eſt iuſto*. E contra iniuſtus Iudex.

Ozorius.

Pſal. 96.

Prou. c. 2.

Ioan. 1.

Pſal. 96.

De illis loquitur Spiritus Sãctus per os Lucæ Euangeliſtæ cap. 18. vbi inquit: *Iudex quidam erat in quadam Ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur: Vidua autem quædam erat in Ciuitate illa, & veniebat ad eũ dicens. Vindica me de aduerſario*

Luc. 18.

meo,

meo, & nolebat per multum tempus. Poſt hæc dixit intra ſe. Et ſi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua vindicabo illam: nè in nouiſſimo veniens ſugillet me. Ait autem Dominus, Audite, quid Iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico uobis, quia citò faciet uindictam illorũ, hæc ille. Ergo iuſtitia à tali Iudice propalata, nequaquam Deo placere poterit, qui ait: *Sacrificate mihi ſacrificium iuſtitiæ.* Et Sapiẽ-tiæ 2. dicitur: *Venite opprimamus pauperem iuſtum, non parcamus viduæ, nec ueteranos reuereamur, ſit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ.* Nàm ratio naturaliter dictat, quod quilibet deberet parcere pauperibus propter impotentiã, iuſtis propter innocentiam, viduis propter clementiam, ſenibus propter reuerentiam. Sed nunc opprimunt viduas, & pauperes, Iudex per potentiam, Aduocatus per ſapientiam, quia commune prouerbium eſt. Nemo benefacit viduis, quod eſt peccatum clamans in Cælum, vt patet Exodi cap. 22. vbi dicitur: *Viduæ, & pupillo non nocebitis, ſi leſeritis, & ipſi uociferabunt ad me, ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque uos gladio, & erunt uxores ueſtræ uiduæ, & filij ueſtri pupilli.* Vndè exemplum recitat Valerius lib. 6. de quadam vidua, quę orabat Deum pro vita Dionyſij tyranni: A qua, dùm ille quæreret, quo merito ſuo, ipſa hoc faceret. Reſpondit, quando eram pupilla grauem habuimus Iudicem tyrannum: carere eo cupiebam, quo interfecto, deterior Iudex, arcem occupabat: eius quoque finiri dominationem cupiebam, & tertium importuniorem Superioribus habere cupimus rectorem. Timens itaque ſi fueris defunctus, deterior Iudex in locum tuum ſuccedat, ideò pro ſalute tua oro, quia non eſt ſperandum, quod Iudices meliores fiant.

Sapient. 2.

Exod. 22.

Et Theodoricus Italiæ Rex, dùm ſua Regna, iuxta Magni Boetij Seuerini Conſilium rexiſſet, non ſolùm omnia, magno, cũ zelo adminiſtrauit, ſed mira quoque opera præbuit. Vndè refert Cronica Alexandriæ, quod certo tempore ad ſui pedes vidua quædam proſtrata, obnixè rogã-do dixit, quod erant tres anni elapſi, & non poterat videre finem de aliqua lite, contra ſuum Aduerſarium agitata. Reſpondit Rex, qui ſunt veſtri Iudices, iſti, & iſti; illicò eos ad ſe venire compellit, quibus dixit: Quare viduæ negotia, tanto tempore non expleſtis? audite modo, quã-tò citius, & abſque vlla alia mora illa expedire. His auditis, Regis mandatum ſtatim fuit impletum. Sed denuò Rex eos vocare fecit, qui omnes, hilari vultu corã Rege ſteterunt, cogitantes,

quod

quod eis debebat agere gratias de ſequuto mandato in viduæ perſonam: quos iterum interrogauit, quare id, quod per tres annos nõ exequiſtis, in duas dies perfeciſtis? Reſponderunt. Regis mandatum, cauſa fuit. Igitur, ſubiungit Theodoricus: *Vt quid hoc? Nonnè, quando uos poſui gerere magiſtratum, uobis quaſcumque cauſas, ſed præſertim viduarum ſummoperè commendaui? Vos autem triennio, biduanum negotium protexiſtis? Rei eſtis mortis.* Ideò imperauit, quod illicò in ligno ſuſpẽdantur. Et vidua ad Regem rediens, ei veluti corpori Sancto, candelas obtulit.

Rex Theodoric.

Hoc conſiderans Ariſtoteles 2. Ethicorum inquit: *Quod Iudicibus non ſufficit agere bona, ſed etiã benè, neque ſufficit agere iuſta, ſed etiam iuſtè;* quia iuſtitia eſt via, qua itur ad Cælum, ideò Pſalmiſta ait: *Ego iniuſtitia apparebo in conſpectu tuo.* E contra, iniuſtitia, &c. Quare Diuo Bernardo apparuit quædam anima damnata, quam interrogauit. An adhuc etiam aliqui homines damnarẽtur? Reſpondit ei anima damnata: quod tot cadunt ad nos ad infernum, ſicut nix cadere ſolet de Cęlo: *In cuius figuram legimus,* ſubdit *Diuus Bernaodus, quod ſexaginta milia hominum exierunt Ægyptum, de quibus duo tantummodò intrauerunt terram promiſſionis, ſcilicet Ioſuè, & Caleph:* hæc ille.

Pſal. 16.

D. Bern.

Vndè idem Diuus Lucas Euãgeliſta nuper citatus cap. 8. inquit: *Qui habet aures audiendi audiat:* nempè quod homo habet duas aures, inſignum, quod bonus Iudex debet audire ambas partes. Non enim debet ſpernere pauperem, & diuitem audire, propter eius munera. Quia Exodi 23. dicitur: *Non accipies munera, quæ excecant prudentes, & peruertunt verba iuſtorum.* Tales ſunt ſicut canes acri, quibus ſi apponitur cibus, ſilent incontinenti. Quod etiam conquæritur libro de ſummo bono, & decret. 11. quæſt. 3. cauſa pauperum: *Pauper, dũm non habet, quod offerat, non ſolùm audiri contenditur, ſed etiam contra veritatem opprimitur.* Et Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 63. artic. 4. ad vltimum docet: *Quod homo in iudicio debet pauperi ſubuenire, quantum fieri poteſt, tamen ſine læſione iuſtitiæ, alioquin non haberet locum illud, quod dicitur* Exodi 23. *Pauperis quoque non miſereberis in iudicio.* Verùm, aurum eſt, quod citò iuſtitiam violat, nullamque Reus pertimeſcit culpam, quam redimere nummis, exiſtimat. Vndè, quidam, *ſi ſpes nummi, aut munerum ſubtrahitur, confeſtim à iuſtitiæ defenſione recedunt:* hæc ille. Immò, aures ſurſum ſunt erectæ, ſic Iudices ſemper debent habere Deum præ oculis, quia non hominis, ſed Dei locum occupant, ergo Iudex malè iudicans, tenetur locum Diaboli.

D. Luc 8.

Exodi 23.

D. Thomas 2. 2. q. 63. a. 4. ad vlt.

Exodi 23.

Le-

Rex Perſarum. Legitur de Cambiſe Rege Perſarum, quod fecit excoriari quendam Iudicem, & pellem eius affigi ad Sedem iudicialem, & filium eius poſuit ad locum patris, ſcribens deſuper iſta metra.

Sit tibi lucerna Sedes, pelliſque Patrina,

A manibus receſes munus, ab aure preces.

Digitized by Google

CAPITVLVM OCTAVVM.

Quænam differentia inter Altaris ſacrificium, & Salomonis iuſtitiæ ſacrificium reperiatur.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

INTER tenebras ambulat Diuiniſsimi, ac puriſſimi Altaris, & iuſtitiæ Sacrificij differentiam inquirere, niſi priùs de eorum proprietatibus, ſcientia non habeatur. Certum eſt, Sacramentũ Altaris, ſacrificium eſſe, ſed inter omnia ſingulare, ac per excellens. Ideò docet Tridentinum

Tridentin. ſeſſ. 41 can. 2. Eccleſia. ſ. Leo Papa ſerm. 7. de paſſione.

Concilium Seſſione 41. Canone 2. *Nulla comparatione, cum alijs cõparari poſſe Sacrificijs.* Et Eccleſia in collecta. *Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum vnius ſacrificij perfectione ſanxiſti.* Et Sanctus Leo Papa Sermone 7. de paſſione: *Omnem differentiam hoſtiarum vnius corporis, & ſanguinis tui complet oblatio.* Vndè Doctores Theologi quatuor ex Sacra Scriptura (vt rigurosum dicatur ſacrificiũ) requiruntur conditiones, aſſerunt.

Prima ex parte offerentis, qui cauſa efficiens dicitur, quæ cauſa efficiens eſt homo, ad hoc præcisè deputatus, aut electus, vel ad populi vocem, vt patet in Gentilium ſacrificijs, vel per diuinam voluntatem, ſicut in Tribu Leui, vel per internam Sancti Spiritus ſanctificationem, vt in noui teſtamenti Sacerdotibus intuetur. Quæ conditio ex illo ſecũdi Paralypemenon cap. 26. 2. Paral. ca. 26.
Probatur. Vbi Ozias Rex, Sacerdotis officium cupiens exercere,

iu-

iudicans, cum eſſet Rex, totum ſibi licitum eſſe, per lepram, Dei iram, atque punitionem probauit. Et vt Sacri inquiunt Interpraetes 1. Regum 13. propter eãdem cauſam Rex Saul reprobatus, atque è Regno eiectus. Huius conditionis ratio non multum diſtat à Sacro Ritu, à virtute Religionis prouenìens, quo Deum eſſe rerum omnium cauſam, ſupremumque Dominum confitemur: ita 1. Paralyp. c. 29. *Tua eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria, & tibi laus cuncta enim, quæ in Cælo ſunt, & in terra, tua ſunt. Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi.* Et ideò in oblatione ſacrificiorum proteſtabatur homo, quod Deus eſſet primum principium creationis rerum, & vltimus finis, ad quem eſſent omnia referenda: Vndè non quilibet homo profanus, ac malus videtur poſſe hoc exercere ſacrificium, niſi ſolummodò perſona Deo conſacrata, quare notabilis confuſio, atque laberintus, ſi omnes fuerimus Sacerdotes, quia quot capita, tot diuerſa ſacrificia.

Interpet. 1. Reg. 13.

1. Paralyp. 29.

Secunda ſacrificij conditio eſt ex parte materiæ: pro qua aduerte, quod conceptus interni, nempè actus amoris à voluntate procedentes, omninò ab hoc expellendi ſunt ſacrificio, nàm res quæ Deo offertur, externa, atque ſenſibilis eſſe debet. En Abel obtulit oues. Non minùs Noè ex Arca egrediens. Sacerdos Melchiſedech panem, & vinum. Ratio eſt, quia conceptus interni, vt actus Fidei, & Religionis, erga Deum manifeſtari non poſſunt, niſi per voces externas, atque per actiones ſenſibiles, per quas homo, cum ſit animal ſociabile, ab his declaratur. Vndè Auguſtinus de Ciuit. Dei cap. 5. inquit: *Quod ſacrificium uiſibile, eſt inuiſibilis animi ſignum.*

D. Auguſt. de Ciuitate Dei c. 5.

Tertia conditio eſt ex parte formæ. Vndè aduertendum eſt, quod quidquid offertur, de vno in alium conuertitur ſtatum, aut in totum, ideſt in vaporem fumi, quemadmodũ antiquitus in holocauſtis experiebatur, nempè, quod totum holocauſtum comburebatur. Aut ſaltem de profano in Diuinum mutabatur. Ex Sacra Scriptura hæc conditio colligitur, Leuitici 2. cap. 1. Et Theophilatus ad Hebræos 8. *Hoc diſcrimen aduertit inter ſimplicem oblationem, nempè eleemoſyna, & ſacrificium: nàm Aurum, & Argentum pro ſacri templi fabrica oblatum, & animalium primogenita pro ſacrificio per quinque ſyclos redempta, non erant ſacrificia, ſed ſimplices tantummodò oblationes, quapropter non neceſſaria, aliqua in eis videbatur mutatio, quemadmodum in ſacrificijs, quod nomen ipſum declarat, ſacrificium, ideſt ſacrum facere, vt patet in pane, & vino Melchiſedech; & in panibus propoſitionis in quibus nulla videbatur phyſica mutatio, ſed tantùm moralis, propter*

Theophyl. ad Hebr. 8.

benedictionem. Vndè propter hanc formalem differentiam ſacrificia antiquæ legis à noua diſtinguebantur. Vndè ſi in ſacrificio totali videbatur mutatio, in fumo ſcilicet, & cinere, dicebatur holocauſtum, quod eſt nomen hæbraicum, quod ſignificat, *ſurſum aſcendens*, quia in fumo reſoluebatur; Et quia partē ipſius Sacerdotes ædebant: *Hoſtia pro peccato vocabatur*; Et quia alia pars ad offerentem ſpectabat: *Hoſtia pacifica dicebatur*.

Hæc omnia confirmat Diuus Thomas 1.2.q.102.art.3. in reſponſione ad octauum: *Quod triplex erat ſacrificiorum genus; quoddam erat, quod totum comburebatur, & hoc dicebatur holocauſtum, quaſi totum incenſum. Huiuſmodi enim ſacrificium offerebatur Deo ſpecialiter ad reuerentiam maieſtatis ipſius, & amorem bonitatis eius. Aliud autem erat ſacrificium pro peccato, quod offerebatur Deo ex neceſſitate remiſſionis peccati, quod diuidebatur in duas partes: Nàm vna pars eius, cōburebatur, alia verò cedebat in vsū Sacerdotum, ad ſignificandum, quod expiatio peccatorum fit à Deo per miniſterium Sacerdotum. Tertium ſacrificium vocabatur hoſtia pacifica, quæ offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro ſalute, & proſperitate offerentium ex debito beneficij, vel accipiendi, vel accepti, & conuenit ſtatui proficienti in impletione mandatorum*: hæc ille.

D Thomas 1.2. q 102. art. 3. ad 8.

Quarta conditio eſt cauſa finalis, nempè quod quidquid in ſacrificio offertur, eſt proteſtatio aliqua de Diuina excellentia, Deique dominio ſuper omnes creaturas. Ex hac conditione, omnes inquiunt Sancti, quod ſacrificium, cum ſit actus latriæ, Soli conuenit Deo, quàpropter Miſſæ Sacrificium, vt docet D. Auguſtinus lib. de Trinit. c. 14. non Sanctis, ſed ſoli Deo offerri. Auguſtinus: *Vni verò Deo ſacrificium offerri debere, veraces, ac Sacræ literæ monent*. Notate illa verba: (Vni verò) quod idem eſt illi ſoli. Vnde idem Sanctus contra Fauſtum epiſtola 29. lib. 20. ait: *Sacrificamus non martyribus, ſed Deo martyrum*. De his quatuor conditionibus Diuus Paulus ad Hebræos 5. loquens inquit. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificium pro peccatis*. Omnis Pontifex, ideſt Sacerdos ex hominibus aſſumptus: En cauſa efficiens. In his quæ ſunt ad Deum: En cauſa finalis. Vt offerat dona: En cauſa materialis. Sacrificium pro peccatis: En cauſa formalis. Eodem modo dico de ſacrificio iuſtitiæ, in quo hæ quatuor conditiones clarè, ac perſpicuè intuentur, vt proportionaliter dicatur ſacrificium, vt ſpectanti patebit. Iudex eſt cauſa efficiens. Reus eſt cauſa materialis, iuſtitia eſt cauſa formalis; obſeruantia legis Diuinæ, eſt cauſa finalis. Totum hoc confirmat Sanctus Auguſtinus

D. Aug. de Trin. c. 14.

Aug. epiſt. 29. lib. 20.

Ad Heb. 5.

Auguſt. de Trin. c. 14.

nus lib. de Trinitate c. 14. dicens *Quod in omni ſacrificio requiritur, qui offerat, quid offerat, cui offerat, & pro quo offerat.* Vndè ex his colligitur, martyrium propriè, & rigurosè non eſſe ſacrificium, quia non pro omnibus offertur. Neque actum contritionis, non obſtante dicat Dauid pſalmo 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, cum ſit actus internus. Sacrificium verò Iuſtitiæ dicitur cõmune, & vniuerſale, quia quamuis aliquando particularem perſonam reſpiciat, nihilominus omnia iſta particularia ad bonũ vniuerſale ordinantur. Et iuſtitia Principis, ſeù cuiuſcumque Potentatus, & dominij, bonum inſpicit vniuerſale Reipublicæ, & dicitur verè Sacrificium Deo oblatum. E contra quando non eſt ita, quia tunc eſt ſacrificium Diabolo immolatum.

Pſal. 50.

Dixi, quod inter omnia Sacrificia, ſingulare, ac per excellens eſt illud Altaris in quo ipſe Chriſtus ſeipſum obtulit Deo in odorem ſuauitatis, vt dicitur ad Epheſios cap. 5. Et propter hoc omnia alia ſacrificia offerebantur in veteri lege, vt hoc vnum, & ſingulare, & præcipuum ſacrificium figuraretur, tãquam perfectum per imperfecta. Vndè Apoſtolus dicit ad Hebræos c. 10. quod Sacerdos veteris legis eaſdem ſæpè offerebat hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata: Chriſtus autem pro peccatis obtulit vnam in ſempiternũm. Et quia ex figurato ſumitur ratio figuræ: ideò rationes Sacrificiorum figuralium veteris legis ſunt ſumendæ ex verò ſacrificio Chriſti. Sacrificium verò iuſtitiæ amplectitur, & vetus, & nouum teſtamentum. En Salomon in veteri lege petijt à Deo ſapientiam, vt poſſit iudicare populum, & diſcernere inter bonum, & malum, inter verũ, & falſum. Eandem orationem fecit Rex Dauid, & Princeps Moyſes. In nouo teſtamento, nempè Mathæi 5. dicitur: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Et cap. 9 *Primum quærite Regnum Dei, & iuſtitiam eius.* Et Lucæ cap. 1. *In ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo.* Itaque poſt Altaris Sacrificium, hoc iuſtitiæ Sacrificium eſt, quod omnia alia ſacrificia veteris, & noui teſtamenti ſuperat. Ideò dicit Spiritus Sanctus, Prouerb. cap. 16. *Initium viæ bonæ, facere iuſtitiam: accepta eſt autem apud Deum magis, quam immolare hoſtias.* Taliter, quod ſi Sacrificium Altaris eſt participatio vitæ æternæ: *Qui manducat meam carnem habet vitam eternam*, *Sacrificium iuſtitiæ ad legem naturalem pertinens.* (vt docet D. Thomas 1. 2. q. 91. ar. 2. in corpore) *Eſt participatio legis æternæ in rationali creatura. Vndè cum pſal. 4. dixiſſet: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, quaſi quibuſdam quærentibus, quæ ſunt iuſtitiæ opera, ſubiungit: Multi dicunt quis oſtendit nobis bona? cui quæſtioni reſpondens dicit: Signa-*

D. Thomas 1. 2. q. 101. ar. 3. in cor.

Apoſtol. ad Hebr. c. 10.

Salomon. Rex Dauid Princeps Moyſes.

Math. c. 5.

Cap. 9.

Lucæ 1.

Prouer. 16.

D. Tho. 1. 2. q. 91. art. 2. in cor.

gnatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine,quaſi lumen rationis naturalis,quo diſcernimus, quid ſit bonum,& quid malum,quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud ſit, quam impreſſio diuini luminis in nobis,vndè patet, quod lex naturalis, nihil aliud eſt, quam participatio legis æternæ in rationali creatura:hęc ille,ideſt Angelicus Doctor.

Dicite modo, quis diſcernit inter bonum, & malum, niſi Iudex? ad quod diſcernendum, lumen requiritur diuinum; quàpropter Salomòn, vt nuper dixi ſapiētiā à Deo petijt.Et ſi peccātaris Iudicis opera per lumen diuinū ſignata,quæ ſunt? Ecce, *Iuſtitiæ ſacrificium Deo offerre*, quod poſt Altaris Sacrificium: *Maximoperè Deo placet,magis quam immolare hoſtias*, vt inquit Spiritus Prouer. 16. ſanctus, Prouerb. 16. Ad oſtendendum Iudicibus, quam grandis ſit eorum dignitas, honor,& laus, tantò magis præcipitium, damnatio,& caſtigatio.

Amplius, quod ſi tres partes hoſtiæ fiunt per Sacerdotem in Altari:etiam Iuſtitia reddit Deo tria; proximo tria, & ſibi tria. Deo tria,ſcilicet honorem,amorem, timorem. Honorem Creatori,amorem Redemptori,timorem Iudici. Proximo etiam reddit tria; obedientiam, concordiam, diſciplinam; Superiori obedientiam, pari concordiam, inferiori diſciplinam.Sibi etiam reddit tria,munditiam,cuſtodiā, caſtigationem: Cordi munditiā, ori cuſtodiam, corpori caſtigationem; ideò dicitur Eccleſiaſtici cap.30.*Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ*; quod intelligitur de iuſtitia charitate informata,ideò Pſalmiſta ait,vt paulò ante dixi: Eccl. c.30. *Ego in iuſtitia apparebo in conſpectu tuo*. Et Diuus Auguſtinus ſuper hunc pſalmum: *Iuſtitia eſt, quæ fronte ſerena dicere poteſt, Attollite portas,Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex iuſtitiæ,iuxta illud, Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter.* Augu. in pſal. 16.

Et ſi in veteri lege,Sacerdotes Sacrificium Deo immolando canebant, vt habetur 2. Paralypo. 29. *Steterunt Leuitæ tenentes organa, & Sacerdotes tubas; & iuſſit Ezechias,vt offerrent holocauſta, cæperunt laudes canere Domino,& clangere tubis,atque in diuerſis organis,quæ Dauid Rex Iſrael repererat concrepare*.Et Eſdræ cap.5.*Sacerdotes,& Leuitæ, & Sacri Cantores offerebant hoſtias,& holocauſtomata Domino matutina*. Idem habetur Numeri c. 10. Iudices quoque canunt, quoties Iuſtitiæ ſacrificium, Deo offerunt: quod probatur ex illo pſalmi 70.*Exultabunt labia mea,cum cantauero tibi,& lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam*.Et pſal.39.*Annunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna*. Pagninus: *Cantaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna*. Non ſolum canebant Sacerdotes, dùm ſacrificia Deo immolabant,ſed ad hoc, quinque requirebantur conditiones, quæ vt in

2. Paral. 29. 3. Eſd. c.5. Num. c.10. Pſal. 70. Pſal. 39. Pagninus.

in Eſdra legitur, habebant. Prima erat, quod, cum mulieribus carnem ſuam non maculauerāt. Secunda, quod numquam idolis immolauerant. Tertia, quod numquam in iudicio proximum circumuenerant. Quarta, quod numquam ad vſuram pecuniam mutuauerant: Quinta, quod numquam peccatum mortale perpetrauerant. Quæquidem condictiones, etiā requiruntur in Iudice, dummodò vult rectè, & iuſtè ſacrificiū

Pſal. 18.

iuſtitiæ Deo immolare. Et immolando decantare, & iubilare: *Iuſtitiæ Domini rectè lætificantes*

Pſal. 31.

corda, pſal. 18. quia tunc in Domino iubilat, & in corde lætatur Iudex, quando iuſtum decernit, & rectum iuſtitiæ ſacrificium Deo obtulit, dicente pſalmiſta; *Lætamini in Domino, & exultate*

Aug. lib. 10. confeſſ.

iuſti, quia Iuſtitiæ Domini rectè lætificantes corda.

Cantandi conſuetudo, inquit D. Auguſtinus lib. 10. confeſſio. ideò approbata eſt in Eccleſia,

Guglielm. Durandi.

vt per oblectamenta aurium, infirmorum animus, in affectum pietatis aſſurgat, ideò dicit Guiglielmus Durandi in rationali Diuinorum: *Quod propter carnales, non ſpirituales cantandi vſus in Eccleſia inſtitutus eſt; vt qui verbis nō conpunguntur, ſuauitate modulaminis moueantur*; Sed hoc debet fieri, cum cordis lætitia, & deuotione; non vocis oſtentatione: *Iuſtitiæ Domini rectè lætificantes corda.*

D. Aug.

Ideò inquit Auguſtinus loco ſupra citato: *Cum autem accidit, vt me amplius cantus, quam res quæ canitur moueat, & pænaliter me peccaſſe confiteor, tamen mallem non audire cantantem.* Vndè dicitur in Decret. diſtinct. 92. cap. in Sanctam: *Plerumque fit, dùm blanda vox quæritur, congrua vita negligatur.*

Hugus de clauſtro Animæ.

De illis dicit Hugo de Clauſtro Animę: *Quidam*, inquit, *cantant, vt placeant populo magis, quam Deo. Qui ſic cantant; non cantant in Choro, cum ſorore Moyſi, ſed in palatio cum Herodiade, vt placeant diſcumbentibus. Timeo autem, nè ſicut delactantur altitudine uocis: ſic delactantur etiam eleuatione mentis.* Non ita Princeps Dauid, inquiens: *Cantabo Iuſtitiam tuam in Eccleſia magna*; cum mentis, ſcilicet exultatione, & cordis dulcedine: *Iuſtitiæ rectè lætificantes corda.* Tales, qui vocis altitudine delectantur frequenter cōfunduntur. Cuius exemplum patet in quodam Sacerdote, qui peſſime cantabat, tamen videbatur ſibi, quod optimè caneret, & multū delectabatur in voce ſua, qui cū ſemel cātaret prȩfationē, in miſſa mulier quædam incæpit durè flere, & lacrymari, quod percipiens Sacerdos; quod fleret prouocata ad deuotionem ex cantu ſuo, & dulci ſua melodia, magis eleuabat vocem ſuā, & mulier altius flēdo clamabat, de quo Sacerdos in cantando miſſam, habuit magnam vanam gloriam, & ſtatim pòſt miſſam, vocauit eam Sacerdos coram

to-

toto populo, & petijt ab ipſa, quare ita durè fleret, cui dixit mulier. Domine ego ſum illa infelix mulier, quæ perdidit altera die Aſinum ſuum, quem comederunt lupi, & quando audio vocem veſtram recordor Aſini mei, quia vos habetis vocem cãtandi ad modum Aſini mei; ideò quando audio vos innouantur dolores mei de Aſino amiſſo; & ſic coram omnibus fuit confuſus.

Vndè de Debora in libro Iudicum lego; quod conſtitutus à Deo in Iudicem, & Ducem ſui exercitus, vt cum cantico, & iubilo narrentur iuſtitiæ Domini, dicebat Iudicum cap. 5. *Audite Reges, auribus percipite Principes. Ego ſum, ego ſum, quæ Domino cãnã, pſallam Domino Deo Iſrael; vt narrentur iuſtitiæ Domini.* Iudicum c. 5.

Demùm dubitatur. An licitũ ſit Deum laudare in noua lege in cytharis, & tubis, ſicut in antiqua lege? Reſpondet Angelicus Doctor 2.2.q.91. art.2.ad 4. *Quod nõ. Ratio eſt. Huiuſmodi enim muſica inſtrumenta, magis animum mouent ad delectationem, quam per ea formetur interius bona diſpoſitio. In veteri autem teſtamento vſus erat talium inſtrumentorum, quia populus erat durus, & carnalis, vndè erat per huiuſmodi inſtrumenta prouocandus ad deuotionem.* Sicut dicit Propheta pſal. 148. *Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio, & cythara. Laudate eũ in tympano, & choro: &c.* Ideò cõſultius eſt, quod non fiat, nè videamur imitari idolatras, qui in huiuſmodi inſtrumentis dijs ſuis ſeruiebant, vt patet Danieli c. 3. *In hora, qua audieritis ſonitum tubæ, & cythara, ſambucæ, & pſalterij, & ſymphoniæ, & vniuerſi generis muſicorum, cadentes adorate ſtatuã auream, quam conſtituit Nabuchodonoſor Rex.* Concludo cum Regio Propheta: *Cantabo iuſtitiam tuam in Eccleſia magna. Et exultabunt labia mea, cum cantauero tibi, & lingua mea meditabitur iuſtitiã tuam.*

D. Tho. 2.2. q.91. art.2. ad 4. Pſal. 148. Daniel. 3.

Dubitatur quoque. An Deus in ſacrificijs, magis ore laudetur, quam cantu. Dubium hoc, quia duas continet partes. Primæ reſpondeo, cum Pſalmiſta 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Immò laus oris prodeſt ad hoc, quod aliorum affectus prouocetur in Deum. Vndè dicitur in pſal. 33. *Semper laus eius in ore meo;* Et poſteà ſubditur: *Audiant manſueti, & lætentur, magnificate Dominum mecum.* Quare duppliciter de Deo loqui poſſumus. Vno modo, quãtum ad eius eſſentiam, & ſic cum ſit incomprehenſibilis, ineffabilis, maior eſt omni laude. Debetur autem ei ſecundum hanc comparationem reuerentia, & latriæ honor; vndè, & in pſalmo 64. ſecundum translationem D. Hieronymi dicitur: *Tibi ſilet laus Deus,* quãtum ad primum: *& tibi reddetur votũ,* quantum ad ſecũdum. Alio modo

Pſal. 49. Pſal. 33. Pſal. 64. D. Hieron.

do ſecundum effectus ipſius,qui in noſtram vtilitatem ordinantur, & ſecundum hoc debetur
Iſaię 63. laus Deo. Vndè dicitur Iſaiæ 63. *Miſerationum Domini recordabor; laudē Domini annunciabo ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus.* Secundæ verò parti dubij dico, quod Deus laudatur voce,& cā-
D.Aug. 10. confeſſ. ca. 33.to.1. tu,ita D.Auguſtinus in 10. confeſſ.c.33.tom.1. vbi inquit: *Omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſua diuerſitate habent proprios modos in voce, atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur.* Itaque laudatur Deus ore,& cantu. Ore vt dicitur pſal. 62. *Labijs exulta-* Pſal.62.
tionis laudabit os meum. Cantu, iuxtà illud ad Ephæſios 5. *Cantantes, & pſallentes Domino.* Quia Sacrificium laudis honorificabit me,&c.

Digitized by Google

CAPITVLVM NONVM.

An Iudices Salomonis ſectando veſtigia abſque ſanguinis effuſione propter Iuſtitiæ ſacrificium dici poſſint martyres.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

QVæritur. An liceat ſeipſum interimere, vt martyrij coronam recipere poſſet. Reſpōdet Diuus Thomas 2.2.qu.64. art.5. Illicitum eſſe: vno caſu excepto, ſi ipſe Deus iubeat, ita docet in reſponſione ad quartum argumentum, *De Sanſone, qui ſeipſum, cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, & hoc latenter Spiritus Sanctus iuſſerat*. Hoc etiam docet Concilium Bracarenſe 1. Can. 34. quod refertur in Cap. placuit 2.3. qu. 5. Et Diuus Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. cap. 16. vſque ad 28. & Hereſ. 69. contra Donatiſtas, qui ſeipſos interimere, ad genus quoddam martyrij applicabant; exiſtimatio, ſeù applicatio certè falſa, vt argumentatur idem Auguſtinus loco citato cap. 19. dicens. *Qui mortem ſibi machinatur, aut eſt innocens, aut nocens, ſi innocens nullo caſu ſeipſum occidere fas eſt. Si nocens, nemo autem ſui ipſius iudex eſſe poteſt*.

D. Thomas 2.2. qu.64. art.5.

Concilium Bracaren. 1. c.34.

D. Auguſt. de Ciuitat. Dei l b.1.c. 16. vſq; 28.

Et quamuis huiuſmodi Diui Auguſtini doctrina vera ſit, nempe, quod nullus ſeipſum licet interficere, niſi Spiritus Sanctus hoc iubeat. Non deſunt, qui contrarium aſſerũt, vt ſunt Stoici, qui ob patriæ libertatem ſe interimere, in maximum duxerunt honorem. Quos ſequutus eſt Cato, qui ne Cæſarem tyrannum

num

num victorem aſpicere cogeretur, ſeipſum occidit.

Et quid dicam de fœminis? nempe de Lucretia, quam Romani maximopere laudauerũt propter ſtuprum indignè ferentem à Regis Tarquinij filio illatum, mortem ſibi donauit. Sed vbi relinquo Sanctas quaſdam fęminas Pelagiam, Sonphroniam, & alias, quæ nè ſtuprum propter vim pateretur, in flumen ſe præcipitauerunt, de quibus Sanctus Ambroſius ſcribit lib. 3. de Virginibus. Et Euſebius Emiſſenus lib. 6. c. 34. de Sancta Apollonia ſubdit, quæ ſe ipſam in rogum iniecit, quo, & aſſumpta fuit. Diuus verò Auguſtinus has fœminas non tantum à peccato, ſed etiam ab errore excuſat inquiens. *Quid enim ſi hoc fecerunt, non humanitùs deceptæ, ſed diuinitùs iuſſæ, non errantes, ſed obedientes? ſicut de Sanſone aliud nobis fas non eſt credere. Cum autem Deus iubet, ſeque iubere ſine vllis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet?* Et Sanctus Thomas loco citato in reſponſione ad prædictum argumentum docet. *Quod ſicut Auguſtinus dicit in 1. de Ciuit. Dei. Nec Sanſon aliter excuſatur, qui ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quod latenter Spiritus Sanctus hoc iuſſerat, qui per illum miracula faciebat.* Et eandem rationem aſſignat de quibuſdam Sanctis fęminis, quæ tempore perſecutionis, ſeipſas occiderunt, quarum memoria in Eccleſia celebratur.

D. Ambroſ. lib 3 de Vir. Euſeb. Emi. lib. 6. c. 34.

D. Auguſt.

D. Thomas loc. cit. in reſp. ad 4.

Vndè aduerte. Aliud eſſe ad mortem ſuam actiuè concurrere, quod proximè, & directè numquam licet: Aliud verò propriã mortem permitrere, ſe non defendere contra vim iniuſtam, & hoc ſæpè licitum. Quare ſi exẽplum in contrarium habetur de Sanſone, & de Eleazero 1. Machabæ 6. excuſari poſſe cenſent aliqui Doctores, nempe Couarruu. 1. reſolut. cap. 2. num. 10. Victoria Relectio de homicidio num. 37. Lopez p.p. c. 65. Dum non ſeipſos per ſe, & ex propoſito peremiſſe, ſed dum aliorum iuſtè occiſioni incũberent, mortem propriam fortiter perruliſſe. Et Leſius lib. 2. c. 9. dub. 6. num. 33. *Licitum eſſe, vt horrendam incendij deflagrationem effugias, ex alto loco deſilire, quamuis, cum certo mortis periculo, non enim intendis te occidere, ſed dirum tormentorum fuga euadere.* Ita ſimiliter milites, & Nautæ ſi videant in poreſtatem inimicorum ſe venturos, ſeque in mare proiciunt, vt hoſtis credulitatem effugiant.

1. Machab. c. 6.

Leſius lib. 2. c. 9. dub. 6. nu. 33.

Ex dictis verò minimè currit paritas de Iudice, qui quamuis Sanctus Petrus Alexandrinus in Canonibus de lapſis tom. 1. Concilio oſtendit, inquit: *Eccleſia non expedire, vt quis martyrio ſe facilè, & abſque neceſſitate offerat.* Nihilominus in quantum Iudex in ſede iudicij, & iudicantis ſedens tenetur, & cõmunis Theo-

S. Petrus Alexan. in Can. de lapſis tom. 1.

logorum opinio docet, mortem potius oppetere, & martyrium ſubire, quam iniuſtum facere. Nam ſi Sanſon, Eleazarus, Pelagia, Sonphronia pro iuſti, & iuſtitiæ defenſione per ſeipſos mortem perceperunt, tanto magis Iudex in throno, & ſolio conſtitutus ad iuſtitiæ defenſionem: (pro qua, Beatitudinis nomine gaudet, iuxta illud Matthęi. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*) mortem ſubire debet. Ideò dixi in titulo Capituli, quod Iudices, Salomonis debent
Genebrardus in cap. 8 Prouer. de Salom. ſectare veſtigia, iuxta Genebrardi expoſitionem Prouerbiorum 8. dicentis: *Fortunati Iudices, ſi Salomonis ſcientiam, ante ipſius lapſum ſectarētur, certè veri iudicij ſemitas cōſequerētur, & pro ipſa iuſtitia Beati, qui perſecutionē patiētur.*

Et quia martyrium, vt Syluester inquit (verbo martyrium) eſt in Conſilio, non in præcepto, præſertim, cum opus martyrij valde arduum, atque difficilè exiſtit, non ex pręcepto tenetur Iudex pro iuſtitia mori, & martyrio ſe ſubijcere, & ſanguinem effundere, ſed ſufficit pro laurea martyrij, vt martyr dici poſſit, abſque ſanguinis effuſione, Deo ſacrificium iuſtitiæ offerre, iuxta
Pſal. 4. illud pſalmi 4. *Sacrificate mihi ſacrificium iuſtitiæ*, & pro ipſo perſecutionem pati, dum ſubiungit, *Et ſperate in Domino.*

Probatur, ad martyrij aureolam, honoremque martyris, tres, (vt Sacri docent Theologi) conditiones requiruntur. Cauſa, eſt prima. Conſtantia in perſecutionibus ſecunda; Tertia, ipſa mors, quæ ſunt ita ſimpliciter neceſſaria, ad martyrij coronam, quod ſi vna defeciſſet earum, nō verificaretur martyrij aureola. Prima eſt cauſa, quia vt communis docet Theologorum doctrina, cauſa facit martyrem: quare Dauid dicebat. *Diſcerne cauſam meam*. Et Diuus Auguſtinus lib. Auguſt. lib. 2. c. Gaud. c. 11.
2. contra Gaudent. c. 11. confirmat. *Quærentibus martyrum gloriam, ſi haberetis martyriū cauſam.* Omnes, cum cauſa moriuntur, ſed ſi aliquis patitur, vt homicida, alius v.g. vt fur, vt inquit Petrus Apoſtolus 2. Petri 4. ergò 2. Petri 4.
appellandi ſunt martyres? nequaquam, ſolus ille, qui patitur, vt Chriſtianus.

Et Diuus Thomas 2. 2. quęſt. D. Thomas 2. 2. q. 124. art. 5.
124. ar. 5. docet, quod huiuſmodi cauſa, nempè fidei confeſſio, fidei defenſio non ſemper requiritur: nam omnes virtutes ad Deum relatæ eſſe poſſunt martyrij cauſa. En verba Diui Thomę. *Omnium virtutum opera, relata ad Deum poſſunt eſſe cauſa martyrij. Ratio eſt, nam omnes virtutes ſunt quædam proteſtationes fidei, quæ non ſolùm fit per verba, quibus aliquis confitetur fidem, ſed etiam per facta, quibus aliquis fidem ſe habere oſtendit.* Itaque omnis virtus, aut iuſtitiæ ſit, aut Religionis, aut paupertatis, aut caſtitatis, ad Deum relatæ, eſt quædam fidei proteſtatio; docet Diuus Thomas,

mas, nam in ipſis virtutibus clarè fulget, vera erga Deum fides, veruſque amor, quapropter vnaquęque ipſarum dici poteſt vera martyrij cauſa.

D.Thomas ar. 2. in cor.

Secunda condictio eſt, in perſecutionibus firma conſtantia, ideò Diuus Thomas quæſtione citata articulo 2. in corpore. probat, quod martyrium eſt fortitudinis actus; & propter hoc de martyribus legit Eccleſia. *Fortes facti ſunt in bello*: & Diuus Thomas addit. *Ad fortitudinem pertinet confirmare hominem, nam in martyrio confirmatur homo in bono virtutis*, dum fidem, & iuſtitiam non deſerit propter pericula mortis. Igitur ſi fortitudo in martyrio exercetur, & hæc in mortis periculo refulget, neceſſariò in martyrio requiritur huius fortitudinis actus.

Eccleſia.

D.Thomas

Tertia condictio eſt mors, pro qua Angelicus Doctor loco citato art. 4. diſputat. An mors ſit de ratione martyrij, & affirmatiuè reſpondet, cuius ratio eſt, *quia eſt teſtis fidei, per quam viſibilia, pro inuiſibilibus nobis contemnenda proponuntur*. En modo curioſa difficultas. Qua ratione Iudex ſacrificium iuſtitiæ Deo offerens, martyrij aureola congaudere poſſit, ſine ſanguinis effuſione. Reſpondeo, quod non eſt neceſſaria, vt Iudex ſit Chriſti martyr, iſta ſanguinis effuſio; iuxta illud Matthęi 5. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quod pertinet ad martyriũ*, addit Angelicus Doctor, articulo 5. in argum. ſed contra.

Matthęi c. 5.

Probatur, Diuus Io: Chryſoſtomus volens, vt bonus Iudex, ac euigilans paſtor prauos nobilium mores vehementius obiurgare, magnam ſubijt inuidiam; quin, & Eudoxia, quam propter adeptam Callitrope viduæ pecuniam. Et alterius viduę agrũ, reprehenderat, in exilium eijcitur. In quo exilio bonus, & Sanctus Iudex, incredibile eſt quanta mala perpeſſus ſit, per quæ mala, & perſecutionem propter iuſtitiã, à Niceforo Caliſto martyr appellatur dicens: *Ioannes ſine ſanguine martir*. Et Sanctus martyr Baſiliſcus, titulo fratris, ipſum honorat: *Ioannes frater craſtinus dies nos loco coniunget*. Vbi duo adnotari debent: primo, nã eum vocat martyrum fratrem: ſecundo, quod in loco martyrum eum collocat: & nihilominus Io: Chryſoſtomus non fuit martyr, nec ſanguinem effudit, ſolummodo pro Paſtoris vigilantia; ac recti Iudicis officio, martyris coronam obtinuit.

Niceforus Caliſtus.

S. martyr Baſiliſcus. Hæc omnia in lectioni lecti ipſius

Non longè diſtat, immo propter eandem cauſam, S Marcellus Papa, & martyr, Maxentij opera obiurgare volens in Catabulum miſſus eſt, vt beſtiarum, quæ publicè alebantur, curam ſuſtineret, vbi loci fęditate, multiſque ærumnis afflictus, obdormiuit in Domino, & ſine ſanguinis emiſſione, martyrij corona potitur, & quarè iam dixi pro-

Vide Romanũ Breuiarum.

propter

Digitized by Google

pter iuſtitiæ zelum, Maxentij opera reprehendit. Vnde tanquam zelantiſſimus Iudex ſine ſanguine, martyrium adeptus eſt.

Martinus Papa, & martyr, vt bonus Chriſti Vicarius, ac Hæreticorum Iudex, Chriſti perſonam maculantes, ita imperterritus cõtra hos Hæreticos oſtenſus eſt, immo contra ipſum Imperatorem; concilium congregauit Romæ, in Eccleſia Sãcti Saluatoris, prope Lateranenſem Baſilicam, in quo, vt intrepidus Iudex, ſimul cum bis centum Epiſcopis, omnes hæreſias præteritas, & præſentes, cum ipſiſmet Hæreticis damnauit, atque anathematizauit, quare ira accenſus Imperator iuſſit Martinum in carcerem detrudi, ex qua poſtea in Ciuitate Cherſonæ in confinibus Euſini maris relegatus eſt, vbi ærũnis, vigilijs, afflictionibus, alijſque perturbationibus oppreſſus, abſque ſanguinis effuſione, animam Deo reddidit, & inter Sanctos Martyres annumeratus eſt.

Lege Flos Sanctorum fol. 833.

Sed quid dicam de Pontiano Papa, & martyre, qui pia obſtinatione, volens Sacerdotes defendere contra Gentiles eos per ſequentes, ad eorum perſuaſionem Alexander Imperator in Inſula Sardiniæ, Pontianum Papam relegauit, vbi Sanctus Pontifex propter iuſtitiam, multas paſſus eſt calamitates, quapropter vitam finiuit, & martyris coronam ſine ſanguinis aſperſione acquiſiuit.

Vide Flos Sancto. fol. 847.

Et Diuus Hieronymus in Sermone de Aſſumptione, inquit. *Rectè dixerim, quod Dei Genitrix Virgo, & martyr fuit, quamuis in pace vitam finiuerit*. Quanti martyres pro cuſtodiendo virginitatis pudore, Diuus Ambroſius. *Habes in vna hoſtia duplex martyrium, & pudoris, & Religionis*. Quãti martyres pro ſubſtinenda paupertate. Diuus Auguſtinus. *Paupertatem ſanctam confitentes, Chriſtum confeſſi ſunt*. Et in Martirologio Romano, vltimo Februarij, Sancta Mater Eccleſia, martyees appellat eos, qui ſolummodo infirmis peſte infectis, miniſtrauerunt. *Commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum peſtis graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè mortem oppetere, quos velut martyres, religioſa piorum fides venerari conſueuit*. Concludamus itaque non requiri pro corona, & martyrij aureola ſanguinis effuſionem, ſed omnium virtutum opera ad Deum relata, poſſunt eſſe cauſa martyrij, vt diximus, cum Diuo Thoma. Et quia ſacrificium iuſtitiæ inter omnia virtutum opera, primum obtinet locum, meritò Iudici, qui tale ſacrificium iuſtitiæ Deo obtulerit, pro quo perſecutioné pateretur, aureola, coronaque martyrij debetur, quia, vt docet D. Thomas.

D. Hieron. ſer. de Aſſump.

D. Ambro.

D. Auguſt.

Martirolo. Roman.

mas: *Nec perſecutio ad martyrium* Spiritus S. *pertinet;* & non abſque recondito Sacramento Spiritus ſanctus, Iudici perſecutionem patienti propter iuſtitiam, nomen Beati tribuit. Vndè concludit Angelicus Angel. Doctor qu. cit. ar. 1. ad 1. Doctor quæſtione citata art. 2. in reſponſ. ad primum *Sicut autem fortitudo ciuilis firmat animũ hominis in iuſtitia humana propter cuius conſeruationem, mortis pericula ſuſtinet: ita etiam fortitudo gratuita firmat animum hominis in bono iuſtitiæ Dei, quæ eſt per fidem Chriſti Ieſu, vt dicitur ad Romanos 3.*

Sed dubitatur. An qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, ſine peccato poſſunt imprecari mala, eorum perſecutoribus. Reſpondet Magiſter Auguſtinus de Anchona ſuper Matthæum dicens, quod quæſtio eſt Matthæi 6. dubia, nàm Saluator, ait Matthæi 6. Apoſtolis, & Sanctis viris loquens: *Benedicite perſequentibus vos, & nolite maledicere.* Sciendũ inquit, quod hoc poteſt intelligi, quinquipliciter. Primo, amore vindictæ per ſuam vendicationem, ſic numquam licuit Sãctis viris, vt dicitur 1. Petri 2. 1. Petri 2. *Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes: etiam exẽplo Chriſti, cui, cum malediceretur non maledicebat.* Secundo modo, hoc poteſt intelligi amore iuſtitiæ, & malorum correctionem. Sic Ælias fecit ignem de Cælo deſcendere, vt deuoraret duos 4. Reg. c. 1. quinquagenarios, vt patet 4. Regum 1. Sic Petrus fecit Ananiæ, & Zaphiræ, qui mentiti fuerunt Spiritui ſancto; Actorum 4. & in Actorum c. 4. hoc non peccant, quia à Diuino Iudicio non diſcordant, vt patet decretali 24. q. 3. cap. cum ergò. Tertio modo poſſunt propter aliorum liberationem, vt à malis deſiſtant, ſic Paulus dixit Actorũ Actorum c. 13. 13. reſiſtenti eius prædicationi. *O plenè omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimici omnis iuſtitiæ, nõ deſinis ſubuertere vias Domini rectas; & nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns Solem, vſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat, qui eis manum daret.* Sic de multis alijs Sanctis legimus eſſe. Quartò modo poteſt intelligi non per modum optantis, ſed prophetantis pſal. 68. *Fiat menſa eorum ipſis, in* Pſal. 68. *laqueum;* fiat, ideſt fiet, & hoc poterant licitè ſine peccato. Quinto modo vocatur maledictio criminalis, quę ſecundum Diuum Thomam 2.2. q. 76. art. 3. in corpore: D. Thomas 2.2. qu. 76. ar 3 in cor. *Eſt per quam pronunciatur malũ contra aliquem imprecando, vel optando, quod ſecundum ſe repugnant charitatis igitur eſt peccatũ mortale:* ideò dicit Apoſtolus ad Galatas cap. 5. *Neque maledicti, Regnum Dei conſequentur.* Et ad Galatas c. 5 Corinth. c. 6. *Neque maledicti, neque rapaces, Regnum Dei poſſidebũt:* Corinth. 6. talis maledictio eſt magis ipſis maledicentibus metuẽda, quam alijs, quia committũt magis peccata mortalia, & finaliter redundat

dat

dat in caput eorum,quia dicitur. Geneſis 27. *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus*. Vndè docet Diuus Thomas loco citato: *Quod illud peccatum,tantò grauius, quātò perſonam cui maledicimus magis amare,& reueriri tenemur. Contingit tamen aliquando eſſe veniale propter paruitatem mali, quod aliquis alicui imprecatur. Vel etiam propter affectum eius, qui profert, dùm ex leui motu,vel ex ludo, aut ex ſubreptione aliqua, talia verba profert,quia peccata verborum maximè ex affectu penſantur*: hæc Diuus Thomas,vt ſupra,&c. Et concluſio eſt, quod Iudices, qui propter iuſtitiam perſecutionē patiuntur nullo modo poſſunt imprecari eorum perſecutoribus mala,ſine peccato.

Geneſis 27.
D.Thomas loc.cit.

Immò amplius dubitatur. An ſimulatio in Iudicibus in ordine ad bonum finem, nempè ad rectam iuſtitiam faciendam,poſſit eos priuari aureola martyrij, quoties perſecutionem propter ipſam iuſtitiam paterentur. Reſpondet Angelicus Doctor 2.2. q.111.art.4. *Quod laudabiliter fieri poteſt,quia quandoquis ſimulat ad honorem Dei, & proximorum non peccat, ſed meretur ſi eſt in charitate. Ideò Matthæi 5. Luceat lux veſtra coram hominibus,vt videāt opera veſtra bona*. Ergo ſi Iudices propter hoc perſequerentur, martyrij corona digni ſunt, quia perſecutio,vt diximus cum Diuo Thoma ad martyrium pertinet.

D.Thomas 2.2. q.111. ar.4.
Matth.c.5.

Inter iſtos ſimulatores ſunt aliqui gradus. Primi, vocantur Iudices Apoſtolici, qui fingunt ſe vitam Apoſtolicam ſeruare, tanquam oues incędentes, & iuſtitia legis Chriſti ſe abundare ſimulates. Vndè Chryſoſtomus ſuper illud Matthæi c.5. *Niſi abūdauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum,&c.* dicit: *Phariſeorum iuſtitia erat in oſtentatione operis, non in rectitudine intentionis; in locutione,non in opere; in corporis afflictione,non in mandatorum obſeruatione; in minoribus obſeruantijs, relictis grauioribus legis*: hæc ille. Alij vocantur conſcientiati Iudices, & ſunt,qui ſtrictam faciunt conſcientiam de minimo,ſed de maximo ſcelere non faciunt ſibi cōſcientiam. Contra quos Dominus, Matthæi 23. *Duces cæci excolētes culicem, Camelum autem glutientes*. Vndè Gloſa Vgonis in libro de Arra animæ: *Vulpia conſcientia, eſt tepida conuerſatio, ficta promiſſio, breuis confeſſio, rara compunctio; obedientia ſine deuotione, oratio ſine intentione, lectio ſine ædificatione, ſermo ſine circumſpectione. O quam dura ſunt verba iſta, quæ loquor, quoniam me ipſum loquendo ferio*: hæc ille. Alij vocantur deuoti Iudices, qui fingunt ſe poſſe concedere multa,vt à populo temporalia extorqueri poſſint. Contra quos dicitur in Clemēt. de pænit. & rect. cap. abuſionibus: *Quod ab huiuſmodi abuſionibus debent ceſſare, quia decipiunt populum*. Alij vocantur mel in bucca,

Matth. c.5.
Matth. 23.
Vgo.lib.de Arra Animæ.
Clementin. de pœniten. & rect. cap. abuſio.

ca,qui vtuntur verbis dulcibus, & manſuetis, venenum tamen ſeruāt in corde,vt poſſint à proximo extorquere, quæ volunt,& cupiunt. De quibus Seneca epiſ. 3.dicit: *Barbariſmus eſt morum, ſermo iucundus, & animus doloſus. Hoc eſt venenū aſpidum inſanabile Deutero.32.* Et Dauid pſalm. 13. *Venenum aſpidum ſub labijs eorū.*

Seneca ep. 3.

Deuter. 32. Pſal. 13.

Vndè Diuus Hieronymus, & ponitur in Decretali 23. qu. 5. cap. Regum: *Quod vera iuſtitia eſt, Deum timere, & per omnia in eo confidere.* Cuius exemplum patuit in Theodoſio Imperatore, ſicut legitur in hiſtoria Tripartita lib. 9. Quod cum apud Theſalonicā Ciuitatem, quidam Iudices fuiſſent lapidati propter iuſtitiam ab ipſis iuſtè,& rectè propalatā. indignatus Theodoſius, omnes paſſim interrimi iuſſit, vbi ſeptē millia hominum ſunt occiſi, non præcedente Iudicio. Cum autem Diuus Ambroſius audiſſet hanc cladem, cum Imperator veniſſet Mediolanū, in templum occurrens ei dixit: *Quod indignus eſſet Sacri Templi limina calcare, nec illud deberet intrare propter necem, & dixit Imperatori. Recede nefande, & ſuſcipe vinculum, quo te ligauit omnium Dominus.* His auditis obidiuit gemens,& dicēs. Nonnè Dauid peccauit, adulterium, & homicidium commiſit, Maria Magdalena,&c. *Reſpondit Ambroſius ſecutus es errantes, ſequere, & pænitentes:* Et cum excommunicationem ſubſtinuiſſet per octo menſes, cum abſoluit, & fecit eū ſcribere decretum, quod numquam exequeretur ſententia Imperatoris, niſi poſt triginta dies: Ideò dicitur Sapientiæ 1. *Diligite iuſtitiam vos, qui iudicatis terram,* quia ſine huiuſmodi iuſtitia, nec Republica gubernari poteſt; nec Iudex martyrij aureolam conſequi poteſt.

D. Hieron. in decr.

D. Ambroſ.

CAPITVLVM DECIMVM,

Qualis eſſe debeat Iudex, iuxtà Salomonis Sapientiam.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

Leuit. c. 13. SPritus ſanctus Leuitici tertiò decimo, volens nobis pro huius Aſſiomatis dilucidatione, Sacræ Scripturæ arcana aperire: Manue elegit, qui cum Angelo Domini lòquens, ſic eum alloquitur: *Obſecro te, vt acquieſcas precibus meis, & faciamus tibi Hadum de Capris. Cui reſpondit Angelus: Si me cogis non comedam panes tuos, ſi autem vis holocauſtum facere offer illud Domino: Et neſciebat manue, quod Angelus Domini eſſet. Dixitque ad eum, quod eſt tibi nomen, vt ſi ſermo tuus fuerit expletus, honoremus te? Cui ille reſpondit. Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile. Tulitque Manue hædum de capris, & libamenta, & poſuit ſuper petram offerens Domino, qui facit mirabilia: ipſe autem, & uxor eius intuebantur. Cumque aſcenderet flamma Altaris in Cælum, Angelus Domini pariter in flamma aſcẽdit: Quod cum vidiſſet Manue, & vxor eius proni caciderunt in terrã, & vltra eis non apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue, Angelum Domini eſſe, & dixit ad vxorem ſuam, morte moriemur, quia vidimus Dominum. Cui reſpõdit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum, & libamenta non ſuſcepiſſet.* Notate quæſo hæc vltima verba: *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtũ, & libamenta*

bamenta non ſuſcepiſſet. Ac ſi diceret (ſigna myſterium) munus accepit, eſto hilari animo, non moriemur, nàm quoties recipiũtur munera, ipſummet munus in vitam conuertitur. Vndè Genebrardus hic: *quoties recipiuntur munera, euaneſcit iuſtitia,* quę dempta quid mirum dicat Diuus Auguſtinus de Ciuitate Dei, loco, vt ſupra citato: *Dempta iuſtitia, quid ſunt Regna, niſi magna latrocinia?* Præbete aures, ò vos, qui iudicatis terram, & caurè iuxtà Salomonis ſapientiam ambulate, de quo, vt exequutor rectæ iuſtitię, numquam legitur per munera fœdare iuſtitiam.

Genebrard.

D. Aug.

Vndè in dubium inter Theologos vertitur. An Iudex dici poſſit Dei miniſter, quemadmodum, & cæteri, qui Sacrificia Deo offerunt. Reſpondeo, cum Angelico Doctore 2.2.q.60.ar.2. ad ſecundum, vbi habet: *Iudex conſtituitur, vt miniſter Dei, quia Dei eſt iudicium, vt Deuteronomij primo dicitur.* Et Sapientiæ 6. Spiritus ſanctus, inquit: *Diſcite Iudices finium terræ, & præbete aures, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur; quoniam cum eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ.* Quàpropter Salomon, nè temerè populum ſuum iudicaret, petiuit à Domino ſcientiam, & ſapientiam, vt ſacra inquit Scriptura 3. Regum 8. Ita alijque Iudices, à Deo ſcientiam impetrãtes, iuſta Dei mandata, iudicium ferre debent.

D.Thomas 2.2. qu. 60. ar.2.ad 2.

1. Deuter.

Sap. 6.

3. Reg. 8.

Vndè Iudex ſe debet Summo Sacerdoti Melchiſedech conformari, de quo Diuus Paulus ad Hebræos c.7. ait: *Melchiſedech ſine patre, ſine matre, ſine geneologia, neque principium, neque finem dierum habens, per omnia autem aſſimilatus filio Dei.* Redditur tamen apud omnes Sanctos Patres nimis difficilis huius Scripturæ interpratatio, quod Melchiſedech ſit ſine patre, & ſine matre? Reſponſio D.Thomæ 3. par.qu. 22.a.6. ad 3. eſt huiuſmodi. *Quod Melchiſedech dictus eſt ſine patre, & ſine matre, & ſine genealogia, & quod non habet initium dierum, neq; finem: non quia iſta non habuerit, ſed quia in Scriptura Sacra, iſta de eo nõ leguntur, & per hoc ipſum, vt Apoſtolus ibidem dicit: Aſſimilatus eſt filio Dei, qui in terris, eſt ſine patre, & in Cælis ſine matre, & ſine genealogia, ſecundũ illud Iſaiæ 43. Generationem eius, quis enarrabit? Et ſecundum diuinitatem, neq; principium, neque finem dierum habet.* Modo percontor; Generatio Melchiſedech fuit nè, ſicut illa Adami, immediatè, ſcilicet à Deo, ac per conſequens, ſine patre, & ſine matre? Nec deſunt Hæretici, ſimul cum aliquibus Catholicis aſſerentes, Melchiſedech in hominis figura, Angelum fuiſſe. Alij, quod tertia fuit Sanctiſſimæ Trinitatis perſona, nempè Spiritus Sanctus, & conſequen-

Ad Hæb.7.

ter ſine patre, & matre eſſe defendebant,cum proceſſiones diuinæ hoc principio carent:Et in Sanctiſſima Triade ſolus filius dicitur genitus. Sequitur ſine genealogia,neque principium, neque finem dierum habens, quia cum ſit Deus,tàm à parte ante,quam à parte poſt,æternus erat. Quod author quæſtionum, veteris,& noui teſtamenti, tomo quarto ſub nomine Diui Auguſtini acerrimè defendit.Concludit autem Diuina Scriptura: *Quod Melchiſedech Rex Salem fuit verus homo*. Et ſi fuit verus homo, quomodo aſſimilatur Chriſto. *Per omnia autem aſſimilatus filio Dei.*

Author quæſt. vete. ac noui teſtam.

In tàm graui, ac difficili dubio, Doctores, varias adducunt rationes. Abulenſis præcipuè, lyra,multique Rabbini aſſerentes, quod Melchiſedech erat Sem filius Noè, cui primogenitura, ac Sacerdotium annexum erat.Et ſi Noè, filius fuit, igitur ex patre,& matre,& ſi ex patre, & matre, quomodo Apoſtolus dicit: *Melchiſedech ſine patre, & matre?* Reſpondent ſupracitati Doctores, quod Melchiſedech, in quantum Melchiſedech dicitur ſine patre, & matre: *Nàm Melchiſedech dicitur Rex iuſtitiæ*, & bonus Iudex, vt rectam faciat iuſtitiam,debet eſſe ſine patre, & ſine matre, ideſt debet ignorare parentes. Conſideratus verò Melchiſedech, inquantum Sem, iam habet parentes, & genealogiam, quia hoc nomen Sem, vt docet Diuus Hieronymus in explicatione hæbraica, aliud non ſignificat: *Quod mitus, ſeù cognitus*, ideſt benignus, ſuauis,manſuetus,& humilis;itaque conſideratus Melchiſedech, vt Rex iuſtitiæ, nempè rigurosus, horribilis,atque tremendus, dicitur ſine catre,& ſine matre. *Et in hoc aſſimilatur filio Dei*: Nàm ipſemet Chriſtus, inquantum Deus, parentibus caret. Conſideratus Melchiſedech, ſub hoc nomine Sem, ideſt benignus, ſuauis,& manſuetus,ab omnibus cognitus,vt eſuriens, & ſitibundus, volens omnibus ſuam communicare naturam, iam dicitur habere parẽtes. *Veram maculantes iuſtitiam*, addit Abulenſis.

Abulenſis Lyra Rabbini,

D. Hieron.

Multoties ergo conſanguinitas, Iudicum corda attrahit,per quam eorum animam denigrãt. Vndè lego,quod duo fuerunt in locum Iudæ, ad Apoſtolatum concurrẽtes Matthia, & Ioſeph, qui vocabatur Barſabas: *Apoſtoli ad Deum orantes dixerunt. Tu Domine,qui corda noſti omnium, oſtende,quem elegeris ex his duobus.* Dederunt ſortes, & cæcidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt,cum vndecim Apoſtolis. En difficultas: Quare Deus non potius inſpirauit electionem in perſonam Ioſeph? fortaſſis in Apoſtolatus officium non eſſet idoneus? non erat forſitan Ioſeph iuſtus, quemadmodum Sacer

cer textus affirmat, dicens, *Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus?* ergo quare ab Apoſtolatus officio excluſus fuit? Reſpondit Dionyſius Cartuſianus in cap. 2. Actuū Apoſtolorum; quia Christi conſanguineus erat, nempè frater Iacobi minoris; quaſi diceret Saluator, nè in hac videar electione partialis erga meum conſanguineum, eligatur Matthias. Dionyſius Cartuſianus. *Ioſeph, ideſt Barſabas, fuit frater Iacobi minoris, & conſanguineus Christi, ſicq; per hoc, quod Christus huic Ioſeph, Matthiam in Apoſtolatum præpoſuit, docuit, quod ex conſanguinitate, aut carnali affectu, non ſunt homines à Iudicibus, ad Eccleſiaſtica beneficia, aut officia promouendi, caueāt Iudices, nè ſanguis, aut amicitia eos corrumpant.*

Dion. Cart. in cap. 2. Actu Apoſ.

Ideò Iudices, in iudicando eſſe debent inſtar ſalis: *Vos eſtis lux Mundi, vos eſtis ſal terræ.* Quemadmodum Sol numquam quieſcit, ſed ſemper in motu, ita Iudices ſemper ſtudere, vt cauſarum merita omnibus patefaciant. Et quemadmodum Sol non eſt acceptor perſonarum, neque locorum, æqualiter enim illuminat Principes, ac ſeruos, nobiles, ac plebeos, ita Iudices, quibus dicitur: *Vos eſtis lux Mundi.* Confirmat hoc Franciſcus Labanus to. 1. verbo Iudex, inquiens: *Sol omnibus lucet, & calorem æqualiter impartitur, nec pauperi minus, nec diuiti magis concedit, ſed omnibus æquè lucet, & calorem exhibet: non minus Iudex debet omnibus æqualiter, luce ſuæ ſapientiæ, ſeù doctrinæ impartire.*

Franc. Lab to. 1.

Dixi, quod Iudex debet æqualiter omnibus, ſuæ ſapientiæ, ſeù iuſtitiæ lucem impartire, inſtar Salomonis nempè, quod auditis partibus, vt patet in pueri diuiſione, & S. Athanaſius Apologia 2. affirmat, verbo intelligitur: *Vera, & recta iuſtitia (inquit Diuus Athanaſius) conſiſtit, vt ea, quæ in audita altera parte fiunt, nihil habere roboris, nemo mortalium ignoraue rit. Non eſt moris Romanæ gratiæ aduerſariorum condonare hominem reum, qui nondùm accuſatores ante oculos ſuos habuit, aut reſpondendi locum, de crimine adeptus.* Et Sanctus Clemens Romanus lib. 2. Apoſt. Conſtitut. cap. 51. ſubdit: *Diximus verò non eſſe æquum, altera tantùm parte audita, iudicare, etenim ſi alterum audiatis, cum alter abeſt, & cum nihil ad illarum crimen reſponderit, ſententiam de damnatione eius tuleritis apud Deum iuſtum Iudicem repereamini.*

S. Athanaſ. Apol. 2.

S. Clemens Rom lib. 2. Apo. conſt. c. 51.

Sequitur, *Vos eſtis ſal terræ.* Aduertere licet, quod ſal duobus contrarijs componitur, elementis, aqua ſcilicet, & igne, inter ſe iugiter litigantes: vndè notat D. Hilarius in Matthæum cap. 4. *Sal eſt in ſe vnum, continens aquæ, & ignis elementum, & quamuis inter ſe contrarij ſunt, contra tertium vniuntur, & hoc procedit, quia ſal nō ita partialis eſt aquæ, quam ignis.* Videte, ſi partialis eſſet ignis, quare effundendo aquam; illicò ſtri-

D. Hilar. in Matth. c. 4.

ſtridet, ac ſtrepitat? ſi partialis eſſet aquæ ſtatim fugit ignis, & ſal, in aquam diſſoluitur.

Dixi, Iudex ſal eſſe debet. *Vos eſtis ſal terræ.* Nàm non debet magis vnam, quam alteram fauere partem, ſi vni vnitur, altera ſtridet, Iudicem allegando partialem, atque ſuſpectum, ac per conſequens indignum ſalis prærogatiua: quare oportet litigantibus æqualem iuſtitiæ ſtateram exhibere, vt ſal in ſuo eſſe, nempè in ſua conſeruaretur extimatione; ita Franciſcus Labanus tomo 1. verbo Iudex, dicens: *Mirum Iudicis ſymbolum, quando enim duo litigant inter ſe, Iudex eos, quantumuis vi oppoſitos, ſicut ſal, ignem, & aquam debet continere pacificè, non ad hunc potius, quam ad illum præpondens. Quod ſi ad ſe aliquis eorum trahere contendat, debet, ſicut ab igne ſal, ſtatim reſilire, quod ſi remanſerit, aut in igne comburi, aut in aqua reſolui, & perire illum oportet.* Vndè meritò Chriſtus, diuinos Iudices, nempè Apoſtolos, illis comparat dicendo: *Vos eſtis ſal terræ; Vos eſtis lux Mundi, &c.*

Franc. Lab. tom. 1.

Nec relinquenda eſt authoritas Summi Pontificis Innocentij Papæ tertij, lib. de contemptu Mundi lect. 3. & 4. ſic clamantis. *Vęh, vobis, qui corruptis prece, vel pretio, qui tracti amore, vel odio, dicitis bonum malum, & malum bonū. Vos enim non attenditis merita cauſarum, ſed merita perſonarum, non iura, ſed munera, non iuſtitiam, ſed pecuniam, non quod ratio dictat, ſed quod voluntas affectat, non quod lex ſanciat, ſed quod mens cupiat, non inclinatis animum ad iuſtitiam, ſed iuſtitiam inclinatis ad animum, nor, vt quod licet, hoc libeat, ſed, ut liceat, quod hoc libet.* Cauete igitur nè vos tenebræ comprehendant, iuxtà illud Euangeliſtæ Ioannis, qui Cælum vidit apertum, ſimulque cohortem cæleſtialem, textus: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Multas vidit turbas, nempè Tribù Beniamin, Tribù Leui, Tribù Iuda, &c. Sed Tribù Dan non vidit: Modò dico, quare huiuſmodi Tribù è Paradiſo excluditur? Reſpondeo. Dan, iudicans dicitur, ſiue iudicium ſignificat. Ita moribundus Pater eius Iacob prophetauit. Geneſis cap. 4. dicens: *Dan iudicabit populum ſuum,* & ſi iudicabit difficilè iudicium. Vndè Vgo Cardinalis ſcribit apud Ioannē Pined. tom. 3. Etymolog. 65. *Tribus Dan, ideſt Iudices, non numerātur in Cathalogo Sanctorum. Dan interpretatur cauſa, vel iudicium, & ſignificat Iudices, & contenſioſos, quibus timendum eſt, nè à numero ſeruorum Dei excludantur.*

Innoc. III lib. de contempt. Mūdi lect. 3. & 4.

Apoc. c. 7.

Vgo Card. apud Pine.

Et ſi Iudex iuxtà legum decreta dicitur: *Authoritatis formidabile miniſterium;* quia octo pænas Reis infligere poteſt, nēpè, Dānum, Vincula, Verbera, Talionē, Ignominiam, Exilium, Seruitutem, & Mortem. Aduertat, quod in his, inſtar Talpæ, abſque oculis, ac manibus eſſe conatur, ideſt neminem in faciem reſpicere,

nec

nec manus ad recipienda dona extendere.

Corn. Lep. in direct. p. 1. *Cæca, ſed audito præpollens Talpa ſagaci.*

Iudicis eſſe tibi, vera tabella poteſt.

Amplius, debet Iudex eſſe vigilans, die noctuque ſtudere. Chriſtus Dominus antequam in Crucem aſcéderet, ter in horto orauit, & completa oratione; ad diſcipulos veniens, dormientes inuenit, & dixit Petro ſic? *Nõ* Matth. 26. *poteſtis vna hora vigilare mecum? vigilate, &c.* Meritò de hac Chriſti reprehenſione, Diuus obſtupeſcit Hylarius Canon. 31. in D.Hylar.in Matth. Cano. 31. Matthæum, dicens: *Quomodo? omnes tres diſcipuli dormiunt, & ſoli Petro reprehendit? qui, cum ſenex eſſet, ipſa ſenectus eſt ſomni incitatiua, ac prouocatiua. Reſpondit Hilarius, quia Petrus multa promiſit, quod alij non fecerunt diſcipuli, claues Cælorũ obtinuit; & qui in dignitate videtur conſtitutus, tenetur neceſſariò ſomnũ expellere*; cui ſacer textus: *Tibi dabo claues Regni Cælorum, & tu Simon dormis?* Quaſi diceret, miror ò Petre, qui dùm es in officio Iudicis pro Tribunali ſedente Mundum iudicans laureatus, & dormis, non, non, Iudex vigilare oportet pro recta adimplenda iuſtitia: *Nam qui uigilauerit propter illam, citò ſecurus erit*; dicitur Sapientiæ 6. Et in eodem Capitu- Sapient. 6. lo: *Qui dormit, iudicium duriſſimũ in his, qui præſunt fiet, nàm fortioribus, fortior inſtat cruciatio.* Iudices vigilantes (qui libros, ſicut multi faciunt, veluti ſerpentes fugiunt) pauci inueniuntur, quos Deus ſignauit: *Signa T hau litera* Ezech. c. 9. *ſuper frontes eorum.* Vndè Titus Tit.Liu. Liuius exclamat. *O Mundi miſeria volunt, rogant, muneribus cogũt, & præeſſe neſciunt, quæ miſeriæ dant animum liberè loquendi.*

Iudex non debet eſſe perſonarum acceptor, iuxtà illud Pro- Prou. c. 18. uerbiorum 18. *Accipere perſonam in iudicio non eſt bonum, vt declinet à veritate iudicij.* En exemplum in Sacra Scriptura, Matth. 1. *Dauid* Matth. c. 1. *autem genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Miror certè de hoc Euangeliſtæ Mattæi dictu: poterat enim dicere, Dauid autem genuit Salomonem de Berſabea, dùm Salomon filius fuit legitimus de legitimo matrimonio: nàm Dauid mortuo Vria in vxorem ſibi deſpõſauit Berſabeam, de quo ſponſalitio natus eſt Salomon; debebat igitur Sanctus Euangeliſta, cum veritate deſcribere Salomonis natalem, & dicere, Dauid autem genuit Salomonem de Berſabea, & non ſilere eius nomen dicendo: *Ex ea, quæ fuit Vriæ:* quamuis hoc Deo permittente factum eſt, ad inſinuandum, quod in vera iuſtitia non eſt acceptor perſonarum, dùm voluit Dauidis peccata de cognitione Berſabeæ, & Vriæ homicidio innoteſcere Mundo. Et nihilominus Dauid erat homo ſecundum cor ſuum: *Inueni hominem ſecundum cor meum.* Erat Da- Actuum 13 uid Rex ſãctus, ac Dei præceptis

nimis

nimis obediens, iuxtà illud 3.
3. Reg. 15. Regum 15. *Non declinauit Dauid neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, excepto ſermone Vriæ Hæthei.* Dixi, quod hoc à Deo permittẽte factum eſt, vt iudicibus innoteſcat, quod non eſt acceptor
Tertul. lib. de pænit. perſonarum: ita Tertullianus lib. de pænitentia: *Deus in omnia ſufficit, nihil in conſpectu eius remotũ, diſſimulator, & præuaricator iuſtitiæ ſuæ non eſt.* Bonus Iudex, Dei veſtigia ſectando, nõ debet perſonarum eſſe acceptor, & ſi tales, pecunia corrumpuntur: ita reſpondit Balaam Dei miniſter: *Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam Argenti, & Auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei.*
Num. c. 22. Genebrard. *Numeri* 22. Genebrardus: *Verbũ Domini eſt: Sacrificate mihi ſacrificium iuſtitiæ, quæ donis corrupta ſacrificium Deo eſse deſinit.* Quàpropter Dauid canebat: *Iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis ſuæ.* Vo-
Pſal. 88.
Oleaſt. lect. 118. lens differentiam, vt notat Oleaſter inter Iudices Cæli, & Iudices terræ, oſtendere, quod Iudices Cæli, ipſummet Deum habent, qui iuſtitiæ ſedes præparat. Iudices verò terræ munera, & dona ſunt præparatio Sedis iuſtitiæ eorum. Quiquidem Iudices poſſunt aſſimilari Pauoni, qui Pauo, videns ſe varijs veſtitus coloribus ſummoperè lætatur; inſpiciens indè pedes triſta-
Tertul. c. 3. de Pauo. tur: *Pauo* (ſubdit Tertullianus) *multi color, & diſcolor, & verſicolor, numquam ipſa, ſemper alia, & ſi ſemper ipſa, quando alia, toties denique mutanda, quoties mouenda, poſteà pedes videns vlulando dolet.* Colorum diuerſitas in Pauone, veſtium in Iudice diuerſitatem ſignificat, qui pedes inſpiciens, ſuum nempè conſiderans originem, indè valdè triſtatur. Sed nõ dolet de propria conſcientia, quæ ſi de verbis otioſis, quantò magis de iniuſtitijs: *Reddent rationem in die iudicij.* Matt. c. 12.

Vnde in iudjcio preter iuſtitiam, duæ debent fulgere virtutes, ſcilicet Clementia, & modeſtia. *Clementia, vt docet Diuus Thomas 2. 2. qu. 157. art. 2. propriè eſt diminutiua pœnarum, quaſi decernens hominem non eſſe amplius puniendum, vnde Iudex accenſus ira contra delinquentem impetum debet paſſionis moderare, vt ne penis grauioribus delinquentem puniat:* Quare ſubdit Seneca in 2. de Clementia. *Clementia hoc primum præſtat, vt quos dimittit, nihil aliud illos pati debuiſſe pronunciat.* Modeſtia vero, vt docet D. Thomas 2. 2. qu. 143. ar. 1. in cor. *eſt circa motus, & actus corporales, moderationem, & refrenationem faciens,* ideſt modeſtia eſt circa actiones externas, per quas Iudex, actum iuſtitiæ exercendo tam verbis, quam factis, modeſtiæ moderamen ſeruare debet, iramque moderare, ergà eos præcipuè, quos malos putat; ita legitur obſeruan. ff. de off. Præſid.
D. Thomas 2. 2. q. 157. ar. 2.
Senec. 2. de clem.
D. Thomas 2. 2. q. 143. ar. 1.

Dixi, quod in Iudice præter iuſtitiam, hæ duæ virtutes in eo

ful-

fulſere debent; Clementia ſcilicet,& modeſtia,nihilominus addo, inter omnes virtutes præcipuè ipſa iuſtitia, per quam ſubditorum lapidia corda, in virtutum culmina exuberant: Ita Diuus Auguſtinus ſuper illa verba. Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram,inquit. *Diligite iuſtitiam, quia hæc eſt virga, qua petra percuſſa manat influenta, quia lapidea ſubditorum corda iudicio iuſtitiæ tacta, in virtutũ exuberant flumina*. Et certè hæc eſt vera Moyſis virga, nempè iuſtitia, quapetra indurati cordis percuſſa iuſtitiæ flumina manant, & ſi aliquando ſubditorum corda, vtpote lapidea oſtenduntur, tacta virga iuſtitiæ, illicò molliuntur, vt virtutum opera exuberant.

Notandum eſt 2. quod nullus Iudex tam ſecularis, quam Eccleſiaſticus à partibus ſalarium recipere poteſt. Si eſt ſtipendiatus, vel pro officio ſuo,ex publico,ſalarium habet: ita Syluester V. Iudex num. 13. Bonaci. tom.2. diſput.10. in decalo. q.2. p.8. num.2. Armilla nu. 6. Moli. de iuſtitia diſput.83. Tabiena V. index. Cardin. Lugo tom.2. diſt. 37. num. 123. Panorm. & alij. Ratio eſt, quia iniuſtum eſt pro eodem opere, & labore duo ſtipendia accipere,quia, vt ſupponitur per primum ſufficienter, & ęqualiter ſatisfit,ergo ſecundum eſt indebitum, & ſuperfluum, & ex iuſtitia exigi non poteſt.

Dices, & ſi ſpontè à partibus oblatum ei fuerit, poſſit nè recipere. Reſpondeo negatiuè cum Nauarro c.17. num. 33. & cum Panormit. in cap. Quia plerumque de Immunitate Eccleſ. immo tenetur ad reſtitut. ita Medina de reſtitut. quæ.2. art. 2. Menoch. de Arbitrio caſu 514. nu. 7. & Molina de iuſtitia, & iure diſputat.8. Debent Iudices, qui hoc onus ſuſcipiunt eſſe ſalario contenti, quod omni iuri conſentaneum eſt.

Fragilis eſt,atque inutilis eorum excuſatio de paruitate ſalarij, nempe, quod illud ſit modicum, nam hoc ſuppoſito acceptare nolebant, quare ſi cum tali ſalario officium receperint, dicuntur pro illo ſe obligaſſe ad illud exercendum; ita Molina de iuſtitia, & iure diſput. 83. Alex. conſil.13. num.9. & conſil. 157. lib.2. & conſil.158. in princ. lib. 5. Caſtrenſ. in leg. ſi duo, ff. de acqu. hæredit. Crabe.conſ.186. num.7. 8. & 9. & addit Lanfrancus c. de ſalario qu.72. num.17. quod hoc intelligendum eſt, etiam ſi ſalarium à principio erat competens, poſtea in ſucceſſu temporum euaſit tenuum, & inſufficiens.

Cardinalis vero de Lugo to. 2. de iuſtitia diſput. 37. num. 124. Molina diſput.63. Et Nauarrus conſil. de datis, & acceptis num. 47. docent, quod poſſit iudex aliquid accipere, dummodo non excedat limites iuſti pretij, ſi Princeps nobis augeret ſalarium;

O ve-

verum quod hoc procedit, dicũt iſti Doctores, vbi id conſuetudine eſt introductum. Si non adeſt conſuetudo, ò quam difficile eſt per hanc viam ambulare, quæ abſolutè non eſt tuta, & obligatur ad reſtitutionem docet Medina loco citato. Dices, hæc conſuetudo vbique introducta eſt, tam in Tribunalibus, quam extra, at qui conſuetudo vertitur in legem ergo &c. Reſpondetur, quod ſicut bonum, ita & malum quocunque ponatur ſemper eſt tale; huiuſmodi conſuetudo malè à DD. ſentitur ergo &c.

Nos de Iudice ſæculari loquimur, tanto magis de Eccleſiaſtico, qui pro labore ſuſcepto in iudicando, vt docet Panorm. c. cum de omni num. 9. Armilla n. 6. & Syluester nu. 13. nihil exigere poteſt, dico nihil, nam Iudici ſæculari aliqui Doctores aliquid concedunt, vt Barboſa hic num. 85. Dacia. conſil. 41. num. 74. lect. 2. Tabien. V. index num. 8. Menoch. de arbitrio caſu 342. num. 39. Sed Eccleſiaſtico nihil. Nam Iudex Eccleſiaſticus, vt docet Panormi, Armilla, Syluester &c. habet beneficium, & fructus ſibi aſſignatos ad ſui officij ſubſtinenda opera, interque onera eſt iudicij officiũ, quapropter ex publico dicitur habere ſalarium pro exercendo iudicis officio.

Dixi, quod Iudices ſæculares ſecũdum aliquos Doctores poſſunt accipere; ſed oppoſita ſententia eſt magis probabilis, nempè Iudicem non poſſe vendere iuſtitiam, nempè ſententiam iuſtam, etiam illi ſpontè offerentibus pretium. Hæc eſſet manifeſtiſſima iniuſtitia; nouum recipere prætium pro eo, quod ex iuſtitia eſt debitum: ita communiter Doctores omnes, præcipuè Armilla num. 11. Panorm. cap. cum omni, num. 8. de vita, & honeſtate Clericorum. Tab. V. Iudex num. 16. Quidquid dicant contrarij, ſemper illicitum eſſe Iudici ſententiam vendere, vel quoſcunque actus iudiciales. Ratio horum Doctorum eſt euidẽs. Vel iſti actus ſunt iuſti, vel iniuſti; ſi ſunt iuſti, debentur; & per conſequens pro illis nouum prętium recipere non poteſt. Si ſunt iniuſti, illicitum eſt iniuſtitiam facere pro prætio.

Sed dubium inſurgit, poſſitne, aliquid recipere ex dono datum. Reſpondet Bonaci. tom. 2. diſput. 10. in Decalog. quæſt. 2. p. 8. ff. indi. num. 7. Hoc non eſſe contra ius naturæ. Et Nauarrus in Comenta. de datis, & acceptis num. 5. docet non eſſe prohibitum. Verum Innocentius III. in cap. cum de omni de vita, & honeſtate Clericorum, oſtendit hoc habere ſpetiem mali, quod eſſe poteſt mali occaſio, quia impoſſibile, quod Iudex, quæ ab vna partium, magnum recipit donum, non incliner in illius fauorem in prolatione ſententiæ: ergò inquit Innocentius III. eſt maxi-

maxima mali occaſio. Nec valet conſuetudinem adducere, nam hæc eſſet abuſus, quia eſſet conſuetudo nutritiua peccati fauorabilis iniuſtitiæ, & ſimoniæ. Aduertendum eſt vero huiuſmodi doctrinam non ſolummodo includere Iudices, ſed omnes iuſtitiæ miniſtros comprehendere, quia omnes plus; vel minus muneribus corrumpi poſſunt, & cũ Medina, vt ſupra, & alijs ad reſtitutionem tenentur. Ita decernit conſtitutio Sanctiſſ. D. N. Alexandri inter grauiſſimas 2. Maij 1656. contra promittentes, & dantes, & accipientes pro gratia, aut iuſtitia; nec non expreſsè prohibet, etiam promittere, dare, & accipere ad redimendam iniuſtam vexationem, etiam ad defenſionem iuris quæſiti. *Quinimo, inquit, non licere quicquam promittere, dare, & accipere quibuſcunque Iudicibus, Miniſtris, Officialibus, & alijs auctoritatem, aut poteſtatem habentibus, nec quibuſcunque mediatoribus pro defenſione iuris quæſiti, ſine aſſecutione quærendi, etiam ad redimendum iniuſtam vexationem, motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine, & tenore prædictis decernimus pariter, & declaramus.*

Sed quid dicendum, ſi Iudici, vt iniquam proferat ſententiam, aliquid detur. Dico ſi Iudex pecunia corruptus, vt iniuſtam ſententiam preferat, ante factum abſtinere tenetur ab iniqua ſententia, & pecunia, quam recepit reddere. Poſt factum non tenetur reddere pecuniam, quam propter iniquam ſententiam, quam protulit, recepit, vt docet D. Thomas 2. 2. queſt. 62. art. 5. Sotus lect. 4. de iuſtitia quæſt. 7. art. 1. ad 2. Bagnes Caieta &c. Certum eſt, quod ſemper peccat, dum iniuſtum, & iniquum pactum intendit exequi, vt pecuniam conſeruare, & retinere poſſet. Immo nec excuſatur Iudex à lege prohibente munera, quia pauper eſt, nam paupertas ſuppoſito ſalario, etiam prohibet munera. D. Thomas 2. 2. qu. 62. art. 5.

Et ſi Iudici ratione amicitiæ, conſanguinitatis, vel liberalitatis, non ratione ſententiæ iuſtæ, vel iniuſtæ, aliquis det munera gratis, tenetur Iudex ad reſtitutionem? Dico, quod etiam ſi ſint munera in magna quantitate, ex iure naturæ, non tenetur Iudex ad reſtitutionem, nam vnuſquiſque Dominus eſt, rem ſuam donare cuicunque vult, dummodò nõ ſit à lege prohibitum, & quia à lege naturali non eſt prohibita donatio facta, ergo &c. ita docet Laymandus lib. 3. tract. 4. nu. 10. Cardinalis de Lugo tomo 2. de iuſtitia diſput. 37. ſeſſ. 11. num. 130, & alii: Quidquid dico de Iudice ſæculari, tanto magis de Eccleſiaſtico.

Sed maior diſquiſitio eſt inter Iuriſtas. An Iudici liceat eſculenta, & poculenta recipere. Negatiuè reſpondent aliqui, quos notat Farinacius qu. 3. nu. 251.

docentes exſculenta, & poculenta abrogata eſſe per ieiuniores leges. Alij dicunt Iuſtinianum Imperatorem præcipere, Iudices nihil debere accipere: ſed in hac lege non compræhendere exculenta, & poculenta, quæ recipi poſſe, conceſſum fuit, vt aliqui iuriſtæ explicant, lege ſolent: ff. de officio. Et ratio non diſplicet, quia præſumi non debet, quod Iudex ob parua munera velit violare iuſtitiam. Quodquidem à iure confirmatur Canone Iudicibus, permittens moderata recipere munera. Syluester Ver. Iudex qu. 8. num. 13. Angeli nu. 8. Farinacius q. 111. num. 250. Armilla num. 6. & alij. Sed aduerte, Iudex habens ſalarium, impedit nè aliquid aliud, tanquam debitum exigat. Non verò nè accipiat aliquid donatum. Vide Menochium de arbitrio lib. 2. caſu 518.

Verum, vt huiuſmodi munera tuta conſcientia recipere poſſint, aliquæ ſunt ſeruandæ conditiones: prima, vt notat Turrecremata in cap. vendentes. nu. 6. qo. 3. cum Botio dec. 153. & Nauarrus in Comentar. de dato, & accepto num. 35. Vt non recipiantur, niſi à ſponte dantibus. Secunda, vt recipiantur tantum in parua quantitate, vt habetur in lege ſolent, ff. fin. ff. de offic. nè directè, vel indirectè petantur à Iudice. Cui etiam prohibetur frequentia accipiēdi: nam multa pauca, quid magnum faciunt, ſimul ſumpta. Quidquid dico de Iudice, de omnibus miniſtris, iuſtitięq; officialibus dico.

Sed ſi quis probabiliter timet Iudicem contra ſe iudicaturum, ad redimendam hanc ſuam vexationem poſſit muneribus illū detinere. Reſpondeo cum Sanctiſſimo Papa Alexandro VII. nuper citato, quod non poteſt, quia ab ipſomet Pontifice fuit prohibitum: & hoc decretum confirmant Magiſter Ledeſima 4. p. qu. 18. art. 6. ff. collige ſecundo. Caſtrenſis leg. 1. ff. ob rem igitur num; 5. Molina to. 1. de iuſtitia tract. 2. diſputat. 90. Sotus lege 4. de iuſtitia q. 8. ar. 1.

Probatur, nam Iudex, munera recipiendo peccat, vt habetur cap. fin. 14. qu. 5. nec tamen deſunt alia remedia, nempè Iudicis recuſatio, vel de eius ſententia appellatio. Nam ſi liceret munera accipere, maximum immineret periculum peruertationis iuſtitiæ: vel ſaltem negotia eorum, à quibus munera accepit, citò expedit, & alios cum multis ærumnis, diſpendijs, atque afflictionibus in longum differt. Et Cardinalis de Lugo diſputat. 36. num. 136. docet; *Quod ſi Iudex aliquid recepit ad redemendam vexationem, reſtituere tenetur, non ſolum, quia non poteſt aliquid pretij accipere, vt iuſtitiam faciat, ſed conſiderare debet, quod quid ei datur, vel donatur, non datur, niſi coactè, & vi redimendi iniuſtam vexationem.* Cardinalis de Lugo.

CA-

CAPITVLVM VNDECIMVM.

An ad rectum iudicium, veramque iuſtitiam, Salomonis exemplo, requiratur quoque cognitio ſui ipſius, nempè iudicantis:

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

D.Thomas 2.2. qu.60. art.4. ad 2.

EN Angelicus noſter Diuus Thomas qui 2.2.qu. 60. artic.4. ad 2. affirmatiuè reſpondens ait. *In iudicio enim, in quo de rebus iudicamus non ſolum attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei, de qua iudicamus, ſed attenditur ibi etiam bonum iudicantis, ſi verè iudicet, vel malum.* Vnde addit Diuus Bernardus Ser. de triplici iudicio. *Cultor iuſtitiæ debet in ſe quicquam iniquum admittere.* Et Eccleſiaſtici 3. *Sapiens cor, & intelligibile abſtinebit ſe à peccatis, & in operibus iuſtitiæ ſucceſſus habebit.* Et idem Bernardus Sermone de Sapientia habet hæc pulcherrima verba. *Vt attentè proximum iudicare poſſitis, curandum eſt vobis prius, vt videatis quid eſtis vos, & iuxta prophetæ vocem, ſciant gentes, quoniam homines ſunt.* Ita Rex, & Princeps Salomon, antequam ad rectum iudicium, veramque iuſtitiam Regni Iſraelis perueniret, ad ſui ipſius cognitionem prius, mentis oculos fixit, qui Sapientiæ 7. in ſua regia ſede ſedens inquit. *Sum quidem, & ego homo mortalis, ſimilis hominibus, ex genere terreno illius, qui prior me factus eſt, ſcilicet Adã.* Quamuis Taletus Mileſius, vt Laertius refert, dicit. *Quod facilius eſt alios iudicare, & difficiliùs noſſe ſeipſum.* A qua ſententia non multum diſtat illa Baſilij magni

D Bernard. de triplici iudicio.

Eccleſiaſt. c.3.

D.Bernard. Serm. de ſapient.

D Baſilius

magni authoritas. *Nihil eſt tam difficile, quam noſſe ſeipſum.*

Quæquidem difficultas, vt inquit D. Bernardus Ser. 37. in Cantica proucnit, *quia duo in homine extrema, & maximè inter ſe diſiuncta coniunguntur, quæ eius cognitionem difficillimam reddunt. Conſtat enim dupplici natura, corporea ſcilicet, & ſpirituali, quarum altera ad corpus, altera ad animam intellectumque pertinet. Corpus illud mortale, animus vero mortis expertem reddit, animi beneficio ad cæleſtes illas mentes accedit, corporis vero conditione, vix pecudum naturam excedit*; hæc igitur diuerſitas difficillimam reddit hominis cognitionem, & quia quod difficile eſt, tãto magis apud Dcum eſt acceptabile, ideò Beatus dicitur, qui eam conſequitur, vt **[D. Auguſt.]** fiducialiter cum Diuo Auguſtino dicere poſſet. *Domine nouerim te, & nouerim me*, ac crebro repetito Sermone eadem verba vſurpabat, quia tanti ſemper fecit cognitionem ſui, vt poſt cognitionem Dei, quæ omnium præcipua eſt, nihil haberet prius, quam ſui cognitionem efflagitare.

[D. Bernard. lib. 2. de conſid.] Ideò D. Bernardus, quid de illa ſenſerit ſatis oſtendit Eugenio dicens. *A te tua conſideratio incipiat, non ſolum autem, ſed in te finiatur quocunque vagetur ad te reuocaueris eam, cum ſalutis fructu tu primus, tu vltimus tibi. Sume exemplum de ſummo omnium patre, verbum ſuum, & emittente, & retinente. Verbum tuum conſideratio tua, ſic procedat, vt non recedat, ſic progrediatur, vt non egrediatur, ſic exeat, vt non deſerat. Et paulo inferius. Nemo abſque ſui cognitione ſaluatur. Vnde præſtantius eſt, hac cognitione duce, ſui curam gerere, quam ſine illa, maxima miracula edere; ſibi itaque conſulat, ſua omnia conſideret, ac diligenter expendat, qui ſui rationem redditurus eſt,* meditando quoque Diui Chryſoſtomi verba, dicentis. *Hoc eſt. quod Deus pr.ecepit, diſſimulare propria negligenter, & iudicare impudenter alienos.* **[Chryſoſt. hom. 7. in Match.]**

Multi in Academijs, & gymnaſijs publicis verſantur hodie, qui ingenuas, & liberales artes didiccrunt, & vtriuſque iuris peritiſſimi ſunt; rerum autem, quæ ad animi ſalutem conducunt, ignari ſunt; diuitias congregant, honores quærunt, dignitates aſſequuntur, præcibus inſeruiunt, corporis luxui, & voluptati vacant, & in his rebus peritiſſimi ſunt. At nec cœleſtia bona quærunt, nec animi ſaluti vacant, nec dant operam, vt apud Deum gratioſi ſint, & Sanctorum familiaritatem aſſequantur, nec vllis bonis operibus ſe exerceat, ſed illam tantum ſapientiam in malè iudicando proximum, aſſequuti ſunt, quani Hieremias propheta reprobat, cum ait: *Sapientes ſunt vt faciant mala, benè autem facere neſcierunt.* **[Hieremi. 14.]** Vſurarius mille vtitur argutijs, vt vſuram virtutis habitu contegat; vt autem rem alie-

nam

Digitized by Google

nam Domino reſtituat, omnium rerum ignarus eſſe videtur. Iuriſconſultus etiam omnia iura quocunque vult, inflectit, neſcit autem prima rudimenta Chriſtianæ Religionis. Iudex etiam cum iniuſtam ſententiam profert, illam tot coloribus fucat; vt apud homines illa iuſtiſſima, & ipſe integerrimus Iudex videatur. Neſcit autem modum, & rationem inuenire, nè in diuino iudicio iniuſtus Iudex appareat, & ſempiternis ſupplicijs deputetur. Audite modo Diuum Bernardum, omnia confirmantem, atque dicentem. *Ea enim eſt hominum natura, vt cum multarum rerum peritiſſimi ſint, præcipuè humana iudicando in ſui tamen cognitione non laborent: multi enim ſunt, qui vtriuſque iuris volumina diligenter reuoluunt, liberales, & ingenuas artes aſſequuntur, hiſtorias, ac fabulas recordantur, curias regum, Principum domos, Regias Imperatorum, Pontificum Baſilicas adeunt, ad pagos, & tuguria deſcendunt, ambiunt ſuburbana, viciniam luſtrant, quæque in his locis gerantur mente, & cogitatione perquirunt, nihil non ſcientes, ſe ipſos neſciunt; inſtar oculorum, qui cum omnia videant, ſeipſos non vident.*

D. Bernar. ver. Baſil. in exame. hom. 10.

Huius rei cauſa ea eſt, ſcilicet, quia hij, qui alijs mederi debent, infirmi ſunt, ægraque valetudine vtuntur, & qui alios excitaturi erant, miſerè iacent. Minabatur olim Deus, populo ſuo dicens. *Corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxilium, ſimulque omnes conſumentur.* Hoc certè eſt quoddam ſupplicij genus, quo grauiter immortalis Deus Republicas punit. Patitur enim Republica primario, Gubernatores in vitijs iacere, vt ita ipſi, cum reliquis ciuibus conſumantur: quo pacto Prætor libidinoſos repræhendet, ſi ipſi libidini, voluptatibuſque inſeruit? qua ratione tabelliones increpabit, qui leges ſibi à Republica propoſitas non ſeruat? cum idem omnia Regum ſtatum violet? At quomodo grauiter in vſurarios, & latrones animaduertet, ſi ipſe aliorum pecunias furatur? Qui parentes liberos obiurgabunt, & quod ludis, & commeſſationibus ſe tradunt, ſi eiſdem ſe totos dedant? Aut quo iure patres familias ſeruos ſuos carpent, qui inconſideratè iurant, nec ſacro, aut concionibus interſunt, cum ipſimet iureiurando vtantur, & vix Miſſas, concioneſque ſacras audiant? Qua denique ratione Cōfeſſarij, Prælati, & ſacri verbi cōcionatores, alios, ſuis exhortationibus ad virtutem incitabūt, cū ipſi, nec virtutis ſpeciē præſeferant? ſanè ſi cadit auxiliator, cadet, & is, cui præſtandum erat auxilium, & ambo pariter conſumentur. Hoc & vitio, & errori, & ſtultitiæ vertit, D. Bernardus, qui ad Eugenium ſcribens, ait. *Nè fruſtra extendaris in alia, te neglecto, quod tibi prodeſt, ſi vniuerſum mundum lucreris, te vnum per-*

Eſai. 31.

D. Bernar. lib. 2. de conſid. 1.

perdens? ſi ſapiens ſis, deeſt tibi ad ſapientiam, ſi tibi in iudicando, non fueris ſapiens: noueris licet myſteria omnia, noueris lata terræ, & profunda maris, ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, ruinam, non ſtructuram faciens. Meritò hæc Bernardus, quia in ſupremo Dei iudicio, harum rerum ſcientia, parum proderit hominibus, præcipuè Iudicibus, ſi eorum cognitione deſeruntur.

En Achitophel, qui alios conſulebat, ſuumque conſilium alijs in iudicando præſtabat, ſibi ipſi non conſuluit, ideſt ſeipſum non cognouit: Vndè tantæ prudentiæ, tantique conſilij erat, vt dicat ſcriptura. *Conſilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum, ſic erat conſilium Achitophel, & cum eſſet cum Dauid, & cum eſſet cum Abſalon*. Hic autem, cuius conſilium, inſtar oraculi habebatur, nihilominus, qua ratione ſibi non conſuluit? qui laqueo ſe ſuſpendit? ſignate myſterium. Exigebantur ſententiæ in Senatu de bello peragēdo, cum autem ipſe, ſuam ſententiam protuliſſet, & videns quod alterius conſiliarij ſententia impleta fuiſſet, tantam indignationem animo cōcepit, quod laqueo ſe ſuſpendit. Et vt eiuſdem ſcripturæ verbis vtar. *Achitophel videns, quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtrauit aſinum ſuum, ſurrexitque. & abijt in domum ſuam, & diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interijt*. Mira res, erga alios Sapientiſſimus, & magni conſilij vir: erga ſe autem nullo conſilio, & ratione vſus eſt, ſed laqueo in collum inſerto, ſuſpēſus eſt, quid eſt hoc? D. Baſilius *Quam potens eſt ignorantia ſui, mortem ſibi tradit, qui per conſilia; vitam alijs præſtare credebat*.

2. regul. c. 16.

D. Baſilius.

At vero aliter ſe habebat populus Iſraeliticus, cum vigilantiſſimus, ac ſanctiſſimus ille Dauid illum adminiſtrabat, & quomodo? per ſui ipſius cognitionem, dicendo, *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco*: per hanc cognitionem, quæ ſecundum Angelicum Doctorem D. Thomam, actum iudicij præcedere debet) florebat in eo iuſtitia, & ſanctitas, optimiſque miniſtris vteretur, inquiens, *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat, non habitabat in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum*. O vtinam, Reſpublica Chriſti, huiuſmodi Principibus, atque Iudicibus frueretur. Pſal. 100.

Sed obſtupeſcite modo de hoc Chriſti myſterio. Veniunt Scribæ, veniunt Phariſei, mulieremque adulteram ei adducunt, vt iudicaret, & ſententiaret, & dum Chriſti expectabant ſentētiam, nulla alia intermedia mora; inclinauit ſe deorſum, & cum digito ſcripſit in terra. *Ieſus autem inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra*, Quis non admiratur de Ioann. 8.

hoc

hoc Chriſti Sacramento, & de tam recondito myſterio? A Diuo Ambroſio libro de Spiritu Sancto cap.2.Diuinũ hoc enigma diſſoluitur, dicẽte,quod volens Chriſtus ad Phariſeorum accuſationem,mulierem adulteram iudicare, non ſtatim dat iudicium, ſed deorſum ſe inclinauit Phariſeorum,peccata ſuo digito in terra ſcribendo, hoc ad noſtram eruditionem, nempè, quod nullus, præcipuè Iudex aliorũ defectus iudicare debet, abſque ſuorum prius criminum purgatione,Ambroſius: *Inclinauit ſe Ieſus deorſum, ſignificans per figuram, quando de peccato alterius iudicamus, noſtri nos debere meminiſſe peccati.* Et Venerabilis Beda huic Ambroſij dicto ſuſcribens, inquit; *Poſtulatus Dominus iudicare de peccatrice, non ſtatim dat iudicium, ſed prius inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra, nos inſtruens,vt cum qualibet proximorum errata conſpicimus, nõ hæc ante iudicemus,quam ad conſcientiam noſtram humiliter reuerſi, quid in ea conditori placeat, ſedula examinatione dirimamus.*

D. Ambroſ. lib.de Spir. Sancto c. 2.

Venerabilis Beda.

Confirmatur ex illo Geneſis 38. Vbi Princeps Iudas dedit vxorem primogenito ſuo Her, nomine Thamar. Fuit quoque Her primogenitus Iudæ, nequã in conſpectu Domini,& ideò ab eo vceiſus eſt. Quamobrem dixit Iudas,Thamar nurui ſuæ,eſto vidua in domo patris tui, donec creſcat Sela alius filius meus. Quæ abijt, & habitauit in domo patris ſui.Euolutis autem multis diebus; Iudas aſcendebat ad tõſores ouium ſuarum: nunciatum eſt Thamar, quod ſuus ſocer aſcenderet ad tondendas oues, depoſitis viduitatis veſtibus, & aſſumpto habitu meretricis fuit ad Iudam,quam cum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem, operuerat enim vultum ſuum,nè agnoſceretur;vndè neſciens Iudas, quod nurus ſua eſſet peccauit cum ea, cui in ſignum amoris donauit annulum, armillam,& baculum, quam in manu tenebat: concepit mulier, & ſurgens abijt, depoſitoq; habitu,quem ſumpſerat,induta eſt viduitatis veſtibus, interdum tranſactis tribus menſibus, intumeſcebat vterus illius, parentes eius nunciauerunt Iudæ dicentes, fornicata eſt Thamar nurus tua.Reſpondit Iudas, producite eam,vt combureretur:quæ cum à Carnifice, & iuſtitiæ militibus ad patibulum duceretur, miſit ad ſocerum ſuum dicens,de viro cuius hæc ſunt,concepi, cognoſce cuius ſit annulus,& Armilla, & baculus, qui viſis, & agnitis muneribus ait,liberate, liberate eam. *Iuſtior me eſt.* maximopere miror, quod Princeps Iudas mortis ſententiam publicet, & immediatè,vt innocentem iuſtificat. *Iuſtior me eſt.* Cedat,cedat admiratio,& ſtupor, inquit Angelicus Doctor 2.2.q.60. art.2. ad 3. *Nam illi,qui ſunt in grauibus* pec-

Geneſ.c.38.

D. Thomas 2.2.qu.60. art. 2. ad 3.

D. Aug. lib de ſermon. Domini in monte. *peccatis,non debent iudicare eos, qui ſunt in eiſdem peccatis*. Et Diuus Auguſtinus libro de ſermone Domini in monte. *Si inueuerimus nos in eodem vitio eſſe, congemiſcamus*. Et Euſebius Emiſſen. Euſebius Emiſſen. *Quomodo poterat Iu las Iudex lapidare,ſi dignus erat lapidari; Quomodo iudicare poterat, ſi eiuſdem criminis ſocius agnoſcebatur? Quomodo Iudex, vt Dei miniſter, iudicium ferre poteſt, ſi miniſterio Dei reprobus efficitur?* Adnotate hæc vltima verba. Quomodo Iudex, vt eſt Dei miniſter, iudicium ferre poteſt, ſi tali miniſterio reprobis efficitur? ad denotandum nempè,in Iudice neceſſariam eſſe ad rectè iudicãdum, ſui ipſius cognitionem.

Ecce Patriarcha Iſaac, cuius oculi propter ſenectutem caligauerant,& videre non poterat, volens benedicere Eſaù filium primogenitum,benedixit Iacob, tangit manus,& piloſas inuenit, Eſaù piloſus eſt, ergo eſt Eſaù, tãgis veſtes,iſte ſunt veſtes Eſaù igitur, &c. Audit vocem,& exclamauit dicens: Geneſ. 2.7. *Heù me, quia tradunt me. Vox quidem Iacob eſt, m inus autẽ Eſaù*: anceps de hac fictione Sanctus Patriarcha,tandem ſentiens veſtimentorum illius odorem, benedixit cum dicens: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, benedicat te Dominus.* Magnum myſterium, reconditumque ſacramentum. Patriarcha Iſaac tangit manus, & tactui non credit, tangit veſtes, & nequaquam veſtibus; aurẽ appropinquauit,vt melius vocem eius audiret, & auditui non præſtet fidem;ſentit veſtimẽtorum odorem,atque fragrantiam,& illicò ei benedictionem infudit. Quis de hoc non obſtupeſcit myſterio?Quis nõ traſeculatur? Theodoretus curioſitatem hanc egregiè dilucidat, dicens: Quod veſtes Eſaù, quibus induit Iacob, erant veſtes ſacerdotales, nam erant veſtes primogeniti, & primogenituræ,iudicandi poteſtas, atque iuriſdictio, annexa erat: vndè intra ſe Sãctus Patriarcha, hoc dilemma confecit. Iudices, mundum iudicantes(ſcilicet homines) qui ſunt? ſunt Dei miniſtri;Miniſter Dei, nempè Iudex, illibatus,ac mũdus ab omni peccati ſorde eſſe debet,vt eius iudicium, ſeù iuſtitiæ ſacrificium ſit Deo gratum: ergo in his proditio, & peccatum abſcondi nõ poteſt;ideò ſtatim ſubiungit. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni,benedicat te Dominus*. Theodoretus hic: Theodoretus hic. *Primogenituræ per Sacerdotium, iudicandi poteſtas connecta erat, quæ omni labe peccati experſerat, quare Sanctus Patriarcha, mentis infert innocentiam.* Et quia cũ Angelico Doctore diximus, quod quilibet Iudex miniſter Dei dicitur, clara ergo deducitur conſequentia,quod Iudex in cognitione ſui ipſius debet eſſe mundus, & illibatus, vt iuſtitiæ ſacrificium ſit Deo gratum, & acceptum,mundus ab omni ſor-

de

de peccati,illibatus ab omni cupiditate,& auaritia,alioquin,inquit Apoſtolus: *Quomodò Mundũ ideſt homines iudicabit? Quia*,vt inquit Chryſoſtomus: *magnum bonum eſt, vt quis peccata ſua cognoſcat.* Aliter iratur Deus,ad cuius iræ placationem, oportet per opera iuſta,& vera,ipſum placare; ita Diuus Gregorius lib. 8. moralium. *Irati Iudicis animus,ad deteriora prouocatur, ideò oportet per iuſtitiam,& veritatem operum, eſſe coniunctum Deo,vt habeat opera iuſta,& vera.*

Chryſoſto. homil. in Matth.

D. Gregor. lib. 8. mora.

Quàpropter boni Iudices aſſimilantur,Ouibus,mali autem Hædis,& Hircis,& hoc multiplici oſtenditur ratione. Primò,ratione pacificæ conuerſationis, & cognitionis,quia ouis eſt animal,valdè pacificum, & paſtorẽ cognoſcit: *Cognoſcũt me meæ.* Sic, & boni Iudices, cum omnibus pacem habent, & cognoſcunt paſtorem, nempè Chriſtum, & conſequenter cognoſcunt ſeipſos, ſecundum illud Auguſtini: *Domine nouerim te,nouerim me.* Et Apoſtolus ad Romanos 12. *Si fieri poteſt,quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Quia,vt dicit Diuus Ambroſius: *Hæc eſt vera ſui ipſius cognitio.* Secundò ratione innocentiæ; Ouis enim innocenter viuit,& habitat vbicumque,nec alicui dentibus, & vnguibus,vel cornibus nocet, ſic,& boni Iudices, boni Principes,omneſque alij iuriſdictionẽ habentes, nemini nocent, nec

Ad Rom. 12

D. Ambr.

vnguibus,ideſt rapinis, nec cornibus,ideſt perſecutionibus,iuxta illud Pauli ad Corint. 2. *Capite nos, .ſ. in exemplũ, neminẽ leſimus neminẽ corrupimus, neminem circumuenimus.* Tertiò ratione ſalutiferæ fructificationis: eſt enim Ouis animal fructiferum, et bonum,quia bonum eſt lac, bona lana,bonus fimus,bonus morſus, et breuiter omnia habet bona; ſic illi iuſtè iudicantes, habent lac,ideſt doctrinam,et informationem: bonam lanam, quia bona,quæ habent iuſti Iudices, iuſtè acquirunt, ſectādo iuſtitiam, puniendo delicta,iuxtà illud Eccleſiaſtici 7. *Noli velle fieri Iudex niſi valcas virtute,iniquitates irrũpere.* Habent bonum fimum,quia reliquiæ conuerſationis eorum, cum ſint iuſtæ, impinguant proximorum animas. Habent etiam bonum morſum, quia non per dona detrahunt,ſed caſtigant.

Ad Cor. c. 2.

Eccleſ. c. 7.

E contrario Hirci, vel Hedi, non habent pacem,ſed cornibus pugnant,valdè nocent, vbi paſcuntur, nec referunt fructum, nec lanam,nec lac; valdè fetent, & nihil boni habent,niſi coriũ, & carnes. Sic illi iuriſdictionem habẽtes, vti peccatores, ſemper ſunt in iurgijs, ſemper in anguſtijs,per iniuſtitias,multos offendentes,& non referunt fructum, fetent coram Deo, & Sanctis,& nihil boni habent,niſi carnem, quam toto poſſe fouent, quorũ Deus venter eſt; & pellem, ideſt bona temporalia,quibus ipſi per

iuſtum Dei iudicium expoliabũ-
tur,& alij veſtientur,ſecundum
Eccleſ.6. illud Eccleſiaſ.6.*Homo extraneus*
vorabit illud. Quapropter eos
odit Dominus,quia adorāt cru-
cem nummi,& pro ipſo acquirẽ-
do,& retinendo vendunt animã
ſuam Diabolo,& Dei mandata
Eccl.c.10. contennunt.Eccleſiaſtici 10.*Ni-*
hil eſt iniquius, quam amare pecu-
niam,hic enim animam ſuam uena-
Act.Apo.8. *lem habet.* Et in Actibus Apo-
ſtolorum,dicitur: *Pecunia tua te-*
cum ſit in perditionem,quoniam exi-
ſtimaſti Regnum Dei pecunia poſſi-
deri. Vndè non prece,nec prętio,
nec amicitia,nec conſanguinitas
debet dari, vel vendi iuſtitia,
quæ in dextera manu Crucifixi
refulget: *Iuſtitia repleta eſt dexte-*
ra mea. In cuius figura Dominus
Moyſi mandauit,quod Sacerdos
non deberet aſcendere per gra-
dus ad Altare Dei. Per gradum
Exod.20. enim aſcendit, qui non vadit
propria virtute ad dignitatem,
ſed virtute alterius, vt pecuniæ,
vel amicorum, vel conſangui-
neorum.

Dicit Chriſtus: *Ego ſum oſtiũ,*
per me,ſi quis introierit, ſaluabitur.
Ioan.10. Ioan.10. Hanc viam ſcire nolũt
huiuſmodi nationes,vt pſa.147.
pſal.147. dicitur; *Non fecit taliter omni na-*
tioni, & iudicia ſua non manifeſta-
uit eis. Quare iudicium ſuum non
manifeſtauit eis? quia voluntas
eorum tantùm vult,& amat,quã-
tum intellectus cognoſcit,vt bo-
num, qui ergo carent cognitio-
ne Chriſti, quæ eſt per fidem,
cognitione quoque veri, & iuſti
iudicij carent, ideò eis non ma-
nifeſtat. Nàm Chriſtum cogno-
ſcere,& amare,eſt vita gratiæ,et
gloriæ, Ioannis 17. *Hæc eſt vita* Ioan.17.
æterna, & cognoſcant te ſolum uerũ
Deum,vt quem miſiſti Ieſum Chri-
ſtum. Hanc gratiam homo in
vanum recipit, quando per viã
cognitam,ideſt per viam cogni-
tionis ſui ipſius,nõ incedit.Chri-
ſtus clamat: Venite ad me, ego
ſum via, ideſt venite ò Iudices
per viam iuſtitiæ; venite ò Do-
minatores per viam pænitentię.
Venite ò Principes per viam hu-
militatis, & pauci vadunt poſt
Chriſtum; ſed omnes quaſi ha-
beunt retrorſum, alius in villam
ſuam; alius ad negotiationem
ſuam, & dicunt Deo illud Iob: Iob.21.
Recede à nobis, ſcientiam viarum
tuarum nolumus. Vndè Matthæi Matth.c.7.
7.dicitur:*Arcta eſt via, quæ ducit*
ad vitam, & pauci ambulant per
eam. Iſtis, melius erat viam veri-
tatis non agnoſcere, quia ſeruus,
qui ſcit voluntatem Domini ſui,
& non facit,nequam eſt.Hoc ſe-
cundę Petri epiſtola 2.confirma- 2.Pet.ep.2.
tur,vbi ait: *Melius erat illis viam*
iuſtitiæ non agnoſcere , quam poſt
agnitionem iuſtitiæ retrorſum con-
uerti. Quaſi diceret, melius erat
Iudicibus non ſtuduiſſe, quam
poſt ſtudium Doctoratus,aureo-
lam procurare, vt Iudicis offi-
cium exercere valeant, & poſteà
propter inhabilitatem coguntur
retrorſum conuerti,ideſt iniuſti-
tias facere, quibus conuenit il-
lud

lud commune dictum: *Noli fieri Iudex, ſi iudicare neſcis*. Et Franciſcus Petrarcha libr. 2. de Remedio vtriuſq; fortunæ, inquit: *Primus gradus ſtultitiæ eſt ſe putare ſapientem. Aliqui ſe præferunt, & indicant ſe præferendos in effectu, & officij vtilitate*. Contra quos inſurgit Iſaias cap. 5. *Vè vobis, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*. Neſcientes, quod ſapientia veſtra ſtultitia eſt apud Deum. Apud Mūdum verò, quia in aliquo officio ſit vtilis, quæ vtilitas, tàm animæ, quàm conſcientiæ non parum nocumentum attulit.

Franc. Petr. lib. 2.

Iſa. ca. 5.

Quare Phyloſophus dicit, ꝙ homo eſt microcoſmus, ideſt minor mundus, nàm in homine reperiuntur omnia, quæ ad eius perfectionem requiruntur. Eſt enim in homine voluntas, quæ eſt ſicut Princeps, Dominus, & poteſtas, quæ omnibus imperat, & ad agendum omnia mouet. Eſt ibi ratio, ſicut Iudex, quæ dirigit, & iudicat, quid vnicuique conueniat. Eſt ibi memoria, ſicut Notarius, quæ ſcribit, & omnia ad iudicium conſeruat, reſeruāda. Eſt ibi intellectus, tamquam Magiſter iudicialis, qui veritatē de iudicandis, & regulam de agendis apprehendit, & docet. Eſt ibi conſcientia, quæ eſt executiua iudicij intellectus, & tanquam iuſtitiarius ſententiat benefacta, & malefacta. Ita Diuus Ioannes Chryſoſtomus dicit: *Conſcientia eſt lex intellectus noſtri*. Et Diuus Baſilius; *Conſcientia eſt rationale iudicatorium, & ſic conſcientia eſt ſui ipſius cognitio*. Eſt ibi lex naturæ, in qua eſt ſcriptum, quid iuſtè faciendum eſt proximo, & quid iniuſtè, à quo cauendum; iuxta illud: *Quod tibi nè fiat, alijs feciſſe caueto*. Et in Eccleſiaſ. dicitur. *Qui laqueum alio parat, peribit in illo*. Sic Aman Mardocheo furcas parauerat; valdè magnas, in quibus ſuſpenſus eſt ipſe, vt patet Eſther 7. Et etiam illi falſi ſenes volentes condemnare Suſannam, condemnati ſūt ipſi, vt patet Danieli cap. 13. Similiter Scribæ, & Phariſæi volētes Chriſtum confundere, confuſi ſunt ipſi pſal. 9. *In laqueo iſto, quem abſconderunt, comprǽhenſus eſt pes eorum*. Totalis cauſa, quare illi falsò iudicauerunt, quia ſeipſos non cognouerunt, iuxtà illud Iob: *Viſitans ſpeciem tuam nō peccabis*. Et Iſaias cap. 33. *Vè, qui ſpernis, nonnè, & ipſe ſperneris?*

D. Chryſoſ.

D. Baſilius

Eccl. c. 5.

Eſther c. 7.

Danie. c. 13

Pſal. 9.

Iob c. 5.

Iſai. 33.

Dixi, quod Scribæ, & Phariſęi adduxerunt adulteram, vt iudicaret. Et Ieſus inclinans ſe deorſum, digitò ſcribebat in terra. Quid autem ſcriberet, Euangeliſta non dicit, & quia hoc non eſt Articulus fidei, ideò diuerſi, diuerſa dixerunt. In his enim, quæ ad fidem nihil faciunt, & per Diuinam Scripturam non determinantur, aliquando Sancti, ſibi inuicem contradicunt. Ego expoſitionem Diui Ambroſij adduxi, quæ prę omnibus alijs mihi perſpicua videtur. Inclina-

uit

uit igitur Ieſus,& digitò ſcripſit in terra: poſteà erexit ſe dicens: Ioan. 8. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*. Prolata iſta ſententia, omnes receſſerũt. Hũc ergò modum, tam Princeps, qui eſt principalis Iudex, quàm vnuſquiſque eius ſubſtitutus Iudex in iudicijs imitare, & obſeruare; & hoc multipliciter. Primò vt in iudicijs, potiùs ad miſericordiã, quàm ad ſeueram ſentẽtiam declinantes, pſalmo 144. Pſal. 144. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Iacobus Apoſtolus cap. 2. Iacobi 2. *Iudicium enim ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam*. Et idem Apoſtolus eodem capitulo: *Superexaltat autem miſericordia iudicium.* Nota, quod vbi fulget miſericordia, ipſa iuſtitia nõ corrumpitur donis. Secundò, vt pro accuſatis teneamus, & eos quantum fas eſt iuſtitiæ, defendamus, eò quod homines valdè ſunt proni ad accuſandũ; quamuis leges dicãt, quòd paſſis iniuriam, Iudex debet aſſiſtere, & fauere, iuxtà illud Prouerbiorum 24. Prou. c. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes*. Tertiò, vt non ſtatim audita culpa, ad iudicium procedamus, ſed cum magno pondere, & recto iuris examine ſententiam proferamus: & ideò Chriſtus digito ſcribebat in terra. Digitus enim diſcretionem ſignificat, & terra moroſitatem, quia diſcretè valdè, & moroſè ſẽtentia ferri debet. Geneſis 18. Geneſ. 18. *Deſcendam, & videbo, vtrùm clamorem, opere compleuerint*. Quare imitari debemus, vt accuſantibus ex liuore demus commodum, & materiam ab accuſatione ceſſandi; propterea enim Ieſus bis ſe inclinauit in terra, vt ab accuſatione ceſſarent; quia, vt dicit Gregorius: *Humanum eſt peccare, diabolicum perſeuerare*. Quinto, vt qui ſunt aliquo crimine notorio innodati, non audeãt alios iudicare. Romanorum 2. Romano. 2. *Qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mechandum, mecharis, in quo enim alios iudicas, te ipſum condennas; & hoc eſt*, quod ait: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Iudex à tribus vitijs immunis eſſe debet, ab ira, à vinolentia, & à nimia cupiditate. Abſcindenda eſt ergo à Iudice, ira, quia ſicut dicitur, Prouerbiorum 27. Prouer. 27. *Ira nõ habet miſericordiam, nec erumpens, &c.* Numquam enim Iudex iratus, ſententiam proferre debet. Vndè refert Valerius, quod cum Architarentinus contra ſeruum ſuum iratus eſſet, ait: *O infelix, iã de te ſupplicium ſumerem, ſi iratus non eſſem.* Legitur in hiſtoria Romanorum, quod cum Theodoſius Imperator ad iuſſa ſeuera, nimis eſſet præceps, quidam ſapiens eum admonuit: vt cum ſe iraſci ſentiret, priuſquam aliquam ſententiam proferret, viginti quatuor litteras alphabetĩ intra ſe moroſè diceret, vt ſic refrigeratus, quid ſtatuendum

eſſet,

eſſet,maturius videre poſſet. Secundò abſcindenda eſt violentia, vndè Prouerbiorum cap. 31. dicitur: *Noli regibus dare vinum ò Lamuel, quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebreitas.* Refert Valerius, quod cum Philippus vinoſus eſſet, iniuſtam ſententiam contra Viduam tulit, quæ ad ipſum accedens dixit, ſe appellare à Philippo ad Philippum. ſobrium, qui, cum vinum digeſſiſſet, ſententiam reuocauit. Tertiò abſcindenda eſt nimia cupiditas, nàm Prouerbiorum 28. habetur: *Leo rugiens, & Vrſus exuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem.* Refert Valerius, quod Tyberius Cæſar, hæc verba protulit: *Noui quidem Iudices, maximè, quando ſunt pauperes, ad recipiendum ſemper auidos, ad reſtituendum hucuſque obſtinatos.* Vndè dicit ibidem; quod,cum Conſules in Hyſpaniam mitti deberent, & de duobus conſilium haberetur. Scipio dixit: *Neuter mihi placet; quia alter nihil habet: alteri nihil ſatis eſt, equè malum in magnatibus, iudicans inopiam, & auaritiam, quæ nimis pernicioſa eſt.* Legitur de Romanis, quòd dùm olim pugnabant pro gloria acquirenda, pro libertate aſſequenda, & pro Republica conſeruanda, tunc ſemper vincebant, ſed poſtquam ſe ad auaritiam extenderunt, ſemper victi fuerũt. Vndè dicit Diuus Auguſtinus in Epiſtolis: *Quodqui prudenter attendunt, plus dolent paupertatem, quam opulentiam perijſſe Romani.* In paupertate enim morum integritas ſeruatur,opulentia autem mentes hominum omnipeior hoſte corrumpit. Vndè legitur in hiſtoria Romanorum, quod dùm legati miſſi à ſanitatibus, Romam veniſſent, inuenerunt Fabritium Principem Romanorum, in ſcanno ſedentem, & ligneo catineo cenantem. Cui cum pro ſua libertate multa auri pondera obtuliſſent; iſte non ad propriam; ſed communem vtilitatem reſpiciens ait, abitæ, & aurum veſtrum aſportate, quia Romani malunt dominari habentibus Aurum, quam Auro. Et mementote Fabritij, nec auro, nec argento, alijſque prætioſis muneribus vinci poſſe; ad præſtandum magnatibus exemplum, de fugienda auaritia, de non recipiendis muneribus, de proſequenda iuſtitia, quæ non ſolùmmodò Iudices, ſed quoque Principes exaltat, nobilitat, ditat, & illuminat. Hæc omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, ſuper quę verba Diuus Baſilius, inquit: *Spiritus, vbi vult ſpirat, ſanè in his, qui per eorum cognitionem, Deùm cognoſcunt, iuxta illud Dauidis, mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Et Clemens Alexandrinus: *Hæc eſt omnium ſcientia pulcherrima, ac maxima, noſſe*

Prouer. 31.
Prouer. 28.
Tyb. Cęſar.
Scip. ſent.
D. Aug.
D. Baſilius.
Clem. Alex.

noſſe ſeipſum. Dicitur (omnium ſcientia) quia Iudex ad benè iudicandum, vtramque amplectere debet ſcientiam, & ſui, & iudicati, quemadmodum docet Diuus Thomas dicens: *In iudicio, in quo de rebus indicamus, non ſolùm attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei, de qua iuditamus, ſed attenditur ibi etiam bonum iudicantis, ſi verè iudicet, vel malum, &c.*

D. Thomas 2.2.q.6. ar. 4. ad 2.

Digitized by Google

CAPITVLVM DVODECIMVM.

An Iudex ante teſtium denũciationem, ſicuti Salomon, ad correctionem teneatur fraternam.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

ANtequam adquæſiti deueniamus dilucidationem, correctionis fraternæ diffinitionẽ inueſtigare oportet, quare Angelicus Doctor 2.2.q.63. ar.1.in reſponſione ad primum argumẽtum docet: *Quod correctio fraterna eſt actus iuſtitiæ*. Sed actus iuſtitiæ, tàm ſeculares Iudices, quã Eccleſiaſticos comprehendit, igitur, tàm Iudicibus ſecularibus, quam Eccleſiaſticis ante teſtium denũciationem conuenit, & ad fraternam tenetur correctionem.

D.Thomas 2.2.q.63.a. 1.ad 1.

Probatur ſecundò. *Correctio fraterna* (vt docet D.Thomas q. citata, art.2.in corpore: *Cadit ſub præcepto charitatis*. Sed ad præceptorum obſeruantiam, tàm negatiuorum, quam affirmatiuorũ vnuſquiſque tenetur, ergò tàm ſecularis Iudex, quam Eccleſiaſticus ante teſtium denunciationem ad correctionem obligantur fraternam.

Confirmatur primò ex Diuino Salomone, qui antequam, Adoniam mortis ſupplicio damnaſſet, eum charitatiuè correxit, præcipuè de ſeruanda fide, illum admonuit, ſed nil proficiendo, imperauit, occidi, ita habetur 3. Reg. 1. *Si fuerit vir bonus non cadet, nec vllus quidem capillus eius in terram: ſin autem malum inuentum fuerit in eo, morietur.* Vndè hic inquit Theodoretus: *Salomon ſe-*

dit[illegible]*ſo fratri condonauit, quæ aduerſus regnum ſe egerat, illum de ſeruanda fide admonendo, ſed nil proficiente, communem totius Regni opportunitatem conſpexit, dicendo hodie occidetur Adonias,*

Aug. lib. de Verbis Domini. Confirmatur ſecundò ex Diuo Auguſtino lib. de verbis Domini, vbi ait: *Si neglexeris corrigere, peior eo factus es, qui peccauit,* ſed hoc non eſſet, niſi per huiuſmodi negligentiam, ſi aliquis tale omitteret præceptum; ergo correctio fraterna eſt in præcepto, cuius obſeruantia, omnes obligat. Et Diuus Chryſoſtomus ſuper illud Matthæi 9. Nolite iudicare, &c. dicit: *Dominus hoc mādato non prohibet Chriſtianos ex beneuolentia alios corripere, ſed nè per iactantiam iuſtitiæ ſuæ, Chriſtiani, Chriſtianos deſpiciant, ergo, &c.*

Chryſoſto. ſuper illud Matth. 7.

D. Tho. loc. cit. Vndè D. Thomas in reſponſione ad primum argumentum eiuſdem articuli, inquit: *Quod in omnibus agendis, operatio hominis non eſt efficax, niſi adſit auxilium diuinum, & tamen homo debet facere, quod in ſe eſt.* Quare Auguſtinus in libro de correctione, & gratia, dicit. *Neſcientes quis pertineat ad præſtinatorum numerum, & quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri, & ideò omnibus debemus fraternæ correctionis officiū impendere ſub ſpe diuini auxilij, & obſeruantiæ præcepti;* quod, vt dixi, omnes ſub eadem obligatione compræhendit.

D. Aug. lib. de correct. & gratia.

Magiſt. Bagnes 2. 2. q. 33. art. 1. concl. 4. Et Magiſter Bagnes 2. 2. qu. 68. art. 1. concl. 4. ait: *Iudex tenetur præcepto correctionis fraternæ ſicut & alij Chriſtiani, ſed heu, quam pauci Iudices induunt charitatis viſcera erga Reos.* Immo Iulius Clarus q. 7. dicit: *In hoc propoſito, ego omitto ea omnia, quæ de iure Canonico dicuntur de materia denunciationis, & Iudicis obligatione fraternæ correctionis.*

Iulius Clarus q. 7.

Et ſi dicā, quod in ſacra Scriptura legimus, quod Reges, & Principes, qui ſunt primi legiſlatores, & Iudices ipſimet quoq; à Prophetis, & Doctoribus redargutionem humiliter ſuſceperunt, & ſe emendauerunt. Nam reprehendit Natan Dauid, & ſe emendauit 2. Reg. 12. & cap. vlt. Repræhendit Helias Propheta Achab Regem, & humiliauit ſe, vt patet 3. Reg. 21. Repręhendit Daniel Regem Nabucdonoſor, & pęnitentiam conſumauit, Danielis 4. Repræhendit Ionas Niniue Regem, & pópulum, & ſe humiliauit Ione 3. Repræhendit Diuus Ambroſius Theodoſium Imperatorem, quem excommunicauit, patienter ſubſtinuit, vt patet cap. 11. de Epiſcop qu. 3. cap. cum Theſolicam, itaque nō ſolùm Iudices ante teſtium denunciationem tenentur ad correctionem fraternam, ſed etiam ipſimet Iudices, ſiue ſint Reges, ſiue Principes, ſiue Imperatores corrigi debent, ſi fallantur.

2. Reg. 12. & cap. vlt. 3. Reg. 21. Daniel. 4. Ione 3. D. Ambroſ.

Inter Principes, Reges, & Imperatores, primum locum obtinet Diuus Apoſtolus Petrus, qui

cum

cum veniſſet Antiochiam, & videns Paulus, qui erat ſubditus illi, ſcandali imminens periculum circa fidem, vt bonus, & rectus Iudex, Petrum publicè corripit, vt ipſe Paulus ad Galatas 2. inquit: *In faciem ei reſtiti, quia repræhenſibilis erat.* Facie ad faciem ipſum repræhendit, hoc præbens exemplum Iudicibus. Nihilominus Petrus, cum eſſet Apoſtolorum Princeps, nihil animi perturbatione afficitur; immo ipſum Paulum chariſſimum fratrem appellat: vt legitur 2. Petri 3. *Chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit nobis.* Et hoc, vt dicit Diuus Gregorius homil. in Ezechiel. *Quatenus, qui erat primus in Apoſtolatus culmine, eſſet etiam primo in humilitate, & Petrus, vt amicus virtutis, laudauit, quod repræhenſus eſt.* Et idem Gregorius loco citato homil. 28. dicit: *Penſate fratres chariſsimi, in quo mentis vertice ſtetit, qui illas epiſtolas laudauit, in quibus ſe ſcripſit vituperabilem. Quæ illa tanta manſuetudo eſſe potuit, quæ quies animi, quæ ſoliditas, atque imperturbatio cogitationis, non ad memoriam reuocauit, quod primus in Apoſtolatum vocatus eſt, non quod claues Regni Cælorum accepit, non quod peccata quæcunque in terra ſolueret ſoluta eſſent, & in cælo, non quod in mari pedibus ambulauit, nõ quod Paraliticos in nomine Ieſu erexerat, non quod mentientes, verbo occiderat, non quod mortuos oratione ſuſcitabat. Nè ergo increpatiores verba dignaretur audire, omnia dona, quæ acceperat à memoria repulit, vt vnum donum ſcilicet humilitatis fortiter teneret. Quis ergo noſtrũ, ſi exiguum aliquam ſignum feciſſet, à minore fratre increpatos, increpationis patienter audiret, hæc ille.*

Ad Galat. 2. — 2. Petr. 3. — D. Greg. ho. 18. Ezech. — Greg. loco cit. ho. 18.

Vndè poterat Petrus illa Cãticorũ verba canere: *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt:* quaſi diceret. Vix Paulus amicus dilectus, correctionis labia aperuit, quod anima mea, amoris igne, in humilitate liquefacta eſt, per quam maioribus exẽplum præbuit. vt ab inferioribus corrigi poſſint. Ita Gloſa D. Auguſtini ad Galatas ſecundo. *Ipſe Petrus, dicit Auguſtinus, exemplum maioribus præbuit, vt non dedignentur etiam à poſterioribus corrigi.*

Cant. 5. — Auguſt. ad Galat. 2.

Nihilominus Paulus ſimpliciter dici non potuit; Petro poſterior, vt docet Angelicus Doctor loco citato art. 4. ad ſecundum, vbi inquit: *Et ideò ſic Paulus Petrum non reprehendiſſet, niſi aliquo modo par eſſet, quantum ad fidei defenſionem.*

D. Tho. loc. cit. art. 4. ad 2.

Dubiũ, quomodo Paulus fuit par Petro, quantum ad fidei defenſionem, cum Petrus eſſet, ſolus vniuerſalis Paſtor ex Papatus officio, omnibus præſtans, etiam quæ ad fidei defenſionem, vt caput membris. Reſpondeo, quod quantum ad fidei defenſionem, Paulus non ſimpliciter, ſed executiuè erat par Petro, ideſt aliquo modo erat par, quæ paritas, vniuerſalem curam ſignificat in

vtroque, defendendi fidem à Domino Ieſu Chriſto habitam, cum qua paritate remanet indè ſumma authoritas ex officio defendendi fidem in ſolo Petro. Sicut ſi Papa committeret authoritatem Epiſcopalem in aliqua Dioceſi, Archipresbytero, ille eſſet æqualis Epiſcopo ex delegata poteſtate exequendi, non autem ex officio: itaque cōcludo, correctionem fraternam indifferenter omnibus conuenire,& ab omnibus fieri poſſe,non ſolùm inter pares, ſed etiam à poſterioribus maioribus,& multo magis à maioribus inferioribus.Immò etiam à peccatoribus

D. Thomas loc.cit. a.5. in corp. alijs delinquentibus, vt docet D.Thomas loc.cit.art.5.in corp. vbi habet: *Quod ſi peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec ſibi nouam condemnationem acquirit.*

Et ſi peccator,quantò magis Summus Pontifex Chriſti Vicarius? Quare Eugenius Quartus vix Pontifex creatus,ad Diuum Bernardum, cuius diſcipulus fuit, epiſtolam ſcripſit, vt ſuis documentis pro Eccleſiæ bono regimine, auxilium præſtaret, quà propter D. Bernardus, ad eundem Pontificem quatuor ſcripſit libros, quorum titulus, de cōſideratione ad Eugenium, & præcipuè in quarto libro, ipſum perſuadet, vt peccatores ſuperbos, & intractabiles corri-

D. Bernar. gat.Bernardus: *Gens inſueta paci, tumultui aſſueta, gens immitis, & intractabilis, vſque adhuc ſubdi neſcia.* Et ſuſpicans,quod Pontifex de correctionis fructu, dubitaſſet,ſubiungit: *Pater ſancte hæc ſuſpitio apud Deum in excuſabilis redditur,nàm Deus illos ſuſcitare poteſt.Scio induratum cor populi huius: ſed potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Habrahæ. Quare ſanctitas veſtra peccatorem corripiens,aut lucratus es eum,aut nòn, ſi non,tuas expleuiſti partes, vt in Sacro dicitur baptiſmate. Ad cooperandam ſalutem proximi tui obligatus es, & tibi premium reddet Deus, ac ſi lucratus fueris, dicente ſcriptura. Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum. Si verò lucratus es eum, maius donum, atque ſacrificium Deo offerri non potes, quā hæreditas animæ. Hanc hæreditatem pro infinitis in paſſione pœnis, Pater æternus ſuo vnigenito filio donauit. Poſtula à me, & dabo tibi gentes in* Pſal. 2.
hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam.

Et Diuus Thomas 2.2. q. 63. D.Tho. 2.2. q.63. art.1 in corp.
art.1.in corpor.docet: *Quod corripere delinquentem eſt quædam eleemoſyna ſpiritualis;* Sed correctio fraterna, maximoperè hanc eleemoſynam excedit ergò, &c. Probatur minor ex Diuo Chry- D.Chryſoſ. homil. ad Corinth.
ſoſtomo homilia prima ad Corinthios: *Si immenſas pecunias pauperibus eroges, plus effeceris, ſi vnam conuerteris animam: magnū ſanè, & laudabile eſt miſereri pauperibus, ſed magis ſi errantem ab errore reuocaueris.*

Dixi cum Angelico Doctore, *Quod*

Quod correctio eſt quædam eleemoſyna ſpiritualis; quam quilibet dare tenetur, ergò iuuenes poſſunt ſeniores corripere: atqui hoc eſt contra Apoſtolum Paulum primo ad Timot. cap. 5. dicentem: *Seniorem nè increpaueris.* Ergò iuuenes non poſſunt, nec debent ſeniores corripere. Reſpondeo, quod hæc regula, tunc eſt obſeruanda, cum culpa ſenioris, ſuo exemplo non trahit ad interitum corda iuniorum, vbi autem ſenior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi diſtricta increpatione feriendus eſt; nàm ſcriptum eſt: *Laqueus iuuenum omnes vos, & rurſum, maledictus puer centum annorum*: hæc D. Gregorius. Et Prouerbiorum 29. *Virga, & correctio tribuit ſapientiam, & puer, qui dimittitur voluntati ſuæ confundit matrem ſuam*. Vndè Gregorius lib. 23. moralium. *Charitatis Zelus, mala quæ corrigere non valet, increpare non deſinat, nè ſe participem delinquentium ex conſenſu taciturnitatis faciat*: hæc ille. Et Diuus Bernardus: *Cadit Aſinus, & ſuccurritur ei; Cadit anima, & non eſt, qui eleuet eam.* Per Diuinam iuſtitiam ſæpius boni, & innocentes, cum malis flagellantur, & hoc, quia per bonos, vitia malorum non corriguntur. Hoc probat Diuus Auguſtinus lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 9. vbi ſubdit: *Propter quorundam, horrendam ſuperbiam, luxuriamque, & auaritiã, atque execrabiles iniquitates, & impietates, Deus conterit terras.*

1. ad Thim. c. 5.

D Greg. Prou. 29.

D. Gregor. li. 23. mor.

D. Bern. ad Eug.

Aug. lib. 1. de Ciu. Dei c. 9.

Et ſi boni, malos corrigere volunt. Propheta Amos cap. 5. inquit: *Odio habuerunt corripientẽ.* Vndè Diuus Gregorius in moralibus ſuper illud, Iob 31. *Si Zelaui in ſinu meo, dicit.) Multos nouimus, quos arguentes, nullos peccatores ſe eſſe conſitentur. Cum verò de culpa ſua fuerint correpti, patrocinium defenſionis quærunt, ne peccatores eſſe videantur, ſuperbiæ, vitium; vt quid facere de ſe quiſque ſua ſponte dignatur, hoc ſibi dici ab alijs dedignatur*: hæc ille.

Amos 5.

Iob 31.

Vndè fuit quidam frater, qui cum in præſentia plurium, ſe multum humiliaret, dicens, ſe peccatorem vilem, & indignum, &c. Alter reſpondit, tù verum dicis. Tunc ille indignatus, verbis duris eum inuaſit: ille autem dixit, quid voluiſti, quod ego dicerem, numquid debui tibi dicere, tù mentiris? abſit, vt ſic irreuerenter tibi loquar, nunc autem dixi, quod tù dicis, & indè turbaris? malum ſignum eſt, odire arguentem, peius eſt eum ledere.

Audi Caliſtum Papam, epiſt. 2. diſtin. 50. *Si aliquis lapſus quocumque modo fuerit, portemus, & fraterno corripiamus affectu.* Et infrà ait: *Porrò Sanctus Dauid de mortiferis criminibus egit pænitentiam, & tamen in honore permanſit.* Et Innocentius III. indictione, capite inquiſitionis ait: *Plus enim nocet exemplum delinquendi, quod ex delicto reuelato per punitionem præbetur, quam condenatio delicti ſe-*

Caliſt. Pap.

Innoc. III.

ſecreti. Diuus verò Thomas oſtẽdere volens, quam pernicioſum ſit hanc Euangelicam doctrinã de fraterna correctione omittere, & quam contrarium Sacris Canonibus, & Sanctæ menti Sũmorum Pontificum in 4. diſtinc. 19. q. 2. ar. 3. ad primum, his verbis docet: *Niſi certiſſimis ſignis appareat incorrigibilitas, & exaſperatio ipſius futura, non debet fraterna admonitio prætermitti.*

D. Tho. in 4 diſt. 19. q. 2. ar. 3. ad 1.

Sed de quibus peccatis faciẽda eſt admonitio, & fraterna correctio. Reſpondeo de peccatis occultis, dummodò bono cõmuni, & tertiæ perſonæ detrimẽtum non afficiant: ita Leſius dub. 15. n. 139. E contra verò, quamuis peccata ſint occulta, ſed bono communi nociua, vel proximorum nocumentum, illicò, cui ex officio competit denunciãda ſunt: ita D. Thomas quolibeto 11. q. 12. ar. 7. in corpore, vbi ſubdit: *Quædam peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum. Niſi fortè aliquis firmiter extimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi mala impedire.* Ipſum Angelicum Doctorem, in hac ſententia ſequuntur omnes eius diſcipuli, vt videre eſt apud Petrum de Nauarra lib. 2. de reſtitutione capite quarto, numero 185. & 186.

D. Th. quolib. 11. q. 12 ar. 7. In cor.

Sed, vt clarius in hac rè procedamus ſciendum eſt, in tres ſpecies diuidi peccata; alia ſunt peccata perſonalia, alia quæ tertiæ perſonæ nocumentum afferunt; alia quæ bono communi nociua ſunt. Illud dicitur peccatum perſonale, quod bono communi, vel tertiæ perſonæ directè nullum intulit damnum; dixi directè, quia indirectè, ac reductiuè, quodlibet peccatum communitati opponitur, cùm communitas ex particularibus conficitur. Inter Religioſos præcipuè, quod quodlibet exterius peccattum in totius communitatis perniciem diffunditur, ſed hoc abſolutè non tollit perſonalitatem, vt aduertit Suarez to. 4. de Relig. lib. 10. ca. 12. num. 10. Peccata contra tertiam perſonã ſunt, mortem contra ipſam machinare; libella in publicum affigere, vel aliudcunque graue damnum in ipſius iniuriam ſpeculare. Demum peccata contra bonum commune ſunt Hæreſis, crimen leſæ Maeſtatis, furtum publici theſauri, monetarum falſificatio, Ciuitatis prodirio, diſcordias inter Ciues, Antiſtitem, & Principem ſeminare, Religioſos publicè dedecorare, &c.

His ſuppoſitis. Vnanimiter omnes conueniunt Doctores, quod quando delinquentes, aut delicta occulta, damnum graue bono communi, aut tertię minãtur perſonæ; ſiue huiuſmodi delicta commiſſa ſunt, ſiuè in fieri committenda, nulla ſpe veniæ per correctionem fraternam, iudicialiter delinquentem denunciare tenetur: dummodò hæc denun-

nunciatio non ſit in graue damnum perſonæ ipſius denunciantis,& conſanguineorum; nàm in hoc charitas nos non vrget, & vniuerſalis regula docet, quod maiori damno obuiandum eſt, licet melior ſit condictio innocentis,ita Nauarrus cap.25. Sũma Syluestri, verbo Correctio, q.6.& Sanchez lib.6.cap.2.dub. 6.num.10.Vndè Sotus de ſecreto,membro 2.q.4.concluſ.2. ſic inquit:*Quando peccatum ſecretum eſt in præiudicium tertij priuati hominis, vt ſecreto noui latronem,qui furatus eſt bona proximi: ſatis eſt ſi dem operam, vt ſecretò reſtituat, alias teneor denunciare, dummodo id poſſim ſine detrimento meo, quia ſolum ad id teneor ex præcepto charitatis, quæ non ſemper vrget nos.* Cum qua ſententia concordat illa Magiſtri Sanchez lib.6.conſiliorum c.2.dub.9.nu.4. & dub. 5.nu.9. dicentis: *Quando peccatũ occultum eſt in damnum tertia perſonæ,vt ſi patetur mors, &c. vel ſi ſecreto noui latronem,qui furatus eſt bona proximi,&c.tunc teneor ſecreto corrigere,vt reſtituat,vel ceſſet à voluntate occidendi,ſi eſt ſpes certa, quod ceſſabit à damno: ſin minus teneor Superiori denunciare,ſi abſque meo detrimento poſſum, quia teneor proximum liberare à periculo,ſi poſſum, & licet ſequatur damnum peccantis,melior eſt condictio patientis iniuriam*:hæc ille.

Sotus.

Vndè in dubium vertitur. An peccata ſecreta, iam contra bonum commune commiſſa, & delinquens emendatus eſt, iudicialiter teneatur ad denunciandum, cui hoc ex officio competit. Cum ſit probabile,vt alijs ab huiuſmodi peccatis,formidine pænæ abſtineantur. Affirmatiuè reſpondit Valentia 2. 2. diſput. 5.q.12.vbi ſic dicit: *Si peccatum eſt in communitatis perniciem, vt hæreſis, ad huc poteſt quis ſibi proponere ſcopum iuſtitiæ punitiuæ, ideſt bonum commune,conſiſtens in hoc,ut alij ab huiuſmodi peccatis formidine pænæ abſtineantur, & hoc bonum licet præponere famæ alterius, & uitæ,quamuis ſit emendatus: alioquin, neque Iudex,poſtquam quis eſt emẽdatus, poſſet vlterius hoc bonum ſibi proponere in illo puniendo, quod conſtat eſſe falſum*;hæc ille.

Verùm hæc correctio, & fraterna admonitio inter Religioſos ſolummodò viget; ita Bonifacius VIII. vt habetur in compendio mendicantium, verbo correctio fratrum. Et in libro monumenta ordinis conceſſione 499. Vbi inter alia ſequentia dicit Pontifex: *Penſantes quoq; quod ſi Regularium perſonarum correctio rimas iuris, & apices ſequeretur huiuſmodi rigor læteſceret, ac multiplici laxatione torperet. Vobis Apoſtolica auctoritate indulgemus,vt ad correctiones, & punitiones fratrum delinquentium infligẽdas, Prælati ordinis ad ea, quæ ſpectare noſcuntur rimulis iuris, & apicibus eius poſtpoſitis,liberè procedere valeant ſecundum conſuetudines comprobatas, & generalia facta, & fa-*

facienda ordinis inſtituta; hæc ille.

Nec deſunt, qui temerè huic legi Euangelicæ contradicunt, cum Eſaù dicentes: *Numquid ego ſum cuſtos fratris mei?* Ad cuius confirmationem, Diuus Bernardus ſermo. de Sancto Ioanne Baptiſta, ait: *Nemo fratres vitia palpet, peccata diſſimulet, nemo dicat, numquid cuſtos fratris mei ſum ego? nemo, quod indè eſt æquanimiter ferat, cum viderit ordinem perire, minui diſciplinam, eſt enim conſentire, ſilere, cum arguere poſſis, & ſcimus, quia ſimilis pœna facientibus maneat, & conſentientibus*: hæc ille. Et Pater noſter Auguſtinus in Regula inquit: *Nec vos iudicatis eſſe maleuolos, quando hoc indicatis, magis quippè innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corripere poteſtis perire permittitis*: hæc ille. Et Diuus Baſilius in ſua Regula, ſuos exortat fratres, qui non ſub prætextu amicitiæ, & affectus, peccata fratrum occultare procurent, & ipſos ſimul cum matre, quæ eſt Religio, ad mortem impellere. *Peccatum occultare nihil aliud eſt, quam ægrum ſua ſponte ad mortem ruentem impellere, & procliuiorem reddere. Nemo ſit ergo, qui peccato alterius latebras quærat, nè pro amore, quem fratri debet, exitum illi conciliet*: hæc ille. Et quia Prælatus dicitur Ciuitas ſupra montem, & lucerna ſuper candelabrum, vt Ciuitas, non debet opera ſua bona abſcondere, exemplum meum dedi vobis. Et vt lucerna ſuper candelabrum, per dulcem correctionem, ac ſuauem admonitionem fratrum, corrigere, vt per ſuam doctrinam luciat omnibus, qui in domo ſunt; conſtat ex capitulo 2. qualiter, & quando de accuſationibus. *Prælati ſunt poſiti, quaſi ſignum ad ſagittam, & quia non poſſunt omnibus complacere, cum ex officio ſuò, teneantur non ſolùm arguere, ſed etiam increpare, quin etiam interdùm ſuſpendere, nonnumquam verò ligare, frequenter multorum odium incurrunt, atque inſidias patiuntur*: hæc ibi, &c.

D. Bernar. ſer. de S. Io. Bapt. — D. Augu. in Regula. — D. Baſil. in ſua regula.

Et probatur amplius; quia dicit Dominus per os Ezecchielis 35. *Speculatorem dedi te domui Iſrael. Si non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua mala, & ipſe in iniquitate ſua morietur, ſanguinem eius de manu tua requiram.* Quilibet ergo Paſtor, & Prælatus eſt ſicut ſpeculator, & cuſtos turris, qui videt pecora rapi; & non clamat, conſentit; iuxtà regulam iuris lib. 6. Qui tacet conſentire videtur; ſi quis timore ductus, aut amore, vel etiam corruptus pecunia; ſicut multi Prælati faciunt, non corrigunt peccatores, peccata redundant in eos. Aliqui timent amittere gratiam ſubditorum, & loqui pertimeſcunt. De talibus dicit Dominus per Prophetam Iſaiam cap. 56. *Canes muti non valentes latrare, vi-*

Ezech. 33. — Iſa. ca. 56.

videmus vana , dormientes , & amantes ſomnia , vnuſquiſque ad auaritiam ſuam à ſummo vſq; ad nouiſſimum . Aliqui non corrigunt ſubditos, quia ſunt ſimilibus, vel maioribus irretiti, timent eis obijci ; medice cura te ipſum . Aliqui dimittunt hoc ex quadam negligentia, & ignorantia, quia non poteſt eſſe excuſatio paſtoris ſi lupus oues comedat , & paſtor neſciat , vt patet in Capitulo non poteſt de Regula Iuris, quia Paſtor de cuſtodia tenetur reddere rationem, ff.de locis,& conductis.

Non minùs Iudex tenetur reddere rationem , quia , vt diximus cum Angelico Doctore, cum Diuo Auguſtino,alijſque Doctoribus, præcipuè cum Magiſtro Bagnes, Iudex tenetur præcepto correctionis fraternæ, ſicut, & alij Chriſtiani ; ſed heù , quam pauci Iudices induunt charitatis viſcera erga Reos . Verùm Auctor Operis imperfecti homilia 46. in Matthæum, inquit: *Miſericordia, tunc verè eſt miſericordia, ſi ſic facta fuerit, vt iuſtitia per eam non contemnatur ; ſi autem contempta iuſtitia , miſericordia obſeruetur , ipſa miſericordia non eſt miſericordia, ſed fatuitas.*

Eadem obligatione tenetur Pater reddere rationem de filiorum defectibus. Vndè Boetius lib. 1. de diſciplina ſcholaſtica. De filio Laurentij, qui ſæpiùs à Patre de Crucis patibulo redemptus. Vltimò, cum parentis pecunia redimi non potuit ; ad Crucis patibulum adductus, eundem Patrem ad ſe venire lacrymis petebat: quo veniente filius attraxit caput Patris ad ſe , quaſi ſibi vellet Verbum ſecretum dicere, & acri morſu ſibi naſum amputauit dicens ei , ſi me correxiſſes à primis erroribus, hanc confuſionem nunc non haberem; ideò dicit Horatius.

Boet. lib. 1 de diſ. ſcol.

Hor. Poeta.

Quod noua teſta capit, inueterata ſapit.

Et Diuus Bernardus in libro de conſideratione ad Eugenium inquit: *Iſta eſt cauſa generalis, quare leges , ſtatuta , & iura malè ſeruantur , tàm in ſtatu Clericali , quàm Laicali , & peccata maxima minima putantur , quia correctio peccatorum perijt ;* Ideò in Prouerbio dicitur , quicumque ſicurè , & impunè vult viuere fiat Clericus . Si tamen aliqui de Clericis , aut Laicis puniuntur, ſunt pauperes , & impotentes ; ſed alij ſemper manent illeſi , quia ſunt diuites , & libenter donant . Donum illud ligat manus Iudicis, & veram iuſtitiam ſuffocat,&c. Nihilominus tradita doctrina non habet locum in cauſis fidei pertinẽtibus ad Tribunal Sãctæ Inquiſitionis ob verba Bullarum Summorum Pontificum , præſertim Gregorij Decimiquinti , Alexandri Septimi. Et ædicta

D. Bern. ad Eugen.

R Do-

Dominorum Inquiſitorũ. Quidquid dicat Fagundez in ſecundo præcepto Eccleſiæ libro 4. cap.3. num.35. Cuius Doctrina periculoſa cenſetur in hac materia denunciationis faciendæ Sancto Officio. Nàm deſtruit omnia Edicta Inquiſitorum, & Bullarum Summorum Pontificum, quæ eſſent inutiles, & fruſtratoriæ. Idem aſſerit, atque docet Sapientiſſimus, ac peritiſſimus Abbas Michael Iuſtinianus in Conſtitutionibus Iuſtinianis, Eccleſiaſticis libro 1. titul. 11. cap.2.ſſ.2.num.17. fol.138. de denunciatione Hęreticorum.

CAPITVLVM DECIMVMTERTIVM,

Quomodo Prælatus, vt Iudex, etiam Regularis, non minus quam Salomon ſe gerere debeat erga ſubditos.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

NON eſt dubiū, vt videre eſt apud Diuum Thomā, quod Prælatus, etiā Regularis (nā Prior dicitur Prælatus ſui Conuentus reſpectu ſuorum ſubditorum, & Prouincialis reſpectu ſuæ Prouinciæ) vigilare tenetur ſuper gregem ſuum; & inquirere ſi defectus committantur à ſubditis, & corrigere eos. Ad hoc enim tenentur ex præcepto iuſtitiæ, quam ex officio profitentur; ita Diuus Thomas 2.2.q. 33.art.2 ad 4. inquiens: *Qui habet ſpiritualiter curam alicuius, debet eum quærere, ad hoc, quod eum corrigat de peccato.*

D.Thomas 2.2.qu.33. ar.2.ad 4.

Sed dubium eſt. An ex præcepto charitatis teneatur Prælatus ad inquirendum delicta ſubditorum, nàm conſtat, quod præcepta cōmunia omnes obligant ad inquirēdum. Huic obiectioni reſpōdeo, quod quemadmodum Iuſtitia, & Charitas, ſeù miſericordia ſunt diuerſę virtutes, ita, & præcepta de actibus earum diuerſa ſunt, nec coincidunt; vndè non conſonat rationi, vt factus quis Prælatus teneatur ad inquirendum facta ſubditorum; eſſet enim hoc nouum præceptum, ad quod priùs non tenebatur, nec per ſe ſpectat ad Prę̨lationis officium erga ſubditos, ſed ad communem hominū ſtatum. Ad Prælatum ſolummo-

do ſpectat vigilantia,& cuſtodia, & ſecundum occurrentes caſus, iuxta ſigna alicuius particularis ſubditi inquirere,ſi ſpirituali medicina opus eſt, ad quod maxima requiritur prudentia,nè pręcipitem, & exoſum Prælatum reddat.Hæc enim inquiſitio,quę ad emendationem ſubditi ordinatur, Prælati prudentiæ Sacri remittunt Doctores.

Quod Prælati ad inquirendũ ſubditorum facinora non obligantur, adeſt Diui Thomæ auctoritas loco citato in reſponſione ad quartum,dicentis: *Quod illa beneficia, quæ non debentur certæ perſonæ, ſed communiter omnibus proximis, ſiue ſint corporalia, ſiuè ſpiritualia,non oportet nos quærere, quibus impendamus, ſed ſufficit, quod impendamus eis, qui nobis occurrunt. Hoc enim,quaſi pro quadã ſorte habendum eſt.* Itaque Angelicus Doctor fratrum lapſus ſortem vocat, & quare ſortem vocat? quia in ſorte nulla eſt volũtas, ergò inquiſitione carent. Vndè Diuus Auguſtinus lib. de verbis Domini,hocidem confirmans dicit: *Quod admonet nos Dominus noſter, non quærẽdo, quid reprabendas, ſed videndo quid corrigas: alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum,contra id,quod dicit Diuinus Salomon Prouerbiorum* 24. *Nè quæras impietatem in domo iuſti, & non vaſtes requiem eius:* hæc ille. Ex quo patet, docet D. Thomas: *Quod nec Religioſos oportet exire clauſtrum ad corrigendum delinquentes.* Et Magiſter Ozorius in ſuis ſermonibus Hyemalibus, verbo Salomon, de Salomone loquens, ait: *Regina Saba, non tantum obſtupuit de ſapientia Salomonis,quantum quoque de eius humilitate. Erat enim mitis,docilis, liberalis,miſericors, atque nimis cõpatiens erga ſubditos,abſque tamen vitiorum nutritione,vt in libris Regum,ſacra teſtatur Scriptura.* Notate verba.

D. Thomas lo.cit.in reſpon.ad 4.

D. Auguſt. li. de verb. Domini.

Salomon Prou. c.24.

Mag Ozor. ver. Salom.

Quando verò lapſus fratrum per denunciationem ad Prælati aures perueniunt,tunc ſuppoſita priùs ſuaui admonitione per ſecretam correctionem in delinquente,per quam nihil proficiẽte,immò duobus,vel tribus adhibitis teſtibus, maxiporè indurato: *Induratum eſt cor Pharaonis.* Dic Eccleſiæ, nempè Prælato, qui tanquam pater de veritate, ac de denunciantis integritate affirmatus, debet ſecretò delinquentem vocare,& ei ſuum manifeſtare delictum,quem videns emẽdatum, ſuiſque pedibus humiliter poſtratum, non poteſt contra eum iudicialiter proſequi,ſed pænitentiam aliquam, tanquam perſeueratiua medicina ei applicare; ita Nauarrus c. inter verba, Corol.6. num. 230. Sotus de ſecreto memb. 2. qu.4. Suarez tom.4.de Religio.lib.10. c.10.num.13. & Ghiſlerius in ſua praxi c.16.nu.6.docet: *Quod denũciatio eſt delatio criminis apud Iudicem, vt patrem ad emendationem in fratre procurandam, quam in*

in fraterna correctione obtineri minimè potuit, facta Zelo charitatis: hæc ille.

Sed quid faciendum, ſi delinquens vix paucis tranſactis diebus, denuò ad peccati vomitum reddit? Dico, quod flagellis, & pænis (ſed in ſecretò) caſtigari, & affligi debet, & ad maiorem ſui erubeſcentiam, ad minùs coram duobus, vel tribus teſtibus; ita Sotus, vbi ſupra. Suarez, & alij multi. Et ſi adhuc pertinax exiſtit, tunc Prælatus iudicialiter, & in publicum cum præceptis, cenſuris, & carceribus, eum opprimere poteſt, atque etiam officio, & beneficio priuari: ſic concludit Ioannes Andrea: *Quod poteſt Prælatus excommunicare, & aliam cenſuram Eccleſiæ exercere in denunciatum, ſi non vult ſe corrigere, & ſi aliter non poteſt pænitere, niſi priuetur officio, vel beneficio, poterit illo priuari.* Sed percontor de quo delicto, & peccato loquitur? De occulto perſonali; an publico. Dico, non de occulto perſonali, neminem damnificante, ſed de occulto, quod in perniciem tertij, & boni communis vertitur. Fundamentum huius ſententiæ ſunt verba Chriſti Domini, Matthæi 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.*

Math. 18.

Contra, ad iuridicam delinquentis inquiſitionem, infamia præcedere debet, atqui in delictis occultis, & ſolummodò perſonalibus, nulla præcedit infamia, ergò non poteſt Prælatus de his inquirere. Reſpondeò primò, quod Prælatus ſub incorrigibilitatis prætextu inquirere poteſt de ſubditorum lapſis, & quamuis non adſit infamia, virtute illius incorrigibilitatis procedere poteſt ad iuridicam inquiſitionem, & ipſum denunciãtem ſimulque cum alijs cogere ad teſtificandum, & tunc incorrigibilitas habetur pro ficto, vel virtuali accuſatore; ita Mirãda de ordine iudiciali q.1.art.2. Villalobos tract.14.diffin.5.nu.3.& alij.

Vel ſecundò reſponderi poteſt, quod Prælatus, cum præcepto, & cenſuris cogere poteſt, quem ei, vt Pater denũciauit delictum, vt ei denunciet, vt Iudex cui tenetur obedire, quemadmodum, & alij, qui in ſcientia ſunt complices delicti, teſtificare tenentur, ita Bagnes 2.2.q.33.art.8.dubio 4.concluſ.6. Ledeſima in ſumma tract. 4. de miſericordia c.4.concluſ.26. Suarez tomo 4. de Religione libro 10. c. 12. num.44.

Alij aſſerunt finem correctionis fraternæ primarium eſſe, vt ex verbis Chriſti patet, proximi ſalutem, ideò his oportet vti medijs, nàm apud Deum plus valet animæ lucrum, quam proximi fama, plus conſcientia ſola, quã ſeruatio famæ, quando ſimul ſeruari non poſſunt, conſcientia ſcilicet, & fama: ita docet Diuus Thomas in quæſtionibus diſpu- tatis

D. Thomas in quæſtio. diſp. q. de virtutib.

tatis q. de virtutibus, vbi inquit: *Seruanda eſt fratris conſcientia, & fama ſimul, ſi fieri poteſt, alioquin conſcientia ſola, contempta fama.* Et

D.Th. 2.2. q. 33. art. 7. 2.2.q.33. art. 7. docet; *Quædam peccata ſunt, quæ ſolum ſunt in malum peccantis, & tunc ad hoc ſolum tendendum eſt, vt fratri peccanti ſubueniatur.* Et paulò inferiùs: *Sed quia conſcientia præferenda eſt famæ, voluit Dominus, vt ſaltem cum diſpendio famæ, fratris conſcientia per publicam demonſtrationem à peccato liberetur*: hæc ille. Sentit ergò Diuus Thomas, quod quãdo delinquens inemendabilis redditur, tunc ad delicti publicitatem procedi non poſſet, ſin verò, ſi prona eſt peccantis voluntas ad emendationem, tunc manifeſtatio delicti licet, nàm tunc charitas imperat iuſtitię, vt ſuos, cum rigore eliciat iuſtitiæ actus, qui dulces, ac ſuaues ſpreuit charitatis admonitiones.

Nec deſunt alij piè docentes, quod delicta occulta ſolummodo perſonalia, infamia carentia, abſque damno tertij, bonique communis, etiam per duos, vel tres teſtes probabilia, non ſunt in iudicium deducenda. Vndè Prælati, cenſuræ, & præcepta contra denunciantem, teſtes, & Reum, ſunt iniuſtè, & abſque vllo valore: ita Bagnes 2.2.q.33. art.8. dub. 4. concluſ.4. Ledeſima tractat. de Miſericordia c.4. Pater Suarez tom.4. de Religio. lib.10.c.12.num.43. & alij. Probatur. Nàm eadem obligatio de ſecreto remanet in Prælato per denunciationem ipſi factam, tanquam Patri, quam denunciãs ad delinquentis occulti famæ conſeruationem tenebatur; ita ſubdit Alderetus, in denunciatione Euangelica num.20. *Superior in locum ipſius denunciantis ſubrogetur, vt correctionem ſecretò vtiliter faciat; igitur eodem modo ſe gerere debet in ſecreto ſeruando, & in fama proximi conſeruanda, ex vulgari aſſiomate, quod ſubrogatũ debet naturam eius in cuius locum ſubrogatur ſeruare*: hæc ille. Alderetus.

Igitur cum cõmunis ſit Theologorum doctrina, particularem perſonam licitè delictum occultum publicare non poſſe, etiam duobus, vel tribus teſtibus manifeſtũ, quod ſi fecerit grauiter peccaret contra charitatem; & vt alij dicunt etiam contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia vbi nulla adeſt infamia, publicè infamaret; ergò eodem modo Prælatus habita hæc notitia ſecreta, non poterit delinquentem occultum per publicam inquiſitionem infamare. Cum nec Prælatus, nec denuncians ſint Domini famę proximi. Et Magiſter Bagnes docet 2.2.q.38.art.8. *Quod frequenter expertum eſt ex huiuſmodi delictorum publicitate, delinquentes fieri peiores. Quando correctio publica (inquit Bagnes) non eſt ordinabilis, per ſe ad bonum commune, non debet adhiberi propter bonum particulare delinquentis, quia quod delicta publicentur ex natura ſua nociuum* Mag. Bagn 2.2.q.38.a.8.

ciumeſt cõmunitati: eſt enim exẽplum, vt alij ad ſimilia facienda innitentur. Caſtigatio verò publica, quæ ſuperuenit ab eo, qui habet curã communitatis ordinatur ad remedium illius mali, cuius eſt cauſa publicitas delictorum. Ergò melius eſt, quod non publicentur per ſe, & abſolutè loquendo, quàm quod publicata puniantur, ergò peruerſus ordo videtur, quod propter bonum vnius, Mag. Bag. *ſcilicet delinquentis publicetur delictum illius. Non ergò eſt licitum transferre ad publicum forum delictum illius, qui vſque ad tertium gradum correctionis fraternæ manet incorrigibilis, niſi quando huiuſmodi publicitas eſt per ſe immediatè ordinabilis ad bonum commune*; hęc ille, nempè Magiſter Bagnes.

Audiamus modo Angelicum D. Thomas 2.2. qu. 33. ar. 7. ad 5. Doctorem 2.2. qu. 33. ar. 7. ad 5. vbi docet; *Quod quando non adeſt infamia, aut manifeſtum inditium, aut aliqua clara ſuſpictio, procedere non poteſt de peccatis occultis, quæ bono communi, vel tertiæ perſonæ nociua non ſunt*; Et Prælatus etiã Regularis ad publicam inquiſitionem, atque iudicialem punitionem procedere non poteſt. D. Thomas loc. cit. Diuus Thomas. *Quia Prælatus non eſt Iudex iudiciorum occultorum, ſed ſolus Deus, non habet poteſtatem præcipiendi aliquid ſuper occultis, niſi in quantum per alia inditia manifeſtantur, puta per infamiam, vel per aliquas ſuſpictiones, in quibus caſibus poteſt Prælatus præcipere eodem modo, ſicut Iudex Sæcularis, vel Eccleſiaſticus*. Et quando Diuus Thomas dicit, *Seruetur conſcientia, contempta fama*. Non loquitur de fama illa, quæ apud omnes ammittitur, ſed ſolummodo de illa, quæ apud Prælatum, & teſtes per denunciationem manifeſtatur. Vnde qu. 64. art. 1. concludit, *Quia peccatum eo ipſo, quod occultum ſit, exemptum eſt ab inquiſitione humana, & iudicio humano, quoniam omnia iudicia humana ad publicam poteſtatem, & ſcientiam ſpectant*; Quæ quidem Diui Thomæ ſciẽtia ſequenda eſt, maximè à Religioſis, quibus bona opinio, ſeù fama magnoperè neceſſaria eſt. Immo addit Doctor Io: Andrea, Doct. And. *quod in Religioſis non requiritur, quod præcedat infamia, quia Prælatus in delictis quantumuis occultis ſtatim procedere poteſt ad iuridicam inquiſitionem. Hunc tamen ordinem famæ circa Regulares perſonas non credimus, vſquequaque obſeruandum*. Hæc ille.

Verum ſunt nonnulli Prælati, ita ad caſtigandum inclinati, ac communis boni nimis zelotes, quod totus illorum rigor ſolummodo ad hoc videtur intentus, abſque culparum examine; nempè ſi infamiam compræhendant, an ea careant, vndè abſque innocentiæ tertiæ perſonæ calculo, ſtatim in publicum iudicium vertunt. Ita Magiſter Bagnes 2.2. q. 33. art. 8. dub. 2. Mag. Bagn. 2. 2. qu. 33. ar. 5. dub. 2. *Aduertant Prælati, quod multa ſunt relinquenda iudicio Dei, & caueant nè vellint vſurpare iudicium illius*.

Sunt

Sunt enim aliqui Prælati, qui plus nimio zelo corrigendi crimina aguntur, & non ſecundum ſcientiam, & valdè ſatagunt, vt vniuerſa ſubditorum peccata in publicum iudicium vertant ſub prætextu boni cõmunis conſeruandi: cum tamen non omnia peccata ſint boni communis deſtructiua, circà quæ rigidus ille zelus iniuſtè exercetur; alia verò crimina debent Prælati præſertim Eccleſiaſtici, vt Patres corrigere, & in profundum maris proijcere. Hæc ille &c.

Quapropter ſi aliquando accidiſſet aliquod graue punire Conc. Trid. ſeſſ. 13. de reform. delictum legent Tridentinum Concilium ſeſſ. 13. de reformatione c. 1. vbi hæc verba inuenerint. *Si ob delicti grauitatem, quandoque virga opus fuerit, cum manſuetudine rigor, cum miſericordia iudicium, cum leuitate ſeueritas adhibenda eſt.* Quamuis alij aſſerunt, quod dato, & conceſſo, Prælatum velle aliquod punire Innoc. III. delictum. Ita Innocentius III. cap. Inquiſitionis. *Longè enim vtilius eenſet Eccleſia Chriſtiana, ſeruare bonam famam Clerici, qui deliquit, quam punire delictum, diſ-* Idem Innocentius. *ſipando eius famam.* Et cap. de exceſſibus Prælatorum, idem Innocentius ſubiungit. *Nihil eſt, quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quam quod indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum.*

Verum quotieſcumque Prælatus non ſit pecuniæ auidus, & cum vero zelo, & vigilantia, tanquam bonus paſtor ſuas oues, ſeù ſubditos delinquentes punire velit, tenetur prius. vt ſupra dixi, Euangelij ſeruare præceptum de correctione fraterna, quia, vt ait Diuus Gregorius ex- D. Gregori. ſuper pſ. 57. plicans illud Dauidis, nempè *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam* Pſalm. 57. Pſal. 57. *Peſtis Reipublicæ eſt, qui reos, quando conuenit, non corrigit.* Nec tunc valet dicere, quod præualet miſericordia, illos compatiens, immo potius crudelitas: ita habetur in c. 23. qui vitijs qu. 5. *Prælatus non eſt miſericors, ſed crudelis, qui vitijs* Præl. dupliciter homicida. *nutriendis parcit.* Et in cap. Epheſijs diſtinct. 43. dicitur. *Quod ſi Prælatus in hoc negligens videatur, non ſemel, ſed bis homicida nuncupatur, Prælatus, qui peccantes incorreptos dimittit, ipſos vecidit, imo verò illos dupliciter occidit, temporaliter in hoc ſaeculo, & æternaliter in futuro.*

Et notat Gloſa in verbo cor- Gloſa. rigendis. *Quod inquirere, punire, corrigere exceſſus ſubditorum, eſt vnum de illis, quæ ſunt propria Epiſcoporum.* Nec competunt Vicario illius ex vi generalis commiſſionis, niſi ſpecialiter id exprimatur, & concedatur; ita Lancelottus in iuſtitia tit. de officio Vicarij nu. 2. Lancelott. Sancez lib. 3. de matrim. dec. 29. nu. 16. & alij cum Barboſa nu. 4. & de officio Epiſcoporum alleg. 54. nu. 117.

Dices. An quod facit Epiſcopus ſine conſilio ſit nullum. Reſpondeo: quod eſt nullum in illis caſibus, in quibus conſilium

eſt

eſt requiſitum de forma. In alijs vero caſibus, in quibus Epiſcopus conſuetudine libertatẽ præſcripſit, optimè agit ſine Capituli conſilio.

Ratio dubitandi eſt, quia vſus antiquus erat, vt Epiſcopus ſine conſilio Capituli non poterat inquirere, & corrigere. Verum hoc non fecerunt in priuatum commodum Capituli, ſed ob bonum publicum, vt ſanctius, & cum omni rectitudine publicum iudicium Eccleſiarum procederet.

Contrarium tamen defendit Hoſtienſis in cap. nouit, & cap. ea noſcitur, vbi aſſerit, quod Epiſcopus conſuetudine præſcribere poſſit non requirere conſenſum Capituli, non tamen poſſit præſcribere, quod non requirat conſilium. Nihilominus concludit Barboſa in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælato num. 5. Gratian. diſcept. 1. nu. vltimo, & Panormit. in cap. irrefragibili col. fin. de offic. ordin. Epiſcopos poſſe ſua iuriſdictionalia exercere, nempè inquirere, & corrigere non ſolum ſine conſilio Capituli. Quia Capitulum nunquam habuit ius iuſtitiæ cõmutatiuæ contra Epiſcopum, vt Epiſcopus non corrigeret ſine eius conſilio.

Nec obſtat conſuetudo. Nam Prælati ſuperiores ſæpius multa tolerant, quia vel non poſſunt impedire, vel tolerant, & fingũt ad vitandum maius malum, quare non propter hoc, quia Prælatus per aliquod, vel per multum tempus tolerarunt, hæc tolerantia in conſuetudinem vertitur. Ideò Vrbanus VIII. in appendice Bullæ 47. & in ordine aliarum 157. quæ incipit Romanus Pontifex, & fuit data 5. Iunij 1641. in qua declarat huiuſmodi conſuetudines, quamuis longiſſimas, & immemorabiles, & cum aſſerta fama priuilegij, illicitas, & irrationabiles, irritas, & nullas, & pro talibus mandat haberi.

Vndè quamuis in fine Bullæ declarat, quod non intendit tollere centenariam præſcriptionẽ, niſi in caſibus, in quibus per Sacros Canones, vel generalia cõcilia, aut ordinationes, & diſpoſitiones Apoſtolicas illa conſuetudo reprobatur, atque inquirere, punire, & corrigere ſubditos Prælatis per Sacros Canones, & Concilia conceſſum eſt, vt docet Barboſa, cum alijs loco citato. Et Diuus Thomas 2.2.q.33. art. 3. in corp. docet. *Quod duplex eſt correctio. Vna quidem, quæ eſt actus charitatis, quæ ſpecialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per ſimplicem admonitionem, & talis correctio pertinet ad quamlibet charitatem habentem, ſiue ſit ſubditus, ſiue Prælatus. Eſt autem alia correctio, quæ eſt actus iuſtitiæ, per quam intenditur bonum commune, quod non ſolum procuratur per admonitionem fratris, ſed etiam interdum per punitionem, vt* D. Thomas 2.2. qu.33. art. 3. in corp.

S aly

alij à peccato timentes deſiſtant, & talis correctio pertinet ad ſolos Prælatos, qui non ſolum habent admonere, ſed etiam corrigere puniendo. Hæc ille, nempè Angelicus Doctor Diuus Thomas Aquinas.

Modo dubitatur primo. Vtrum Eccleſia melius regatur per bonum iuriſtam; an verò per bonum Theologum. Reſpondet Henricus de Gandauo in quolibeto 10.q.19. quod melius regitur per Theologum. Supponendo tria. Primo, quod officium Prælati non eſt principaliter circa templum materiale conſtruendum, vel reparandum, alioquin bonus lapicida deberet eſſe Prælatus. Secundo non eſt circa bona temporalia procuranda, vel promouenda, quia Agricola eſſet bonus Prælatus: nec eſt circa defenſionem contra violentiam corporalem, alioquin miles bellicoſus eſſet bonus Prælatus, ſed officium Prælati conſiſtit eſſentialiter circa communitatem fidelium, fide, & moribus imbuendum; & circa adminiſtrationem Sacramentorum, ſed iſta fiunt melius per Theologum, qnam per Iuriſtam, quia magis docet Theologia iſta, quam alia ergo. Probatur conſequentia. Quia Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, vt patet diſtinct.21.cap. in nouo. Qui Apoſtoli non fuerunt Iuriſtæ, ſed excellentiſſimi Theologi, & per illos Eccleſia optimè fuit gubernata, melius quam vnquam per aliquem iuriſtam. Deindè, quando Epiſcopi conſecrantur, tunc petitur ab eis, an ſciant ius Canonicum, quod principaliter conſiſtit circa iurgia, & litigia ſedanda, ad quæ Chriſtus ſe noluit intromittere, vt patet in eo, quem dixit Chriſto. *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*. Luc. 12. Lucæ 12. reſpondit Chriſtus. *Quis me conſtituit Iudicem ſuper vos*: Ergò melius regitur per bonũ Theologum, quàm per bonum Iuriſtam.

Dubitatur ſecundo. Vtrum quis ſine peccato poſſit prælationem, & dominationem appetere. Reſpondet Magiſter Auguſtinus de Anchona ſuper Mattheum dicens. Mag. Aug de Anchon. *Quod aliud eſt quærere*. Vtrum homo ſine peccato poſſit appetere ſe eſſe dignum prælatura, & principatu, & aliud eſt appetere ipſam prælationem, ſeù dominationem. Primum licitum, & bonum eſt. Scribitur Sapientiæ 6. Sapient.6. *Quod concupiſcentia illius, ſcilicet ſapientiæ, & virtutis conducit ad regnum perpetuum.* Sed ſecundum ſine peccato eſſe non poteſt, quod patet auctoritate, & ratione. Nam Auguſt.lib. 19. de Ciu. Dei. Diuus Auguſtinus lib.19. de Ciuit. Dei ait. *Quod locus ſuperior ſine quo populus regi non poteſt, etiam ſi adminiſtretur, vt decet, tamen indecenter appetitur.* Ratio eſt. Quod illud ſine peccato appeti non poteſt, quo quis efficitur iniuſtus, vel ſuperbus, ſed cum

appe-

appetit ſe præferri alijs eſt iniuſtus, quia plus vult habere de honore, quam ſit dignum habere; eſt etiam ſuperbus contra prohibitionem Apoſtoli dicentis ad hebreos c. 5. *Nemo aſſumat ſibi honorem.*

Ad hebr. 5.

Dubitatur tertio. Vtrum ſine peccato poſſit quis dominationem, & prælationem fugere. Reſpondet idem Doctor dicẽs, quod iſta quæſtio eſt dubia, exẽplo Chriſti, vt dicit Ioan. 6. fugit in Montem, quando ſciuit, quod venturi erant homines illi, quos pane ſaturauerat, vt raperent eum, & facerent eum Regem. Et exemplo Ionæ, qui fugit in Tarſis à facie Domini, quando Niniuitis recuſauit prædicationis officium. Hanc dubitationẽ reſoluit D. Gregorius in paſtorali dicens. *Quod ad prælaturam electus, vel eſt virtutibus pollens, aut virtutibus vacuus. Si igitur eſt virtutibus pollens ex humilitate debet principatum, & prælationem recuſare. Ex imperantis tamen poteſtate debet ipſam prælationem humiliter ſuſcipere, quia tunc ante Dei oculos vera eſt humilitas, quando ad reſpuendum hoc, quod vtiliter ſubire præcipitur pertinax non eſt. Si vero eſt virtutibus vacans etiam coactus ipſam prælationem, & dominationem ſuſcipere non debet, talis enim corporaliter, & mentaliter principatum fugere debet, ſi velit eſſe ſecurus de ſalute æterna conſequenda.*

Ioann. 6.

D. Greg. in paſtorali.

Dicit enim Diuus Hieronymus, & ponitur Cano. 35. *Eccleſiæ Principes, qui delicijs affluunt, & inter æpulas pudicitiam ſe ſeruare credunt, propheticus ſermo deſcribit, quod eÿciendi ſunt de ſpatioſis dominibus, lautiſque conuiuijs.* Vndè legimus quod S. Ludouicus Rex Franciæ, cum à quodã deuoto quæreret. Cur Epiſcopi olim inuocatione Spiritus Sancti, & inſpiratione eiuſdem ab Electoribus canonicè eligebantur, nunc verò per ſupplicationes, & procurationes, & violentiam efficiuntur Epiſcopi. Reſpõdit *Sancti modo non ſunt, ſicut olim.* Quo audito Rex de cœtero nullatenus pro alio ſupplicare voluit. De quibus loquens D. Bern. ait. *Vidi quoſdam de maioribus comedere lautius, bibere ſapidius, indui pulcherius, cubare mollius, loqui libentius, orare rarius, iſti non ſunt ſecundum ordinem Apoſtolorum Prælati* 2. Corinth. 4. *Huſque in hanc horam eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus &c.*

D. Hieron.

S. Ludouic Rex Franc

D. Bernard.

2. Corinth. cap. 4.

CAPITVLVM DECIMVMQVARTVM,

De Iudicis Scientia, Salomonis emulatrice ad rectè iudicandum.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

D. Chryſoſ. hom. 36. in Ioan.

DIuus Ioan. Chryſoſtomus ſuper Ioannē homilia 36. inquit: *Quod leges ſunt hominibus frena, ſicut capiſtra æquis.* Et Iſydorus in libro Emptime. & ponitur in Decret. diſtinct. 2. *Quod lex eſt conſtitutio populi, quam maiores natu ſimul cū plebibus aliquid ſanxerunt*. Moyſes gentis hebreæ, primus omnium, Diuinas leges ſacris literis explicauit. Foronius Rex Græcorum primus leges, iudiciaque conſtituit. Mercurius Trimegiſtus primus leges Ægyptijs tradidit. Solon, Ateníenſibus primus leges edidit. Ligurgus Lacedemonibus, iura ex Apollonis authoritate confinxit. Numa Pompilius, qui Romulo ſucceſſit in Regno, primus Romanis leges edidit. Deindè cum populus ſeditioſus ferre non poſſet, decē viros legibus ſcribendis creauit, qui leges ex libris Solonis in latinum ſermonem trāslatas, duodecim tabulis expoſuerunt. Hæc Iſydorus. Primus ergò, qui ſcripſit leges fuit Moyſes, qui fuit cum Domino quadraginta diebus, & noctibus in Monte Synai. Et quando voluit legem accipere ieiunauit, in ſignum, quod legum conditores, & exequutores debent eſſe ſobrij, & non conuiuijs vacare, quando leges condunt, & exequuntur, quia cum magna maturitate fieri debent.

Iſydor. lib. Empti.

Iſydorus

In-

Inter hos legiſlatores, non minùs primum obtinet locum Diuinus Salomon, qui Prouerbiorũ 8. inquit: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*. Super quę verba Rabi Salomon ſubdit: *Prabete aures ò vos, qui iudicatis terram: & ſit vobis, tamquã in imagine deſcripta, Salomonis ſapientia, ex qua velut in ſpeculo refulget rectitudo iuſtitiæ, magnitudo iudicij*. Notate ò Iudices hæc aurea verba.

Vndè inter Iudices, legũ promulgatores, & exequtores ſupremũ obtinet locũ Príceps, qui Supremi Iudicis nomine gaudent: iuxtà Diui Thomæ doctrinam 1.2.q.104. ar. 1. ad primum argumentum, vbi inquit: *Ad Principem autem pertinet, non ſolùm ordinare de his, quæ veniunt in litigium, ſed etiam de voluntatis contractibus, qui inter homines fiunt, & de omnibus pertinentibus ad populi communitatem, & regimen. Vndè præcepta iudicialia, non ſolùm ſunt illa, quæ pertinent ad lites iudiciorũ, ſed etiam quæcumque pertinent ad ordinationem hominum ad inuicem, quæ ſubeſt ordinationi Principis, tãquam ſupremi Iudicis*.

D. Thomas 1.2.q.104. art. 1. ad 1.

Supremus igitur Iudex eſt Princeps, cuius leges, & præcepta, obligatione conſtringuntur nõ ignorare. Alij delegati Iudices, vt cauſas ſecundũ Principis leges definire ſciant, ac debeãt: & legare ſubditos ad earum obſeruantiam. Nàm lex ſecundum Angelicum Doctorem à ligando dicitur, ita 1.2.q.90.ar.1. in corpore: *Dicitur enim lex à ligando, quia obligat ad agendum*. Cuius definitionem tradit idem Sanctus loco citato ar.4. in corpore. *Lex nihil eſt aliud, quam quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet promulgata*. Et quamuis diuidatur in naturalem, & poſitiuam: *Naturalis lex eſt participatio legis æternæ in rationali creatura*, ita D.Thomas 1.2.q.91.a.2. in corpore. Poſitiua ideſt arbitraria lex diuiditur in Diuinam, & humanam. Hic de legibus humanis, tùm Eccleſiaſticis, tùm ciuilibus erit ſermo. Quæ leges ad rectè iudicandum, ad Iudicis ſcientiã pertinent.

D.Tho. 1.2. q. 90. art. 1. in corp.

D. Thomas lo. cit. q. 91. a. 1. in corp.

Dixi, quod ad bonum commune ordinatur lex, quàpropter Iudex maxima, cum prudentia, doctrina, & zelo, bonum hoc conſeruare, procurare, ac totis viſceribus defendere. Immò ad maiorem eius obſeruãtiam tenetur Iudex legis conditiones, ac proprietates præmanibus habere. Iſydorus inquit lib.5.cap.3.& refertur cap. conſuetudo, Dec. 1. quod lex debet eſſe honeſta: *Lex erit, quod ratione conſtiterit, Religioni conueniat, diſciplinæ congruat*. Et in hoc non diſſentit, immò cõſentit Diuus Auguſtinus lib. de vera Religione cap.31. *Conditor legum temporaliũ ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam legem, &c. vt ſecundum eius immutabiles regu-*

Iſydo. lib. 5. c. 3.

D. Aug. lib. de vera rel. c. 31.

gulas, quid ſit pro tempore vitandũ, iubendumque diſcernat. Et idem Pater Auguſtinus libro 19. de Ciuitate Dei cap. 11. præuidens temporum deprauationem ſubdit: *Non enim iura dicenda ſunt, vel putanda, iniqua hominum conſtituta, cum illud etiam ipſi, ius eſſe dicant, quod de iuſtitiæ fonte manauerit*. De fonte veræ iuſtitiæ illa ſolummodò manat, quæ bono communi contraria non eſt, nec ſubditis onerosa, quemadmodũ *aliquis præſidens, leges imponit onerosa, ſubditis, non pertinentes ad utilitatem communem, ſed magis ad propriã cupiditatẽ, uel gloriã*, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 96. a. 4. in cor.

Idem Aug. de Ciu. Dei lib. 19. c. 11.

D. Thomas 1. 2. qu. 96. a. 4. in corp.

Quapropter ſubiũgitur, quod lex debet eſſe iuſta, non excedẽs ſubditorum vires, atque facultates, ideò quatuor modis dicitur iuſta, vt habeat vim obligandi in foro conſcientię. Primò poteſtatiuè, vt quando ſic ferũtur, quod non excedant poteſtatem ferentis, ſicut illi, qui condunt leges contra Eccleſiaſticam libertatẽ. Secundò ſunt iuſtè materialiter, & ſubiectiuè, vt quando non cõtinent aliquid contra Dei mandata, qualis fuit lex Nabuchdonoſor. Tertiò dicuntur iuſtè, formaliter, & quidditatiuè, vt ſecũdum proportionem imponantur ſubditis onera, ſi autem pauperes grauantur, & diuites componũtur nõ eſt iuſta lex. Quarta dicitur iuſta finaliter, & terminatiuè. ſ. quando ordinatur ad cõmunẽ vtilitatẽ, & promotionẽ Reipublicæ, quia debet eſſe pro cõmuni vtilitate Reipublicę. Si autẽ eſt pro priuato commodo erit valdè iniqua, contra quos Iſaias cap. 10. *Vè qui condũt leges iniquas, vt opprimerent in iudicio pauperes*; Ergò ille leges, quæ ſunt contra Dei mandata non obligant in foro conſciẽtiæ, ita docet Diuus Auguſtinus libro de libro arbitrio: *Lex eſſe non videtur, quæ iuſta non fuerit; quapropter non obligat*. Quem ſequitur D. Thomas loco citato q. 96. art. 4. in corpore inquiens: *Tales leges non obligant in foro conſcientiæ, niſi fortè propter vitandum ſcandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo iuri ſuo debet cedere, ſecundum illud Matthæi c. 5. Qui angariauerit te mille paſſus, uade cum eo alia duo, & qui abſtulerit tibi tunicam, dà ei, & pallium*. Et vt dicitur ad Galatas 3. *Lex iuſta, eſt pedagogus ducens ad Chriſtum*. Et Prouerb. 8. Diuinus Salomon inquit: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.*

Iſai. c. 10.

Aug. lib. de lib. arb.

D. Thomas lo. cit. q. 96. a. 4. in corp.

Matth. c. 5.

Ad Galat. 3.

Prou. 8.

Dixi cum Angelico Doctore, legis tradendo diffinitionem, ad eius eſſentiam, & promulgationem requiri, vt legis ignorantia, in obſeruantiæ ſit cauſa, quæ legis notitia, etiam ſi per alios defertur eſſentialem vim conſecuta eſt obligandi omnes ad eius obſeruationem; ita D. Thomas 1. 2. q. 90. art. 4. ad 2. *Quod illi coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem obſeruandam, in quantum in eorum notitiam deuenit*

D. Tho. 1. 2. q. 90. a. 4. ad 2.

nit

nit, per alios, vel deuenire poteſt promulgatione facta. Super quem articulũ docet Eminentiſſimus Caietanus. Quod lex Pontificia, quæ Romæ publicatur omnem vim habet obligandi. Sed cur Diœceſanos non ſtatim omnes obliget? Dico hoc non prouenict ex defectu legis, aut promulgationis, ſed ex defectu alicuius accidẽtalis conditionis, v.g. quia eã ignorãt. Vndè cẽſẽdũ eſt Caiet. nihil contra communem ſententiam dixiſſe, nota verba: *Si Romæ noua lex promulgatur, & nec curia ipſa procurat, vt promulgatio ad Eccleſias Cathedrales deueniat: neque Prælati, qui ibi ſunt, inſinuant ſuis Eccleſiis accuſari, nec apud Deum, nec apud homines ignorantiæ poſſunt abſentes neſcij.*

Caietanus.

Eminentiſ. Caiet. ſuper art. 4. 1. 2. q. 90.

Dubitatur modo: Iudex, quam legem amplectere, ac defendere debet. Legem in ſcripto; an in voce. Dico in ſcripto: ita D. Thomas loco citato q. 91. art. 4. ad 3. vbi ait; *Quod promulgatio præſens in futurum extenditur per firmitatem Scripturæ, quæ quodammodo ſẽper eam promulgat. Vndè Iſydorus dicit in 2. Etymologiarum, quod à legendo vocata eſt, quia ſcripta eſt.*

D. Tho. loc. cit. q. 91. ar. 4. ad 3.

Sed principalis conditio ad legẽ requiſita eſt legis acceptatio, quæ etiam ſi accepta fuerit, & vſu confirmata, poſtmodum ſi per contrariam conſuetudinem abrogetur, non præſumitur recepta: vt patet in cap. vltimo de conſuetudine. Ex quo inferre licet cum Nauarro in conſil. 1. q. 7. & 8. & Salas quoque de legibus diſpu. 13. ſeſſ. 3. in fine, quod neque Doctores ex Cathedra quæſtiones decidere; neque Iudices in foro externo, vel interno cauſas definire debeant. Si adſit contraria conſuetudo.

Et quia Iudex dicitur à iure, à iure quoque dicitur iuriſdictio, quæ diffinitur: *Facultas alicuius habentis publicam auctoritatem, & eminentiam ſuper alios ad eorum regimen, & gubernationem.* Meritò Iudex iuriſdictionis diuiſionem ſapere debet; quæ in ordinariã, & delegatam diuiditur. Ordinarius Iudex, qui ex proprio officio iuriſdictionem exercet. Delegatus Iudex, qui non ex officio, ſed ex commiſſione iuriſdictionem exercet. Eſt alia iuriſdictionis diuiſio, in Eccleſiaſticam, & Ciuilem. Eccleſiaſtica ad ſpirituãlem animarum gubernationem ſe extendit, quæ quidem poteſtas immediatè eſt à Deo. Ciuilis ad temporalem Reipublicæ gubernationem, quę ab hominibus immediatè prouenit. Iudex mercenarius procedere ex officio non poteſt ad cauſas, & lites ciuiles, ſed ſolummodò ad actoris inſtãtiam. Vndè deſiſtentibus partibus per tranſactionem compoſitis, ceſſare cogitur Iudex. Verùm poſtulantibus illis iudicium; ferre debet ſententiam. Dicitur lex ciuilis, ſeu ius ciuile à Ciuitate, ita Caius lege 9. Vocaturque ius ciuile, quaſi ius proprium ipſius Ciuitatis.

Et ſi dices, quibus potius Iu-

dex

dex, ciuilibus, an Canonicis legibus ſtandus eſt. Dico cum Abb. in capit. Clerici num. 2. de iudicijs, quod vel iure Canonico, aliquid contrarium ſtatutum eſt, legibus ciuilibus, vel non, ſi aliquid contrariū ſtatutum eſt, tūc correcta, & ſublata cenſeri debet, lex ciuilis: Si verò nihil contrarium iure Canonico legibus ciuilibus ſtatutum reperitur, tunc ea in vtroque foro, tàm Eccleſiaſtico, quam Ciuili ſeruari debet, vt dicitur cap. 1. de noui operis nunciatione.

Et ſi Iudex, cum ad ipſum pertineat legum obſeruatio, cogere nè poſſit aduenas, & peregrinos, qui hoſpitaturi tantùm, vel trāſituri, ad obſeruantiam legis localis. Reſpondeo, quod non; ita Gloſa in cap. illa. deceſ. 12. verſ. veneris: cum D. Antonino. Syluest. Medina, & alijs. Ratio eſt, Iudicem obligare aliquem legibus locis, iuriſdictionem requiri, atquì ob breuem hoſpitij morā peregrini, iuriſdictioni nō ſubijciuntur, vt patet ex lege hæres autem, ergò, &c. Nauarrus verò c. 13. num. 5. & c. 23. num. 120. Rodriquez tom. 1. cap. 122. concluſ. 1. Salas diſput. 14. de leg. ſeſſ. 4. num. 41. & alij. Contrariā defendunt ſententiam, nempè peregrinos obligari Ciuitatum quibuſdam legibus, aut locorum in quibus hoſpitantur, ſicuti v. g. Nè quis noctu arma ferat, nè triticum efferat, ſeù exſtratu, & ſimilia, vt conſtat ex lege 6. ff. de euictionibus. Non minus Tridētinum Concilium ſeſſ. 6. c. 7. de reformat. dicens: *Quod Ordinarius contra exemptos procedere poſſit, ratione delicti, vel cōtractus, &c.* Itaque leges humanæ dummodò iuſtæ ſunt, vim habent obligandi in foro conſcientiæ, quatenus à lege æterna deriuantur. Docet hoc Diuus Thomas loco citato q. 96. art. 4. in corpore, vbi ait: *Quod leges poſitæ humanitùs, vel ſunt iuſtè, vel iniuſtè. Siquidem iuſtè ſint, habent vim obligandi in foro conſcientiæ à lege æterna, à qua deriuantur. Dicuntur autem leges iuſtè, ex fine, quando ſcilicet ordinātur ad bonum commune, & ex Actore, quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtatem ferentis.* D. Tho. loc. cit. q. 96. ar. 4. in corp.

Dices ad quos actus ſe extendit legis obligatio, ad futuros, vel ad præteritos, de quibus Iudex certioratus legis ſententias exercere poſſit. Dico non ad prę teritas, ſed ad futuras ſe extendere, vt legum cōſtitutiones adnotant; nàm obligatio non imponitur actibus factis, ſed ſolummodo faciendis. Verùm ſicuti Canoniſtæ docent, lex quatenus declaratoria eſt, etiam ad præterita ſe extendit, ita Abb. num. 11. c. vlt. Amplius lex duplex eſt, pænalis pænam connotās, alia obligatoria ſine penæ connotatione, ſolùm Iudicis arbitrio imponitur Rei tranſgreſſio: leges verò pænales non propter tranſgreſſionem, tranſgreſſores obligantur ad pænam per ſeipſos exe-

quen-

Caiet. 2. 2. q.63.ar.3. quendam, ita Caietan. 2. 2. q. 61. ar. 3. Sotus lib. 2. q. 6. de iuſtitia, Sanchez lib. 2. moral. cap. 22. n. 7. Leſſius lib. 2. cap. 29. num. 63. Nam lex humana requirit, vt hominum moribus congrua ſit: quare valdè alienum à natura hominum, quod idem cogatur eſſe Deus ac Iudex, quod idem ſit ſui criminis accuſator, & proditor. Vndè docet Medina 1. 2. qu. 96. art. 4. leges penales, quatenus præceptum continent ad ſubditos dirigi, vt eas obſeruent, quatenus verò pœnam adiungant, ad Iudices deferri, vt eam tranſgreſſoribus imperent, vt exigant.

Si verò loquamur de legibus pœnalibus præcipuè Eccleſiaſticis, aliquando ipſo facto ante Iudicis ſententiam, tranſgreſſorem criminoſum efficiunt, atque inhabilem ad acquirendum, vt patet in cenſuris Eccleſiaſticis, quæ dicuntur latæ ſententiæ: In irregularitatibus ob crimen: In canonicis impedimentis matrimonij ex crimine contractis &c. quapropter tranſgreſſor in conſcientia obligatur ſe ab his abſtinere, & merè ſe negatiuè habere. Caieta 22. q. 62. ar. 3. vbi habet. *Pœnæ autem excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & irregularitatis, & ſi qua eſt alia ſimilis, nullam actionem in ſui exequutionem exigunt, ſed non communicare cum fidelibus, non immiſcere ſe prohibitis, non exercere actū ordinis, quæ in ſola negatione, ſeù priuatione conſiſtunt, ſufficiunt ad earum exequutionem.* Et cum Caietano. Nauarr. c. 23. num. 67. Caſtro lib. 2. de lege pen. 15. Rodriquez tom. 1. reg. 99. q. 6. articulo 16. & alij &c.

Emi. Caiet. 2. 2. qu. 62. ar. 3.

Et ſi reus in lege pœnali v.g. poſt latam à Iudice ſententiam mortis, fugere poteſt, & de facta fugam arripit, eſt nè laudabilis fuga? Reſpondeo affirmatiuè cum D. Thoma, & Caietano 2. 2. c. 61. art. 3. in corp. *Lex illa determinatiua eſt pœnæ per Iudicem intelligenda, cum ad obſeruantiam iudicialis præcepti nullus teneatur poſt Chriſti aduentum.* Caieatnus loco citato. *Si Iudex per ſe, vel per alium occidat, mutilat, verberet, claudat, agat ad exilium, accipiat bona, aut huiuſmodi, non tenetur reus ex ſola lege ad huiuſmodi pœnæ executionem.* Et cum his Syluester V. fugere. Atque in eum finem vincula, & carceres perfringere. Sotus lib. 5. qu. 6. art. 4. Nauarr. cap. 17. num. 102. Driedo, Toletus, & alij. Suarez verò de Religioſis loquendo lib. 5. de legibus c. 10. num. 16. inquit. *Regularem iuſtè ob crimen damnatum ad carcerem perpetuum, fugere no. p.ſſe, quia rationem voti obedientiæ tenetur Prælato obedire in omnibus, quæ ſunt ſecundum regulam, & acceſſoria ad regulam.* Nihilominus ſententia Nauarri probabilis eſt, Coment. 4. de regul. num. 64. docentis *Reo poſt latam ſententiam licitum ex captiuitate fugere.* Sequitur

Caiet. cum D. Tho. 2. 2. q. 61. art. 3. in cor.

Pater Suarez.

Nauarrus.

T cum

Patet Vaſquez. cum in hac ſententia Vaſquez diſput. 174. c. 1. in fin. Sanchez lib. 6. moral. c. 6. num. 12. Sotus loco citato ar. 1. *Nec officit quod in cuſtodis detrimentum fuga illa ceſſura ſit. Nam Reus hoc permittere poteſt, quando iure utitur ſuo.* Regu. ff. 55. *Nullus uidetur dolo facere, qui iure ſuo utitur.*

Dices, cui conuenit interpretatio Iudici, an Principi. Reſpondeo cum Abb. c. 1. nu. 18. de poſtulatio. Prælatorum, qui tres legum interpretationes ponit. Prima eſt à Principe, & hęc eſt neceſſaria. Secunda à conſuetudine, quæ habet vim legis. Tertia à Iudice neceſſaria quidem, ſed particularis, ideſt tantum in ordine ad partes. Vndè in lege 18. ff. de legibus: *Benignius leges interpretandæ ſunt, quo voluntas earum conſeruetur.* Et in lege ſequenti: *In ambigua voce legis ea potius accipienda eſt ſignificatio, quæ vitio caret, præſertim, tum etiam voluntas legis ex hoc colligi poſſit.* Confir. ex lege 23. ff. de legibus: *Minimè ſunt mutanda, quæ interpretationem certam ſemper habuerunt:* Et lege 37. ff. eodem: *Si de interpretatione legis quæratur, in primis inſpiciēdum eſt, quo in re Ciuitas retro in eiuſmodi caſibus vſa fuit: optima eſt enim interpres conſuetudo;* Quilibet verò Iudex à publica poteſtate, ipſoque Principe in mandatis habet, vt quam fieri poteſt, conformiter legibus ſententia proferat.

Et ſi conſtet de lege promulgata, poſtea in dubium vertitur. An abrogata ſit. An verò eius ceſſauit obligatio. In hoc euentu tutior pars eligenda eſt, nempè ſecundum legem operandū, ita D. Thomas 1. 2. q. 96. ar. 6. ad 2. *Si enim dubium ſit, debet, vel ſecundum verba legis agere, vel ſuperiorem conſulere:* Et 2. 2. q. 120. ar. 1. ad 3. idem D. Thomas docet: *Quod interpretatio locum habet in dubijs, in quibus non licet abſque determinatione Principis à verbis legis recedere, ſed in manifeſtis non eſt opus interpretatione, ſed executione:* Vndè inſpiciens Iudex, quod lex in ſe plures continet partes, quarum vna ab altera ſeparari poteſt, vnius partis ceſſionem præcipere poteſt, & quod ad ſecundam alteram partem, lex perſeueret. Hanc defendunt aſſertionem, Nauarr. c. ſi quando exceptione 11. n. 10: de reſcriptione: Suarez lib. 6. c. 9. in fine: Et liquidò probant cū Regula 37. *Quia vtile per inutile non debet uitari:* Et ſi ſolummodo lex, in præſumptione fundata eſt ceſſat obligare, & eo magis ſi de contraria conſtet veritate: *Cedit enim præſumptio ueritati,* vt habetur de Renunciat. Et refert Abb. in capitulo quia plerique, n. 18. de immun. Eccleſiaſt.

D. Tho. 1. 2. q. 96. ar. 6. ad 2.

D. Thomas 2. 2. q. 120. ar. 1. ad 3.

Nec ipſa præſumptio eſt diſpenſationis capax: Quemadmodum lex Diuina, in qua nullus inferior, nempè homo diſpenſare poteſt, ita Diuus Thomas

1. 2. q.

1.2.q.97.artic.4. ad 3. *Ad legem autem Diuinam, ita ſe habet quilibet homo, ſicut perſona priuata ad legem publicam, cui ſubijcitur. Vndè ſicut in lege humana publica non poteſt diſpenſare, niſi ille à quo lex authoritatem habet, vel is, cui ipſe commiſerit; ita in præceptis iuris diuini, quæ ſunt à Deo nullus poteſt diſpenſare, niſi Deus, vel is cui ſpecialiter committeret.*

Verùm in lege humana diſpẽſandi poteſtas, in ordinariam, & delegatam diuiditur. Prima legislatori competit: *Nàm eiuſdẽ eſt ligare, & ſoluere.* Vt dicitur cap.inferior diſt. 21. Secunda eius ſucceſſori; *Nàm par in parem non habet imperium.* cãnnotuit de electio. Summus verò Pontifex in iure Eccleſiaſtico, tàm vniuerſali, quam particulari diſpenſare poteſt; ita Couarr. in 4. decret.par.2.c.6.ff.9.n.13. Nequit Epiſcopus in legibus Põtificijs, vel Conciliorum vniuerſalium ordinario iure diſpenſare; ita Abb.c.At ſi Clerici,ff.de adulterio n.4.de iudicijs. Suarez lib.6. c.14.de legibus n.4. Sanchez lib. 7.de matrim.diſput.7.n.6. Ratio eſt, quia inferior non diſpenſat in lege ſuperioris. Niſi aliqua Epiſcopis facultas, generali lege diſpenſandi conceſſa ſit, quę quidem conceſſa facultas in ordinariam tranſit, dùm dignitati, non autem perſonis confertur. Vide Trident.ſeſſ.24.c.6. de reformatione; ſunt, & alij caſus, videlicet; Si adeſt conſuetudo diſpenſandi, ſi adeſt caſus neceſſitatis impediens recurſum ad Summum Pontificem. Si adeſt incontinentiæ periculum, cum voto continentiæ, ac Religionis, quæ Summo Pontifici aliquando reſeruata ſunt, diſpenſare poſſe Epiſcopum, ſi ad Papam, vel ad eius delegatum propter impedimenta recurri non poteſt; ita Nauar.c. 12.n.76. Suarez lib. 6. de voto c.26.n.9. Leſſius lib.2.c.40.dub. 13.n.196. Syluester verb.votum c.4.q.4. ſuntque, & alij caſus ad Epiſcopi diſpoſitionem, atque diſpenſationem, quos breuitatis cauſa omitto; quamuis aduertendum eſt, quod ſi ſuperior ſine iuſta cauſa in propria lege temerè diſpenſet contra iuſtitiã, tàm legalem, quam diſtributiuam inprudẽter peccat; ita D.Thomas 1.2.q.97.art.4. in corp. vbi docet; *Ille, qui habet regere multitudinem habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana, quæ ſuæ authoritati innititur, vt ſcilicet in perſonis, uel in caſibus, in quibus lex deficit, ſciẽtiam tribuat, vt præceptum legis ſeruetur. Si autem abſque hac ratione pro ſola voluntate tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens; infidelis quidem, ſi non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem ſi rationem diſpenſandi ignoret; propter quod Dominus dicit Lucæ 12. Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* D. Tho. 1. 2.q.97.a.4. in corp. Lucæ 12.

Et ſi quæres. Vndè eſt, quod

leges, & præcepta malè ſeruantur. Reſpondetur, quod oritur ex triplici cauſa. Prima oritur ex ſuperbia contemnente; quia ſecundum Diuum Baſilium: *Superbus præeſſe cupit, ſubeſſe renuit:* vndè pſalmus 118. *Superbi iniqui agebant vſquequaque, à lege autem tua non declinaui.* Secundò procedit ex ignorantia procurante; quare multi offendunt in legem, quia non cognoſcunt ſe malè facere, ſed non excuſantur, quia, vt dicit Apoſtolus 2. Corinth. 14. *Ignorans ignorabitur*, & ignorantia facti, non iuris excuſat, vt dicitur lib. 6. de Regul. iurium. Tertiò ex impunitate contingente. Quia dicit Diuus Bernardus ad Eugenium; *Impunitas eſt inſolantiæ mater, radix peccati, & tranſgreſſionum nutrix.* Quia ſi quis malè facit non punitur, &c. Narrat Valerius lib. 6. quod fuit quidam nomine zelantes de Vrbe latrenſium; factis ibidem ab eo, ſaluberrimis legibus, inter quas hæc vna erat, quod depræhenſus in crimine adulterij oculo vtroque carere deberet. Depræhenſus fuit filius eius; cum ad inſtantiam populi peteretur liberari, & ſibi parci. Pater, vt populum non turbaret, & vt legem ab eo factam ſolueret vtrũque ſeruauit, ſibi vnum oculum, alterum filio iuſſit erui. Ecce cũ quanto rigore antiquę leges ſeruabant. Sed qui nunc leges trãſgrediuntur, ſunt potentes, & diuites ex vna parte, quod patet in omnibus ſtatutis Ciuitatum in emendo, & vẽdendo vltra ſigna præfiſſa. Ex alia Iudices, quia quamuis leges, vt ſupra diximus, prohibent, eas per auaritiam tranſgrediri, & corrumpi, nihilominus in dies oppoſitum cernitur. Ergo quid mirum ſi Diuus Pater Auguſtinus exclamat, & dicat libro quarto de Ciuitate Dei capite quarto: *Remota iuſtitia, quid ſunt Regna, niſi magna latrocinia?* Ideò Spiritus ſanctus, Sapientiæ cap. 1. Iudicibus palam loquitur: *Diligite iuſtitiam vos, qui iudicatis terram.* Nàm ſi vos, qui iudicatis terram, iuſtitiam non diligitis: *Vè vobis* (inquit idem Spiritus ſanctus per Iſaiam cap. quinto) *qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. Vè, qui dicitis malum bonũ, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Et hoc quare? Ratio eſt, nã Deuteronomij dicitur cap. 16. *Munera excecant oculos iudicum.*

D. Baſilius. pſal. 118. 2. Cor. c. 14. D. Bernar. ad Eug. D. Aug. de Ciu. Dei li. 4 c. 4. Sapient. 1. Iſaias c. 5. Deute. c. 16.

CAPITVLVM DECIMVMQVINTVM,

An Iudex in cauſa dubia Salomoni adhærendo Sapientiæ, rectè iudicare poſsit.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

HVius iudicij dubij (candide Iudex) mirum, vt ipſemet Diuinus Salomon præbet exemplum, qui dùm inuiſitur à Regina Saba, quæ audita Salomonis fama, venit tentare eum in enigmatibus, donãs ei inter alia munera, duos diuerſorum florum faſciculos, quorũ vnus naturalis erat, artificiatus alter, quiquidẽ artificiatus pænitus à naturali differebatur, itaut cum Plinio dicere poterat lib. 21. cap. 2. *Maximum certamen erat artis, ac naturæ.* Et hoc, vt Salomon in hac dubia quæſtione, abſque narium approximatione, inter naturalem, & artificiatum diſcernere poſſet; Salomon verò anceps in hac dubia deciſione præcipit, vt Samum Apium ante ſui præſentiam ferant, quæ vix floribus appropinquauerunt, quod ſtatim naturalem florem circuerunt, artificiato relicto, vndè animalia illa irrationabilia, illicò enigmam exoluerunt: *Videns Regina Saba, (in rebus difficillimè dubijs) hanc Salomonis ſapientiam, dixit ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea ſuper ſapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & oculis meis vidi.*

Verùm regula iuris 12. eſt: *In iudicijs non eſt acceptio perſonarum habenda.* Et lege, cui lex eo loco re-

recepta: *Iudex in mandatis habet, vt ſecundum leges iudicet*. En dubia oppoſitio. Sanchez lib. 1. c. 9. num. 45. duas oppoſitas proponit opiniones, quæ eque probabiles videntur, & ad Iudicis arbitrium ſpectare, cauſam adiudicare, cui maluerit; quis non admiretur Iudicem, quem oportet eſſe iuris interpretem, iuſtitiæq; miniſtrum; aſpicientem ambas partes, æquale ius habentes, cauſa verò beneuolentiæ, vni corũ totaliter adhærere; alteri abiudicare? cum iuris regula doceat; *In iudicijs non eſt acceptio perſonarum habenda*. Quid ergò agendum erit in hoc caſu Iudex? Dico, quod inſpectis allegatis, & poſt longam, ac accuratam cauſæ diſcuſſionem, ſi neutra litigantium pars de iure ſuperare videatur, vel ad arbitros deueniendum eſt, partium conſenſu ſtatuẽdos, vel eas ad aliquam ſuadere compoſitionem. Vel vt notauit Abb. in c. vlt. not. 4. de obed. talem compoſitionem eis imperandam eſſe. Vel demum vni dimidium, alteri alterum dimidium, de quo lis eſt, Iudex adiudicare debet, vt docet probabilior opinio. Medina 1. 2. q. 19. art. 6. dub. penult. inquit cum Arago. 2. 2. q. 63. art. 4. & Solone controu. 2. concl. 4. Iudicem poſſe relicta opinione probabiliore, iudicare, ſecũdum alteram probabilem, vt infra dicam.

Modo dubitatur. An Iudex ſupplere poſſit Aduocatorum defectibus in dubia cauſa, defendendo clientulem, itaut, quæ deſunt Aduocatis, ipſe proferre poſſet, quod ſciat legibus, ac iuri publico conuenire. Affirmatiuè reſpondeò, vt notauit Abbas in cap. Raynutius num. 11. de teſtament. vbi ait. Vbicumque aliquod ius ex deductis in iudicium competit parti, licet pars ignoret, poteſt, & debet Iudex ex officio ſupplere, cum ipſi notorium ſit. Quamuis contrarium doceat Vaſquez de ceſſio. 64 c. 2. Aduerte tamen Iudicem proferre non poſſe, quæ ad factum pertinent, ſed ſolummodò, quæ publicam notitiam ex actis accepit, vt idem Abb. in cap. bonæ n. 9. de poſtulatio. Prælatorum aduertit. Et ſi partium iura obſcura ſint, Reo potius fauendum eſt, quã Actori Regu. 11. in 6. Nàm Reus abſolui debet (Actore nõ demonſtrante) non innocẽtem, ipſum eſſe declarando, cum eius oppoſitio dubia ſit, ſed inquantum crimen de eo probatum nõ fuiſſe.

Ad Aduocatos verò maximè attinet, de cauſis dubijs clientulos admonere, vt cum parte ad aliquam deueniant compoſitionem, alioquin tanquam concauſæ ad damni compenſationem, parti leſæ obligati erunt, itaque cauſam ſibi propoſitam inſpicere debent, ſi eſt iuſta, vel iniuſta: ſi iniuſta, illicò eius patrocinium deſugere, ſin autem ad reſtitutionem tenentur, & à Confeſſa-

rio

rio abſolui non poſſunt, qui prompti ſunt cuiuis cauſæ,ſiue iuſtè,ſiue iniuſtè patrocinari.Ita Diuus Thomas 2.2.q.71. art.3. in corpor.vbi ait: *Quod illicitum eſt alicui cooperari ad malum faciẽdum,ſiuè conſulendo,ſiue adiudicando, ſiuè qualitercumque conſentiendo,quia conſiliãs,& coadiuuans,quodammodò eſt faciens.* Et Augustinus dicit ad Romanos 1.*Quod digni ſunt morte,non ſolum,qui faciũt peccatum,ſed etiam, qui conſentiunt facientibus; vndè, & ſupradictum eſt, quod omnes tales ad reſtitutionẽ tenentur. Manifeſtum eſt autem, quod Aduocatus auxilium,& conſilium præſtat ei, cuius cauſæ patrocinatur.Vndè ſi ſcienter iniuſtam cauſam defendit, abſque dubio grauiter peccat, & ad reſtitutionem tenetur eius damni, quod contra iuſtitiam per eius auxilium altera pars incurrit.* Dico itaque, quod Aduocatus ſincerè debet clienti annuere veritatem de ſpe victoriæ obtinendæ, vel deperdendæ, alioquin ad compenſationem damni obligatur. Diuus Thomas loco citato art.3.ad 2.inquit: *Quod Aduocatus ſi in principio credidit cauſam iuſtam eſſe, & poſteà in proceſſu appareat eam eſſe iniuſtam,non debet eam perdere,vt ſcilicet aliam partem iuuet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti reuelet, poteſt tamen,et debet cauſam deſerere, vel eum,cuius cauſam agit ad cedendum induceretur, ſiuè ad componendum, ſine aduerſarij damno.*

D. Tho. 2.2.q.71.a.3. in corp.

Auguſti. ad Rom. c.1.

D. Thomas loc.cit.ar.3. ad 2.

Quapropter Aduocatis conſulo, quod cauere debeant, nè cauſas dubias facilè ſuſcipiant, ſub ſpè victoriæ,præſertim ſi Iudices in contrariam partem hactenus iudicare ſoliti fuerunt; Si verò bona fide (& poſteà nouis ſuperuenientibus) ſalarium peti poſſe; ſecus ſi ob ignorantiam, cauſæ iniquitatem non cognouerint,ita Syluester verb.Aduocatus.Prætor,ff.de vacat.& excuſatio.munerum,& alij,&c. Si verò Iudex, vel Aduocatus clarè videntes,quod pars vna litigantium.malam,vel iniquam habeat cauſam, auctores ſint, cum alterius partis damno, tranſactionis faciendæ,lætaliter peccant,cum tranſactio in cauſa dubia interuenire non debet,vt dixi.Vide D.Thomam loco citato ar. 3. ad 2.

Dixi paulò ante, iuxtà Medinæ doctrinam loco cit.cum alijs, &c.Iudicem poſſe in dubijs,relicta opinione probabiliore iudicare ſecundum alteram probabilem; quam doctrinã à ſuo præceptore Diuo Thoma accepit, in 4.diſt.17.q.1.ar.3.qui probabiliter docet,quod lapſus in peccatum mortale,ordinariè non ſit obligatus ad confitendum ſtatim habita copia cõfeſſoris,& quamuis Diuus Bonauentura contrarium doceat diſt.17. par.2. q.2. art. 2. in praxi licitum eſt ſequi probabilem Diui Thomæ ſententiam.Probatur,opinionem, quæ non eſt aliena à recta ratione poteſt aliquis prudenter ſequi,

qui, ſed probabilis opinio non eſt aliena à recta ratione, ergò poteſt eam aliquis prudenter ſequi. Maior non indiget probatione: Minor probatur, in moralibus non reperitur exacta veritatis certitudo, ſed veriſimilitudo, quæ ad probabilitatem pertinet, etenim valdè difficilis eſt, vt quiſque ſemper examinari debeat, qualis de duabus probabilibus opinionibus efficacior ſit, atque Doctorum auctoritatibus comprobata ergò, &c.

Si obijciatur, quod in capitulo de ſponſalibus habetur. Quod in dubijs tutiòr via eligenda eſt. Et in c. ſi quis autem, diſtinct. 7. de pænit. Tene certum, & dimitte incertum. Huic opinioni, D. Anton. 3. par. cap. 16. reſpondet; & cum eo Nauarrus cap. ſi quis autem num. 34. Quod Regula illa potius conſilium, quam præceptum continet.

D. Antonin. 3. p. c. 16.

Et ſi dices. Ex incerto non poteſt colligi certum, igitur quomodo quis in operando certus eſſe poſſet, qui incertam, & dubiam ſequitur ſententiam? Reſpondeo ex incerto non poteſt colligi certum, diſtingo ſpeculatiuè concedo, practicè nego. Nàm quis poteſt ex conceptu mentis, & merè ſpeculatiuè ſuæ cònſcientiæ certitudinem habère, nempè ex principijs intrinſecis rei ſpeculatiuo tamen modo: benè verò practicè ex principijs practicis rei extrinſecis, quibus poſſum me huic opinioni in praxi conformare, & conſequenter ex certis non ſequi, niſi certum. Cum enim Iudex in re dubia ius habeat ſe conformandi opinioni, quæ à quibuſdam viris doctis defenditur; nihilominus, quod aliqui alij contradicant, & ſpeculatiuam ſententiam improbabilem iudicent: hoc ipſum ius, timorati Iudici non prohibetur iudicare. Hinc ſequitur, quod Iudex ſecundum oppoſitas probabiles ſententias, oppoſita iudicare poſſit, ſeruata tamen diſcretione, & prudentia, &c.

Vndè aduertendum eſt cum Soto in 4. diſtinct. 18. q. 2. art. 5. ad 5. & cum Magiſtro Victoria in ſumma de confeſſ. num. 177. & cum Medina in inſtruct. Confeſſar. lib. 1. c. 8. & 12. q. 19. ar. 6. ff. eſt alia quæſtio concluſ. 3. Cõfeſſarium audita pænitentis confeſſione, rectè diſpoſiti, nullumq; peccati obicem ponentis, opinionemque probabilem ſequẽtis non poſſe ei abſolutionem negare. Immò pænitentem adhęrere opinioni, quæ à Doctoribus probabiliter defenditur, non peccare. Et quamuis Confeſſarius ſit pænitentis ſuperiòr, quapropter poteſt pænitenti præcipere, vt ſuam amplectatur opinionem, propria depoſita: docẽt Doctores, Confeſſarium non eſſe ſuperiorem ſimpliciter, neque habere ius in omnibus præcipiẽdi, ſed ſolummodo in ordine ad peccata, quæ ad pænitentiæ tribunal adferuntur.

Ve-

Verùm contraria opinio eſt probabiliſſima iuxta Argentinę doctrinam c.quid culpatur 23.q. 1. quod in dubio inter ſuperiorem,& ſubditum;præſumptio eſt pro ſuperiore; quam doctrinam ſequuntur Ludouicus Miranda tom.1.q.26.art.5. Vaſquez diſt. 62.c.6.Cordu.lib.3. quęſtionar. q.4. docentes, quod ſi ſubditus aliquid licitè agere poteſt, præcipiente ſuperiore, etiam debet, quia quidquid licitè ſubditus agere poteſt, ſecundum probabilem ſententiam, etiam contra propriam probabiliorem poteſt agere, nàm non eſt maior ratio de vna, quam de alia. Sed quid. Si de ſuperioris poteſtate dubitetur? Reſpondet Leſſius lib. 2. cap. 11.num.77. cum Miranda loco citato. In tali dubio etiam pro Superiore præſumptionem faciendam eſſe, excepto ſi ex hoc graue damnum ſubdito timeatur, vel alteri perſonæ, tunc ſubditus non tenetur, cum tanto incommodo obedire.

Et ſi ſubditus poſt diligẽtem animi diſcuſſionem dubius maneat; an mortaliter peccauerit, itaut in neutram partem aſſentiendo inclinare poſſit, an teneatur peccatum ſub dubio confiteri; & ſequendo in hoc opinionẽ probabilem docentem, illud debere confiteri, cuius opinionis Doctores ſunt Alenſis 4. par. q. 77.memb.2.artic.5. in corpore, Diuus Bonauentura in 4.diſtin. 17.par.3.art.2.q.1. & diſtin.21. 2.par.q.2.art.1.Adrian. in 4. de confeſſ.q 4.art.5. Suarez tom.4. diſput.22.ſect.9. num.7. nihilominus Confeſſarius ſubdito pænitenti oppoſitum exagerando ei obedire debet, ſcilicet peccatum dubium non debere pænitentem confiteri. Nàm, vt docet Magiſter Candidus in tractat. de Sacram. pænit. Abſolutionis formam requiri materiam certã, & veram, & non dubiam, & conditionatã. Confirmat Coninch. tom.2.de Sacramentis diſput.7. dub.8.concluſ.2.dicens: *Ad hoc, vt peccatum* (loquendo de mortalibus) *tenear confiteri, requiritur, vt ſaltem probabiliter poſſim iudicare, me peccaſſe.* Hanc ſuam doctrinam roborat auctoritate Sacri Concilij Tridentini ſeſſ. 14.c.5.docentis. Ad ſeruandam confeſſionis integritatem ſufficit: *A pænitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent recenſeri.* Et ratio eſt in promptu. Quia in dubio, delictum præſumi non debet, & in nullo foro aliquis accuſari debet de delicto, quod eum commiſiſſe oſtẽdi non poteſt, quæquidem ratio videtur conuincere, non ſolum pęnitenti ſubdito, ſed omnibus, etiam oppoſitum defendentibus.

Non enim hoc eſt ex lege poſitiua Chriſti, & Eccleſię, quia eſſet nimis ſeuera obligatio accuſandi de hijs, quę commiſiſſe ſe ignorat. Neque ex lege natu-

rali charitatis propter animę periculum, nàm confitendo bona fide reliqua peccata remittuntur etiam per accidens, ea quæ ignorātur. Nihil in hac rè determino, ſed aliorum iudicio committo.

Verùm huiuſmodi doctrina pro ſcrupuloſis non parum eſt vtilis, quorum proprietas eſt, in aliena cauſa ſine formidine iudicare, hominemque à peccato abſoluere: at verò ſi idē caſus ipſis eueniat, illicò formidare incipiunt eſſe peccatum. Quibus cōfeſſarius præcipere debet, quod non dubia, ſed ſolummodò ea peccata, quæ manifeſta eſſe cognouerint confiteantur. Et ſi aliā materiam præter ſcrupulos ad confeſſionem non afferant, eos ſine abſolutione ad Sanctam Euchariſtiam dimittant, & cum eorum ſcrupulus in appręhenſione conſiſtat, quantò diutius adhibitis rationibus vertitur, tantò magis in eorum animo imprimitur, quapropter eis præcipere, nè confeſſiones repetant, & confeſſarij præceptis acquieſcant, ita Nauarrus, Azorius, Vaſquez, Sanchez, & alij communiter, &c.

Sed, quia nuper cum Angelico Doctore de Aduocatis multa dixi, modo aliquid amplius ſubiungo, aliorum Doctorum dicta propalando, quod lingua Aduocatorum aſſimilatur linguæ, quæ eſt in ſtatera, quæ ſtatim ad minimum pondus facit motum, & ſe inclinat ad partem grauiorem, ita iſti ad iſtam partem magis inclinantur, quæ dat pecuniam, non quæ habet cauſam veram; pſalmus 56. *Lingua eorum gladius acutus.* Vndè Salinus in Epiſt. 8. *Vidi* (inquit) *morbum incurabilē, ad quem curandum non inueniebatur medicus, ſed numquam inueni cauſam adeò perditam, quin ad eam tuendam non inueniretur Aduocatus.* Defendunt enim cauſas rediculas, aliquando propter vanā gloriam, vt videantur periti. Cōtra quos dicitur 2. Paralyp. 19. *Impio præbes auxilium, ideò iram Dei merebaris.* Vel hoc faciunt ex cupiditatis auaritia. Contra quos Iſaias c. 5. *Væ, qui iuſtificatis impiū pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertur ab eo,* & Prouerbiorum 17. *Qui iuſtificat impium, & qui condennat iuſtum, vterque abominabilis eſt apud Deum.* Tales tenentur ad reſtitutionem, & illos diabolus miro modo diligit, & ſedit ſuper linguas eorum; quia ipſi inſtigant homines ad periuria, & mendacia, & dicunt eleuas manum, iuuabo te, vt recedere valeas cum honore. Et in libro de Summo bono dicitur: *Abſcindam linguam, & dabo eam Aduocatis, nàm ſicut linguam deſeruit ad loquendum, ſic iſtorum lingua debet deſeruire pauperibus gratis, cauſas pauperum defendendo. Sed ſicut lingua eſt gladius acutus, quia eſt valdè verſatilis; ſic Aduocatus de facili vertitur pro veritate, & contra ueritatem, quia preſtat patrocinium cauſæ iniuſtæ, ex auaritia dicunt bonum,*

Margin notes: Magiſter Gotſcalghi Olen ſerm. 26. — Pſal. 56. — 2. Paral. 19. — Iſaias ca. 5. — Prou. 17. — In libro de Summo bono.

num,malum,iuſtum,iniuſtum: hæc ille. Et Magiſter Paulus Vannus ſer. 15. inquit. *Reperiuntur auari Iudices, qui non curant qualitercunque acquirant per fraudem, dolum, et circumuentionem, non ſolum extrà iudicium, ſed etiam in iudicio per aſtutias Aduocatorum, et cauſidicorum pauperes grauando, quia aliquando non poſſunt habere tales Aduocatos, aut cauſidicos, quales requirit eorum neceſſitas*. Vndè de talibus Aduocatis grauis tandem exigetur pęna, ſicut legitur in tragedijs Senecæ: *Quod viſum eſt cuidam, quod videret Neronē apud inferos balneantem, miniſtroſque circa eum aurum feruens infundentes, et cum videret Chorum Aduocatorum ad ſe venientem, hoc inquit venale genus hominum, ò Aduocati amici mei accedite accedite, vt in hoc vaſe mecum balneamini, adhuc enim locus ſupereſt in eo, quem vobis reſeruamini*: hæc ille.

Mag. Paul Van. ſer. 15.

Seneca in trage.

Et Diuus Bernardus lib. 1. de conſideratione ad Eugenium, de Aduocatis loquendo, ait: *Diſputationes Aduocatorum magis ad ſubuerſionem, quam ad inuētionem perficiunt veritatis. Hi ſunt, qui docuerunt linguas ſuas loqui mendacium aduerſus iuſtitiam; eruditi pro faſtitate, ſapientes ſunt, vt faciant malum, eloquentes, vt impugnent verum. Tales ſunt peiores, quam meretrices, quia illæ vendunt partem viliſſimam corporis; iſti verò honeſtiſſimam, ſcilicet linguam, ideo frequēter in fine vitæ perdunt beneficium linguæ, & fiunt muti*; hæc ille.

D. Bern. lib. 1. ad Eug.

Cuius exemplum patet in vita Philoſophi de Demoſtene. Cum legati moleſorum veniſsēt Athenas coram Iudice cauſam acturi, & Aduocatos adduxiſſent pro ſua cauſa in iudicio locuturos. Demoſtenes pro alterius cauſa illis reſtitit. Ad quem in craſtino venientes, & rogantes, vt taceret, pecuniam, quam petijt tradiderunt. Poſtera die, cum res agi deberet, eius patrociniū peterent, lecto decumbit ſimulata infirmitate. Reſpōdit, quod ſquinantiam pateretur, & loqui non poſſet. Cui alter reſpondit, non ſquinantiam, ſed argentinātiam pateretur: hæc ille.

Vndè infert idē Auctor, quod tàm Iudices, quam Aduocati in iudicio duæ faciunt perſonalitates, i[x] à pecuniæ quantitatē, magis, & minus, ad quod probādum dicit, quod legitur in hiſtorijs, quod quidam Dominus voluit facere cōuiuium amicis ſuis, dedit denarios ſeruo ſuo, vt emeret de melioribus carnibus, quas poſſet inuenire, ille emit tantùm linguas, & eas præparauit, partim lixas, partim axas cum ſpeciebus diuerſis, & cum portarentur ad menſam cæpit Dominus increpare ſeruum, quare non de melioribus carnibus emiſſet, ſed emit tantùm linguas. Reſpondit ſapiens ſeruus, linguas eſſe meliores carnes, quæ reperiri poſſent, ideò alias carnes emere nolui: nàm lingua pacificat diſcordes, lingua orat, & laudat Deum,

Magiſt Holcu ſer. 16.

lingua prædicat, lingua informat,& auocat, lingua multa bona operatur,ideò melior eſt,quã alia caro;& omnes conuiuæ laudauerunt ſententiam ſerui. Alia vice ordinauit idem Dominus conuiuium ſuis amicis, qui dedit denarios eidem ſeruo præcipiẽs ſibi,vt emeret de peioribus carnibus,quas inuenire poſſet, qui emit tantùm linguas, quas præparauit cum ſpeciebus diuerſis; quod videns dixit ſeruo;Nonnè tibi dixi,quod emeres de peioribus carnibus,& emiſti de melioribus,ſicut probaſti alia die. Reſpondit ſeruus, quod emiſſet de peioribus carnibus,quia lingua murmurat, lingua diſcordias ſeminat,lingua litigat,lingua malè informat, lingua malè auocat, lingua maledicit, lingua perturbat domum;ſi mihi non creditis, quærite ab vxore veſtra, quæ eſt peior pars carnis, quam habet ſuper ſe,quæ ſemper litigat vobiſcum,ergò Iudices. Aduocati, cauſidici,officiales,&c. Duas faciunt per linguam in iudicio perſonalitates, ſecundum magis, & minus pecuniæ acceptionem. Legitur in vita Phyloſophorum, quod quidam à Pitagora quærens quomodò inter ſapientes diſcipulos computari poſſit? Reſpondit ſerua ſilentium, donec neceſſarium ſit tibi loqui: *Si nihil dixeris, niſi quod benè ſciueris, ſapiens reputaberis*. Iuxtà illud Prouerb. 17. Immò geſſeris optima, ſi locutus fueris pauca, ſecundũ illud Eccleſiaſtici 32. *Audi tacẽs, & pro reuerentia accedet tibi gratia.* Vndè dicit Hugo in libro de clauſtro animæ: *Vanus ſermo, vanæ conſcientiæ index eſt, mores hominis lingua pandit, & qualis ſermo oſtenditur, talis animus approbatur, quoniam ex abundantia cordis os loquitur, &c.*

Prou. 17.

Eccleſ. 31.

Hugo in li. de clauſtro animæ.

C A-

CAPITVLVM DECIMVMSEXTVM,

Quæ conuenientia, & diſparitas, iuxtà Salomonis doctrinam reperiatur inter Ius, Iuſtitiam, & Iudicem.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

PRrincipalis conuenientia inquit Angelicus Doctor, eſt iſta, quod tam lex, quàm ius à ligando dicuntur, & vt ait Iuſtinianus Imperator in inſtitutio. de iure naturali gentium, & ciuili. Ius, & lex in inſcripto conueniunt: *Ius aliud eſt ſcriptum, aliud non ſcriptum: ſcriptũ ius eſt lex: non ſcriptum ius eſt, quod vſus comprobauit*. Non quia ad legis ſubſtantiam ſcriptura requiratur; ſed quod lex plerumq; ſcripta in perpetua memoria
Iulius. perſeuerat. Iulius verò Clarus in ſuo Comment. præclarè declarat conuenientiam hanc, atque diſparitatem inter Ius, Iuſtitiam, & Iudicem, dicens: *Ius oſtendit, iuſtitia confirmat; Iudex denunciat, hæc quidem diſparitas. Cõuenientia, verò nã, tã Iudex, quã Iuſtitia à Iure dicuntur*. Hanc doctrinam Magiſter Olen ſer. 13. poſt octauam Trinitatis, Adoniç applicat inquiens: *Ius Adoniæ mortem oſtẽſum eſt; Iuſtitia cõfirmauit; Salomon denunciauit dicens, occidetur Adonias, &c.*

Hinc duplex oritur iuſtitia, generalis vna, particularis altera: Iuſtitia generalis per quam quiſque reddit, quod iuſtum eſt toti communitati, ſeù Reipublicæ. Particularis iuſtitia, per quã quiſque non toti, ſed comparti reddit, quod iuſtum eſt. Iuſtitia generalis dicitur: *Virtus generalis,*

quia

quia omnes alias in ſe comprę-hendit virtutes, ad Reipublicæ commodum, ac proſperitatem conſeruans inſtar virtutis charitatis. Diuus Thomas 2.2.qu.58. artic.6.in corpore: *Iuſtitia legalis dicitur eſſe virtus generalis, inquantum ſcilicet ordinat actus aliarum virtutum ad ſuum finem, quod eſt mouere per imperium omnes alias virtutes, ſicut enim charitas poteſt dici virtus generalis, inquantum ordinet actus omnium virtutum ad bonum diuinum: ita etiam iuſtitia legalis, inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune.* Dixi, quod Charitas ſecundum ſe ſpectata particularis eſt, atque ab alijs virtutibus diſtincta virtus eſt, ad reliquas verò virtutes comparata, Deum præ oculis habentem omnium virtutum forma eſt, & conſequenter totius legis adimpletio. Non minùs iuſtitia de qua loquimur, in quantum particularis virtus ab alijs diſtincta, peculiarem laudem obtinet, quatenus per eam quiſque rectè, & iuſtè erga bonum commune ſe gerit, quatenus comparata ad reliquas virtutes omnium virtutum forma eſt. Ambroſius lib. 1. de officio. Et Ariſtoteles lib. 5. Ethico. c. 1. *Iuſtitia, quæ communis virtus dicitur, vnicuique, quod ſuum eſt tribuit, alienum non vendicet, vtilitatem propriam negligit, vt communē æquitatem cuſtodiat.* Et idem Phyloſophus lib. 5. Ethic. ſubiungit: *Præclariſſima virtutum videtur eſſe iuſtitia, & neque eſt heſperus, neque lucifer, ita admirabilis.*

D.Tho. 2.2. q.58. art.6. in corp.

D. Ambro. lib. 1. de off. Ariſt. lib. 5. Ethi. c. 1.

Ad hanc admirabilem, atque præclariſſimam virtutem, bona Iudicis requiritur diſpoſitio, ſeù conſcientia ad conſulenda, & dictanda, quę honeſta ſunt, quæ verò turpia, & in honeſta omittenda. Diuus Baſilius homil. 12. ad populum: *Quoniam ex ipſius Salomonis ſantentia, cogitationes iuſtorū iudicia ſunt Iudici ſapienti, omninò ſatagendum erit, intra cordis arcana tribunal conſtituere, rectaque facere iudicia, mentem quoque velut in trutina ſuſpendere ad ea, quæ conueniunt; et ad quodlibet agēdum, æqua lance librare:* hæc ille. Multum iuuat Reipublicæ, Iudicem, ſuam applicare ſcientiam in ordine ad bonum commune, & etiam particulare, nàm ex hac ſcientiæ applicatione ad bonum finem, per bonam conſequentiam, deducitur, eius bona, nempè Iudicis cōſciētia. Ita D.Thomas 1.2.q.19. art.5. in argum. ſed contr. & in corp. *Conſcientia nihil aliud eſt, quā applicatio ſciētiæ ad aliquem actum, ergo diſcordans à ratione errante eſt contra conſcientiam. Cum autem conſcientia ſit, quodammodo dictamen rationis, et dicat aliquid eſſe faciendum, quod ſit bonum ex ſuo genere, non eſt ibi error. Similiter ſi dicat aliquid non eſſe faciendum, quod eſt malum ex ſuo genere: Eadem enim ratione præcipiuntur bona, quæ prohibentur mala. Sed ſi ratio, vel conſcientia dicat alicui, quod illa, quæ ſunt ſecundum ſe mala, homo te-*

D.Baſil. ho. 12. ad pop.

D.Thomas 1.2.q.19.a. 5. in arg.

teneatur facere ex præcepto, vel illa, quæ ſunt ſecundum ſe bona ſint prohibita, erit ratio, vel conſcientia errans. Debet ergo Iudex ex illa Angelici Doctoris doctrina ſẽper in bonum, ſuam applicare ſcientiam, vt toti communitati, ſeu Reipublicæ, ſuam bonam oſtendat conſcientiam, ſi letale vult euitare peccatum, dum omne peccatum iniuſtitia appellari ſolet, ſecũdum illud Romanorum c. 1. *Reuelatur ira Dei do Cælo ſuper omnem impietatẽ, & iniuſtitiam hominum:* Ideò in lege iuſtitia, ff. de iuſtitia, & iure; præceptum Iudici imponitur, vt iuris præcepta, à quo nomen accepit attentè conſideret, ſcilicet *Iuris præcepto honeſtè viuere, alterum non ledere, ſuum cuique tribuere.* Et iuxtà Iſidorum lib. ethymol. *Iuſtus dicitur, quia ius cuſtodit.*

Ad Rom. cap. 1.

Iſidorus.

Et quia iuſtitia, vt dixi, etiam à iure denominatur, ità diffinit eam D. Thomas 2.2. q. 58. art. 1. in fine corpo. *Iuſtitia eſt habitus ſecundum quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate ius ſuum vnicuique tribuit.* Sequitur, quod Iudex conſtanti animo, ac firma voluntate pro bono vniuerſali, ac particulari hanc virtutem iuſtitiæ ſpiritualem adminiſtrare teneatur D. Thomas loco citato artic. 6. in corp. *Iuſtitia legalis eſt ſpiritualis virtus, ſecundum ſuam eſſentiam, ſecundum, quod reſpicit commune bonum, vt proprium obiectum. Et ſic eſt in Principe principaliter, & quaſi architectonicè, ideſt imperatiuè, in ſubditis autem ſecundariè, & quaſi adminiſtratiuè.* Principis miniſter dicitur Iudex ſubditus, qui in adminiſtrando iuſtitiam, quemadmodum illa bonum reſpicit commune, vt ſuum proprium obiectum, quapropter dicitur virtus generalis, ità eadem ratione Iudicis in iuſtitia dicitur peccatum commune, D. Thomas loco cit. art. 4. in reſponſ. ad 3. arg. *Iuſtitia legalis ſecundum quid ordinat ad bonum commune poteſt dici virtus generalis: Et eadem ratione iniuſtitia poteſt dici peccatum commune.* Vndè Io. 1. c. 3. *Quod omne peccatum eſt iniquitas.*

D. Th. 2.2. q. 58. art. 1.

D. Tho loc. cit. art. 6. in corp.

D. Thomas loc. cit. art. 4. ad 3.

Diſparitas verò inter Iudicẽ, ius, & iuſtitiam præcipuè in hoc oſtenditur; Iudicem non poſſe propriè, & ſimpliciter iudicare inter patrem, & filium: Dominũ, & ſeruum; maritum, & vxorem, ſed ſolummodo ſecundum quid, impropriè, & ſimilitudinariè. Determinatio hæc eſt D. Thomæ loco cit. q. 57. ar. 4. in corpo. vbi inquit. *Qud ius, ſiue iuſtum dicitur per commenſurationem ad alterum. Alterum autem poteſt dici dupliciter; Vno modo, quod ſimpliciter eſt alterum, ſicut quod eſt omninò diſtinctum: ſicut apparet in duobus hominibus, quorum vnus non eſt ſub altero, & inter tales ſecundum Phyloſophum lib. 8. ethic. Eſt ſimpliciter iuſtum. Alio modo dicitur aliquid alterum non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quaſi aliquid eius*

D. Thomas loc. cit. q. 57 artic. 4. in corp.

exiſtens. Et hoc modo in rebus humanis filius eſt aliquid patris, quia quodammodò eſt pars eius, vt dicitur 8.*ethicorum. Et ſeruus eſt aliquid domini, quia eſt inſtrumentum eius, vt dicitur in lib.* 1.*Polytic.cap.* 3.*& 4. Et ideò patris ad filium nō eſt comparatio, ſicut ad ſimpliciter alterum; & propter hoc non eſt ibi ſimpliciter iuſtum, ſed ſecundum quid, ideſt quoddam iuſtum, ſcilicet paternum. Et eadem ratione nec inter dominum, & ſeruum, ſed eſt inter eos dominatiuum iuſtum? Vxor autē quamuis ſit aliquid viri, quia comparatur ad eam, ſicut ad propriū corpus, vt patet per Apoſtolum ad Epheſ.* 5. *tamen magis diſtinguitur à viro, quam filius à patre, vel ſeruus à Domino. Aſſumitur enim in quadam ſocialem vitam matrimonij, & ideò, vt Phyloſophus dicit inter virum, & vxorem plus eſt de ratione iuſti, qui inter patrem, & filium, dominum, & ſeruum, quia cum vir, & vxor habeant immediatam relationem ad domeſticam cōmunitatem*, vt patet in lib.Polyt. *Ideò inter eos non eſt ſimpliciter iuſtum, ſed magis iuſtum æconomicum:* hæc omnia inquit D.Thomas art.4.in corp.&c.

Hæc iuris, ſeù iuſtitiæ diſparitas à mundi principio originē duxit. Nam vt docet D.Thomas 1.p.q.96.art.3.in corpore. *Quod neceſſe eſt dicere aliquem diſparitatem in primo ſtatu fuiſſe, & quantum ad iuſtitiam, & quantum ad ſcientiam. Non enim ex neceſsitate homo operabatur; ſed per liberum* [D.Tho.1.p. q.96. art 9. in corp.]

arbitrium, ex quo ratio habet, quod homo poſſit magis, & minus animū applicare ad aliquid faciendam, vel volendum, uel cognoſcendum: undè quidam magis profeciſſent in iuſtitia, & ſcientia, quam alij, &c. En iuſtitiæ, & ſcientiæ diſparitas à primo innocentiæ ſtatu. Quanto magis in ſtatu naturæ lapſæ, in quo maior diſparitas, & diuerſitas, maior pugna, & rebellio inſpicitur, dum ſpiritus pugnabat aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum, cum triplici diuinæ iuſtitiæ decreto: primo per terræ ſterilitatem, cum dicitur *Maledicta terra in opere tuo.* Secundo per laboris anxietatem ſine qua fructus terræ non percipit, vndè dicitur: *In labore comedes de re cunctis diebus vitæ tuæ.* Tertiò quantum ad impedimenta, quæ proueniunt terram colentibus; vndè dicitur, *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Et aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt ſe eſſe nudos, ideſt cognouerunt iuſtitiam Dei. Nam vt dicitur Sapientiæ 11. Huiuſmodi pœnæ ſunt diuinitas raxatæ à Deo, qui omnia facit *in numero, pondere, & menſura:* in ſtatera menſurat Deus ius, & iuſtitiam, ad præbēdum Iudicibus exemplū, vt quēadmodū ipſe facit, ità, & vos faciatis. Vide D.Thomam 2.2.q.164.ar.2.in corp. & in argumēt. ſed contra. Imò ad tollendā omnimodam iuris antiquitatem, cū Eminentiſs. Caiet.2.2.q.62.artic.2. Aduerte nō dari ius in ſpe, hoc [Sap. c. 11. D.Thomas 2.2.q.164. art.2.in corpore, & in arg. ſed c.]

Caie. 2.2.q. 2.ar. 2. hoc autem non valet, tùm quia ius in ſpe nõ eſt ius, ſicut nec Diues in ſpè eſt Diues. Tùm etiam, quia reſtitutio rei in ſpè, tunc habet locum, quando non aufertur ius, quod habet in rè, in qua fundaturi illa ſpes, vt patet in deſtruente ſemina, vel diripiente inſtrumenta artis, quorum vſu, quis cum ſua familia viuit; & ſimilibus, itaque ius in ſpè nullum habet fundamentum.

Nec valet in iure cum eodem Caietano loco citato, illa Ariſtotelis propoſitio 2. Phyſicorũ text. 56. ſcilicet, quod parum diſtat, quaſi nihil diſtare videtur. Cuius ſignum eſt, quod non equè punitur, qui parum diſtauit à peccando mortaliter, & qui de facto peccauit mortaliter: nec eſt idem ſecundum iuſtitiam propinquiſſimũ fuiſſe caſui peccati mortalis, & cæcidiſſe in illud: hic enim punitur pæna æterna, ille non, itaque propoſitio illa, quemadmodum docet Caiet. infra in eodem articulo, non habenda eſt, vt regula in materia iuſtitiæ, eò quod ſubuerteret iuſtitiam, vt in ipſa materia liquet, de qua loquitur Ariſtoteles; Exempli gratia. Trãſit Princeps aliquis, iuxtà paratas inſidias, & parum defuit, quin caperetur, & occideretur; iſte Princeps reputatur infortunatus, vt ibidem dicit Ariſtoteles, quia parum pro nihilò reputando, ex magno malo liberatus eſt. Si tamen ad iuſti æqualitatem reſpiciamus, non reputatur iſte Princeps damnũ paſſus, licet parum à damno diſtauerit.

Tandem conuenientia, quam à principio propoſui inter ius, iuſtitiam, & Iudicem, modo magis clarè ab Angelico Doctore explicatur 2.2.q.60. art. 1. in corpore, vbi docet: *Quod iudicium propriè nominat actum Iudicis, inquantum Iudex eſt; Iudex autem dicitur, quaſi ius dicens; ius autem dicitur obiectum iuſtitiæ, et ideò iudicium importat ſecundum primam nominis impoſitionem, diffinitionẽ, vel determinationem iuſti, vel iuris, vndè quod eſt iuſtum, propriè ad iuſtitiam, Propter quod Phyloſophus lib. 5. Ethic. c. 4. dicit, quod homines ad Iudicem confugiunt, ſicut ad quãdam iuſtitiam animatam*: hæc ille. D.Tho.2.2. q.60 a.1.in corp.

Dicitur ergò Iudex ſecundum Ariſtotelẽ: *Iuſtitia animata*, nàm Iudex eſt, qui cum ſuo iudicio dat eſſe iuſtitiæ, cuius iudicij eſt actus: quapropter tria in Iudice requiruntur, videlicet, inclinatio, ſecundò authoritas, tertiò prudentia; Vna his condictioñibus deficiente, irritum redditur iudicium. Nàm primæ ſi non adeſt rectitudo iuſtitiæ dicitur iudicium iniuſtum. Secundæ ſi deficit authoritas, dicitur iudiciũ vſurpatum. Tertiæ ſi deeſt prudentia, dicitur iudicium temerarium. D. Thomas loco citato, art. 2. in corp. *Ad hoc, vt iudicium ſit actus iuſtitiæ tria requiruntur. Primo quidem, vt procedat ex inclina-* D.Tho.loc. cit. art.2.in corp.

Digitized by Google

tione iuſtitiæ. Secundò, quod procedat ex authoritate præſidentis. Tertiò, quod proferatur ſecundum rectam rationem prudentiæ; quodcumque autem horum defuerit iudicium erit vitioſum, & illicitum. Vno quidem modo, quando eſt contra rectitudinē iuſtitiæ, & ſic dicitur iudicium peruerſum, vel iniuſtum. Alio modo, quando non iudicat in his in quibus non habet authoritatem, & ſic dicitur iudicium vſurpatum. Tertiò modo, quando deeſt certitudo rationis, putà cum aliquis de his iudicat, quæ ſunt dubia, vel occulta propter aliquas leues conjecturas, & ſic dicitur iudicium ſuſpicioſum, vel temerarium: hæc ille.

Itaque eſt ita in pretio inter alias virtutes apud Deum iuſtitia, quod voluit Deus, vt homines, ex ipſa iuſtitia, bonitatis nomen conſequantur. Ita Tullius lib. 1. de officijs cap. de iuſtitia, circa principium: *Ex iuſtitia præcipuè, viri boni nominantur*. Sed quid mirum ſi ipſemet Deus manifeſtat, & declarat, quod nihil vtilis, & perfectius hominibus, præcipuè Iudicibus, quam ipſa iuſtitia? Vndè dicit Sapientiæ 8. *Quod ſapientia Dei ſobrietatem, & iuſtitiam docet, prudentiam, & virtutem, quibus in vita nihil eſt vtilius hominibus, ſcilicet virtuoſis.*

Tullius lib. 1. de offic.

Sapien. c. 8.

Tenetur ergò Iudex ad placendum Deo, & hominibus per medium rectè iuſtitiæ ſpeculare, & penetrare medullam huius nominis, Iuris, nempè ſua multiplicata ſignificata à quibus pendet vera, & recta iuſtitia, vt aduertit Diuus Thomas 2.2. q. 57. art. 1. ad 1. vbi ſubdit: *Nam conſuetum eſt, quod nomina à ſui prima impoſitione retorqueantur ad alia ſignificanda. Sicut nomen, medicina impoſitum eſt primo ad ſignificandum remedium, quod præſtatur infirmo ad ſanandum, deindè tractum eſt ad ſignificandam artem, qua hoc fit. Ita etiam hoc nomen Ius primo impoſitum eſt ad ſignificandū ipſam rem iuſtam, poſtmodum autē eſt deriuatum ad artem, quà cognoſcitur, quid ſit iuſtum. Et vlterius ad ſignificandum locum, in quo ius redditur, ſicut dicitur aliquis comparere in iure. Et vlterius dicitur etiā ius, quod redditur ab eo ad cuius officium pertinet iuſtitiam facere, licet etiam, quod decernit ſit iniquum.* Ita ibi Diuus Thomas.

D. Tho. 2. 2. q. 57. art. 1. ad 1.

Hæc cogita ò bone Iudex, nè tibi accidat, quod Iſaias Propheta cap. 10. vaticinauit: *Væ, qui condunt leges iniquas.* Gloſa ibi: *Væ, qui faciunt ex iuſta, legem iniquam.* Percontor, quando lex ſancta, & iuſta, ex iuſta, iniqua redditur? Reſpondit Magiſter Holen, quod huiuſmodi iniquitas prouenit ex donis, quibus corrumpitur Iudex.

Iſai. c. 10.

Ideò Princeps gladium portat, vt iuſtitiam Iudicibus alijſq; oppreſſis faciat, de quo dicitur, Iſaiæ 11. *Erit iuſtitia cingulum lūborum eius.* Vndè 2. Rethor. legitur; *Quod iuſtitia eſt virtus, per quā ſinguli habent, quæ ſua ſunt.* Et in inſtitutione de iuſtitia, & iure, ff. ha-

Iſai. 11.

habetur; *Quod iuſtitia eſt perpetua, & conſtans voluntas vnicuique ius ſuum tribuens*. Et Diuus Anſelmus in lib. Cur omnis homo: *Iuſtitia, inquit, eſt animi libertas tribuens vnicuique ſecundum propriā dignitatem, maiori reuerentiam, pari concordiam, minori diſciplinam, Deo obſeruantiam, ſibi ſanctimoniā, inimico patientiam, egeno operoſam miſericordiam*: hęc ille. Cuius exēplum legitur de Trayano Imperatore, qui cum ſemel aſcendiſſet æquum, vt iret ad bellum, quædam mulier ipſum interpellauit, vt ſibi iuſtitiam faceret, & contra iniuſtitiam ſibi factam, ipſam defenderet, qui reſpōdit; faciam, quando rediero. At illa, ſi non reuertaris quid fiet? Reſpondit, ſucceſſor meus tibi faciet iuſtitiam. Et illa ſi ſucceſſor tuus faciet, quid tibi proderit? Quod ille conſiderans, ſtatim de æquo deſcēdens, ei iuſtitiam fecit, ideò bene dicitur Sapient. 1. Diligite iuſtitiam, vos, qui iudicatis terram; ergò iuſtitia, iurgia pacificat, ſedat lites, vt dicitur 2. Rhetor. Exemplum huius narrat Valerius lib. 6. de Alexandro, quod cum eſſet orta diſſentio inter ipſum, & milites ſuos, elegerūt aliquos arbitros, qui de cauſa cognoſcerent, & iuſtè iudicarent, præſertim habentem iuſtitiam, quod cum illi ſententiam dediſſent contra Alexandrum, & Alexander hoc gratum habuit, & Iudicibus gratias egit, & eos iuſtos approbauit, ideò dicitur in pſalmo: *Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt*.

D. Anſel. in lib. cur omnis homo.

Valer. lib. 6. de Alexandro.

Pſal. 84.

Dicite, inueniūtur modo forſitan de huiuſmodi Iudicibus, quemadmodum tempore Alexandri? Quid reſpōdeam neſcio, ſolummodo dicam, quod experientia rerum magiſtra in dies oppoſitum indicat, dùm omnes clamant, & plorant iuſtitiam; ergò quid mirum, inquit Magiſter Vannus ſi talibus iudicium ſibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini, ideſt iuſtitiam Domini, inſtar Iudę per triginta argenteos vendentiș corpus Domini, nempè iuſtitiā Domini? Et ſi Iudas in ſe reuerſus dixit peccaui tradens ſanguinē iuſtum, & reſtituere voluit, quod iniuſtè accepit, quæ reſtitutio fuit inualida, & non acceptata poſt conſumatum peccatum. Similiter iniuſtus Iudex conſiderās, quod iniuſtè accepit, quemadmodum Iudas trahit triginta argenteos ad reſtituendum, volens quoque ipſe Iudex, Iudam imitare in reſtituendo, talis reſtitutio erit nulla poſt conſumatū peccatum, & non obligatur ad illam, quemadmodum, erat valida ante peccati executionem. Cōſiderans verò Iudas ſuum magnum facinus, quod iuſtum, & innocentem vendidit, laqueo ſe ſuſpendit, & crepuit medius. Non minori pæna tribuetur à Deo iniuſto Iudici vendenti iuſtum, nempè iuſtitiam: contra Domini præceptum dicentis,

Vann. ſer. 14.

Prou. c. 23. Prouerbiorum 23. *Noli vendere ſapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.* Vndè faciet, quod ipſamet Diuina iuſtitia, laqueo ignis æterni eum ſuſpendat, & inter tartara medius crepabit, quod Deus auertat; immò illuminet lumine vultus ſui ſuper eos, vt iuſtum iudicium faciant, &c. Et Diuus Auguſtinus in libro de Verbis Domini addit dicens: *O homo ſi depredaueris aliquem inualidum, & de ſpolijs eius dares alicui Iudici, qui pro te iudicaret, tanta vis eſt iuſtitiæ, vt ei, & tibi diſpliceret, &c.* D. Aug. lib. de Verb. Domini.

CA-

CAPITVLVM DECIMVMSEPTIMVM,

Quia à iure dicitur Iudex,& iuramẽtum, quomodo ſe gerere debeat Iudex,Salomonem imitãdo in iuramentis iuridicis.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

IVrauit inclytus Salomon (inq; Theodoret.) quãdo cõtra ſeditioſũ fratrem Adoniam, cum iuridico iuramento, 3.Reg.1.dixit; *Si fuerit vir bonus non cadet,nec vllus quidem capillus eius in terram,ſin autem malum inuentum fuerit in eo, morietur, miſit ergo Rex Salomon, & eduxit eum ab altari.* Diuus Hieronymus exponens illa verba Ieremiæ c.4. (Ierem.4.) *Iurabis viuit Dominus in veritate, in iudicio,& in iuſtitia, dicit; Animaduertendum eſt,quod iuriſiurandum,hos habet comites,ius,iudicium, & iuſtitiam.* Et Diuus Auguſtinus (D.Aug.) ſuper illud Matthæi 5. *Reddes Domino iuramenta tua,* inquit: (Math.5.) *Quod iurare eſt ius veritatis Deo reddere.* Angelicus Doctor 2. 2. (D.Thó.2.2. q.89. art.1. in corp.) q.89.art.1.in corp.ſubdit: *Aſſumere autem Deum in teſtem,dicitur iurare, quia quaſi pro iure introductum eſt.* Iſydorus lib.de Summo bono c.31.ait: *Quod cum iuramẽto promittitur,inſtar firmiſſimi iuris haberi debet.* Et Cicero lib.3.de officijs dicit: *Iuſiurandum ideſt iuramentum, Sacramentum appellatur, quod ſit iuris quædam religioſa affirmatio.* Quare Diuus Thomas loco cit.& Diuus Auguſtinus de ſerm. Domini in monte cap.17. Iuramentum definientes, hanc tradunt diffinitionem: *Inuocatio diuini numinis, in teſtimonium ali-*

cu-

Deutero. 6. *cuius rei.* Ideò dicitur Deuteron. *6. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis.* Signanter dicit per nomen illius iurabis, quia per abſolutam creaturam non eſt iurandum, abſolutè eam conſiderando, quia Dominus dicit Mat-
Matth 5. thæi 5. *Ego autem dico vobis non iurare omninò, neque per Cælum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum pedum eius eſt; neq; per Hieroſolymam, quia Ciuitas eſt magni Regis; neque per caput, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum.* Poteſt tamen hoc licitè fieri inquantum in creatura relucet Diuina potentia. Sic Ioſeph iurauit per ſalutē
Gen.42. Pharaonis, Geneſis 42. In aliquibus relucet Diuina clementia, vt in Sanctis, ſic iurant per ſanctos, ſed non eſt iurandum per abſolutam creaturam eis honorem diuinitatis attribuendo, ſicut Iudæi fecerunt: *Ideò dixit Dominus, Dominum Deum timebis, & per nomen illius iurabis.* Deute-
Deuter.c.6. ronomij 6. nè creaturam, tanquā Deum adorarent.

Idem Chriſtus iurauit dicens: *Amen amen dico vobis.* Et ipſemet
Pſal.109. Deus iurauit, pſalmo 109. *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum.*
Apoc. c.10. Item Angelus Apocal. 10. *Angelus leuauit manum ad Cælum, & iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, quia non erat amplius tempus;* Scilicet pænitentiæ poſt hāc vitam. Ergò in ſe iuramentum non eſt peccatum, ſed inuentum eſt propter hominum incredúlitatem; ergo expedit rebus humanis, vt aliqua certitudo de cordibus hominum habeatur, quia homines communiter labuntur in mendacium, ſecundum illud: *Os eorum locutum eſt mendacium.* Et etiam occulta cordium cognoſcere non poſſunt, ideò fuit neceſſarium, ad diuinum recurrere teſtimonium, quia Deus mētiri non poteſt, nec ei aliquid latet. Quandò ergo iuramus, tunc Deum, & Sanctos ſuos in teſtes vocamus, quod fit dupliciter. Aliud eſt iuramentum, quod dicitur fidelitatis ſeruandæ, quod facit inferior ſuperiori. Imperator Papæ, Vaſallus Domino ſuo. Aliud eſt veritatis reuelandæ, vt quando quis requiritur ad dicēdam veritatem, ſicut fit in iuramento calumniæ: hæc omnia non ſunt timenda ſi habent illos tres Comites ſupradictos, ſcilicet, Veritatem, Iudicium, & Iuſtitiam. Vndè abſolutè dico cum Diuo Thoma loco citato ārt. 2. D.Tho.loc. ci.ar.2.
Quod licitum eſt iurare, & iuramētum ſecundum ſe eſt licitum, & honeſtum. E contra, qui non vtitur eo conuenienter: *Sicut ſumere Euchariſtiam eſt bonum, & tamen, qui indignè ſumit, iudicium ſibi māducat, & bibit, vt dicitur 1. Corint.* 11. Ita videtur paruam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui cauſa teſtem inducit, &c.

Eſt tamen timendum iuramētum, in multis caſibus. Primò, quan-

Digitized by Google

Eccl. 23. quandò quis iurat aſſiduè; ideò dicitur Eccleſ. 23. *Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non diſcedet de domo eius plaga*. Et ibidē dicitur: *Iurationi non aſſueſcat os tuum*. Secundò, non debet quis iurare, niſi in magna neceſſitate, & à ſuo ſuperiore compulſus, vt dicit Beatus Iacobus in ſua Canonica: *Ante omnia autem fratres mei nolite iurare, neque per Cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum*. Ergo grauiter peccant, qui ſine neceſſitate ſe offerunt ad iurandum in iudicio. Tertiò, etiam grauiter peccant illi, qui faciliter iurant in ioco falſum, quod ſecundum D. Thomam 22.q.98.dicentem. *Ille qui iocosè periurat non euitat Diuinam irreuerentiam, ſed quantum ad aliquid magis auget, & ideò non excuſatur à peccato mortali*. Magna eſt enim irreuerentia Dei, ſi ex ioco aſſumitur in teſtimoniū falſitatis Deus. Quarto, valdè timendum eſt, quando quis iurat per modum blaſphemiæ, vt faciunt illi, qui iurant per caput Chriſti, & per membra eius, per oculum per manus, &c. Contra tales dicitur decretal. 22. qu. 1. cap. ſi quis per capillum, aut caput Chriſti iurauerit, ſi de Eccleſiaſtici ordine eſt, deponatur; ſi autem laicus eſt, anathematizatur. Quinto etiam valdè timendū eſt, quando quis iurat execratoriè, de hoc modo iurandi dicit Magiſter ſententiarum lib. 2. diſtin. 39. eſt quoddam genus iuramenti grauiſſimum, quod fit per execrationem, vt cum homo dicit, ſi illud feci, illud patiar, aut illud contingat filijs meis; Si illud iuramentum eſt falſum, tunc eſt periculoſiſſimum, quale fuit iuramentum Petri, cum cæpit iurare, & anathematizare, Matthęi 26. quo iuramento homines cōmuniter vtuntur in iracundia, & furore, & iſte modus iurandi eſt per execrationem, & in hoc iuramēto inducitur creatura aliqua, in qua Diuinum iudicium exerceatur v.g. aliqui dicunt, nūquam ab oculis tuis viuus recedam ſi mentior: vel Deus nunquam miſereatur animæ meæ, ſi non fecero: vel Deus plaget me igne, vel lepra, per quæ ſic iurās, inquit D. Auguſtinus, valdè terribile eſt. Sextò timendum, quando quis iurat dolosè pſalmo 14. *Qui iurat proximo ſuo, & non decipit*; vt ſunt illi mercatores, qui cauſa decipiendi proximum, falsè iurant, rem eſſe meliorem, quam eſt.

D.Tho. 2.2. q.98. art.3. ad 2.

Mag. Sent.

Matth. 26.

Pſal. 14.

Et non ſolùm mercatores; Immò Principes, & Barones periurant, propter quod grauiùs peccant. Nàm legitur in geſtis Salini, quod venerunt duæ ſorores cuiuſdam Ducis Francorum, ad Regem Carolum, conquærentes de fratre ſuo, quod hæreditatem eorum auferret ab eis. Citatus ſuper hoc à Rege, negauit. Rex fecit eum iurare ſuper corpus Sancti Salini, quod nihil ſororibus ſuis teneretur ex his, quæ ab

eo

eo petebant, qui cum lætus iuraſſet, ſtatim medius crepuit, & per ſecretum eius ſtercora præruperunt, & ex oculis, auribus, ore, naribus ſanguis exiuit, & ſic vitam finiuit, & ſi Reges, Principes, Barones hoc minimè aduertunt ergò ſunt peiores, &c.

Veniamus modo ad articuli propoſitum. An Iudex in iudicio iuridicè, ac legitimè Reum interrogans, cum iuraméto, in materia alijs præiudiciali, poterit Reus ambiguis verbis veritaté occultare. Reſpondeo negatiuè, quia in rè graui ageret contra finem iuramenti, abſque iuſta, & rationabili cauſa, & mortaliter peccaret, ita Caietanus 2. 2. qu. 87. art. 7. Et Lopez p. 1. inſt. cap. 42. verb. doloſæ iuris. Verùm interrogatus à Iudice, ſed non iuridicè, poteſt licitè vti amphibolocis verbis, ita Caietan. in opuſculo reſponſionum, reſponſ. 5. docens: Quod interrogatus contra ordinem iuris, an habeat cóplices, poteſt reſpondere, non habeo mente concipiendo, vt dicam tibi: neque hoc eſt fallere Iudicem, ſed tantùm permittere vt Iudex fallatur, quia non tenetur iniuſtè, & contra ordinem iuris interrogatus, ſuam explicare amphibologiam. Idem habetur in Diuo Thoma 2. 2. q. 89. ar. 7. ad 4. vbi inquit; *Quod quando non eſt eadem iurantis intentio, & eius cui iurat, ſi hoc prouenit ex dolo iurantis debet iuramentum ſeruari ſecũdum ſanum intellectum eius, cui iuramentum præſtatur*. Et D. Gregorius lib. 27. moralium ſubiungit: *Humanæ aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant. Diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.*

Caiet. 2. 2. q. 87. ar. 7. idé Caieta. in opuſc. reſp. reſp. 5.

D. Dho. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4.

D. Greg. lib. 27. mor.

Dixi, quod Reus iuridicè à Iudice, cum iuramento interrogatus in rè alijs præiudiciali, nó debet abſque culpa mortalis peccati, anbiguis verbis reſpondere; loquor in rè ciuili. Et in criminali, quid dicerem? oppoſitam ſententiam inuenio apud Magiſtrum Petrum Nauarrum lib. 2. de reſtitutione cap. 5. in ſecunda parte his verbis aſſerentem; *Piè, et probabiliter poſſe teneri in cauſa criminali, præcipuè capitis, poſſe Reum in conſcientia verbis ambiguis contegere, etiam ſi ad interrogationem Iudicis præceſſerant indicia, vel infamia, vel ſemiprobatio, quoniam, inquit, in cauſa ſanguinis ob rei magnitudinem, et naturalem, et vehementem inclinationem, quã natura hominibus dedit ad ſui conſeruationem, ipſa eadem natura tribuit ſummam, ac liberrimam facultatem ſe tuendi, ergo Reus iuratus, et interrogatus, etiam iuridicè in cauſa ſanguinis, præcipuè capitis, poterit vti verbis amphybologicis ad contegendam veritatem*: hæc ille. Contra hãc opinionem inſurgit Magiſter Bagnes 2. 2. q. 69. art. 1. ff. in ſecunda parte tractatus dubio 1. concluſ. 1. Sayrus in Claui Regia lib. 12. cap. 16. dub. 1. num. 1. & alij docentes; *Quod conſeruatio*

Petr. Naua. lib. 2. de re. ſti. c. 5.

Mag. Begn. 2. 2. q. 89 ar. 1. ff. in 24. p. dub. 1.

Rei-

publicæ praualet bono vitæ priuatorum hominum.

Et ſi Iudex ex poteſtate ſibi commiſſa, iuridicè Reum interroget, authoritatem habet puniendi delicta,conſequenter authoritatem habet ad vtendum vijs licitis,& neceſſarijs ad punitionem delictorum præcipuè in cauſa ſanguinis,ſed Iudex punire non poteſt delicta,niſi per Rei confeſſionem,nemo condennari debet, niſi crimen confeſſus, vt dicitur in decret.q.1.cap.Iudex; ergò ſi Reus interrogatur pro bono præcipuè Reipublicæ peccat mortaliter ſi veritatem non indicet. Quare Doctores ſupracitati cōtra Petrum Nauarrum, ad ſui defenſionem, docet Sotus de Sacramento, membro 3. q. 2. concluſ.2.& cum ipſo Arag.2.2. q.69. art.1. ff. ſed dubitatur aliquis. Quod Reus etiam præſtito iuramento nō tenetur fateri crimen,præcipuè quando dubitat, vtrum Iudex iuridicè, ideſt iuris ordine ſeruato interroget. Similiter de teſte dicendum eſt, nàm nemo tenetur ſuo obedire Superiori,cum graui ſuo, vel alterius damno,maximè mortis,niſi legitimè conſtat eum habere authoritatem obligandi, & interrogādi. Et poſteà in dubio Reo fauēdum eſt.

Oppoſitum huius aſſertionis, docet Bonacina tom.2. tract. de legibus diſput.10.q.3.pun.2.n. 4.ff.mihi,&c. Aſſerēs, quod quādo Iudex ad impediendum peccatum habet ius interrogandi, tunc ſubditus iuratus non habet iuſtam cauſam celandi veritatē, cum non poſſit aliquis ſine graui peccato,cum talibus impedimentis ſacros ordines ſuſcipere, aut illis vti,vt patet; Vndè ſi interrogatur de natalibus, de cenſuris, de irregularitate alicuius promouentis ad ordines, vel de impedimentis ituri ad matrimonium,tunc tenetur fateri veritatem. Huiuſmodi doctrina etiam eſt Leſſij lib.2. de iuſtitia c. 31. dubio 3.num.9.

Nec lex ciuilis præcipere poteſt, vt iuramentum factum de rè prohibita ſit obligatoriū, quia lex ciuilis, quæ immediatè dirigit ad bonum commune, & publicum,obligat ad culpam,ſed iuramentum,quod adimpleri nō poteſt abſque mortali, non eſt obligatorium, nàm iuramentum non eſt vinculum iniquitatis,ergò,&c. Tùm etiam,quia iuramētum,quod in præiudicium tertij perſonæ vergit non obligat,aliter obligaret ad rē iniuſtā,igitur minus obligat,ſi de rè aliqua fiat prohibita per legē ciuilem, quæ contra bonum commune ſtatim dirigitur, nàm in præiudicium boni communis tale iuramētū vergit, ita aſſerit cap. cum contingat,ad finem de iure iurando. Et Syluester verb.donatio l.1.q. 6.nu.10.defendit iuramentum factum contra legem ciuilem

 prin-

principaliter reſpiciens commodum priuatæ perſonæ obligare, dummodo non ſit in præiudiciū tertij. Ratio eſt, quia lex reſpiciens bonum priuatæ perſonæ non intendit illi laqueum peccati ex tranſgreſſione illius legis inijcere, ſed ſolum intendit in fauorem illius perſonæ, ergo tenebitur ſeruare iuramentum, igitur iuramentum factum contra legem, quæ primario reſpicit cōmodum priuatæ perſonæ obligat, &c.

Certum eſt, quod tunc lex ciuilis, bonum commune reſpicit, quando ex eius tranſgreſſione, bonum commune non immediatè leditur, vt eſt lex, quæ mandat de non extrahendis ex ſtatu frugibus, de non extrahendis æquis, armis, &c. Ratio eſt, nàm ex violatione huiuſmodi legis, ſtatus ipſe non immediatè detrimentum patitur, cum ad eius ſecuritatem, cibo, & armis neceſſarijs non illicò deſtituatur. Vide de hoc ſupracitatos Doctores, præcipuè Abbatem cap. cum contingat de iureiurando.

Mirabilis eſt in hac materia noſter Pater Magiſter Ledeſma tomo 2. Summæ tract. 11. cap. 4. dub. 2. Proponens dubium. An iuramentum à legibus ciuilibus prohiberi poſſit, nè in contractibus humanis interponatur. Affirmatiuè reſpondet. Ratio, nè per iuſiurandum res deuoluatur ad forum Eccleſiaſticum: igitur lex ciuilis iuſtè poteſt ſubditos ſua lege ciuili interdicere, nè iuramento appoſito in contractibus, iuriſdictionem prorogent Eccleſiaſticam, non ad illam impediendam, ſed ad Regiam iuriſdictionem defendendam. Contra inſurgit Azorius 3. par. lib. 6. c. 6. dub. 3. docens non poſſe à legibus ciuilibus impediri, & prohiberi, nè in contractibus iuſiurandum non interponatur. Cum ſit ius antiquum in contractibus, & Eccleſiaſtici parum ſe intromittunt.

Dices, quænàm differentia reperiatur inter iuramētum, quod bonos mores ciuiles reſpicit, & iuramentum, quod bonos mores inſpicit naturales. Dico illud iuramentum dicitur contra bonos mores ciuiles, quando fit contra legem ciuilem, illicò reſpicientem bonum priuatum, & huiuſmodi iuramentum eſt obligatorium, quia iuramentum hoc non eſt de rè illicita, cum aduerſetur legi non obliganti ad culpam, nàm vnuſquiſque iuri ſuo cedere poteſt. Illud dicitur iuramentum contra bonos mores naturales, quando res promiſſa abſq; lethali culpa impleri non poteſt. Modo dico iuramentum contra bonos mores non obligare, quādo ſcilicet eſt contra bonos mores naturales, vtpotè iuramentū præſtitum contra legem ciuilem reſpicientem primario bonum publicum, quia cum hoc iuramentum ſit in communitatis præiudicium, abſque culpa impleri

non poteſt, ergò tale iuramentũ non erit obligatorium. Doctores hanc doctrinam confirmantes ſunt Syluester verb. pactum nu. 11. Sanchez lib. 1. de matrim. diſput. 32. num. 1. Couarr. de pact. 3. p. in principio nu. 1. & alij &c.

Verum præcipuè iuramenti diuiſio eſt in aſſertorium, & promiſſorium. Aſſertorium quò cõfirmatur dictum de præſente, vel præterito. Promiſſorium, quò confirmatur dictum de opere futuro, ita D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 1. & 7. Sed aduertere oportet, quod ſi modo enunciatiuo tantummodo dicerem. Coram Deo hæc dico: Deus ſcit me verum dicere. Deus videt ita eſſe, non ſunt iuramenta, ſicuti rectè docent Sotus lib. 8. q. 1. ar. 1. Et Caieta 2. 2. qu. 89. art. 1. vbi habet. Si aliquis non intendens iurare, ſed ſolum exprimere, quod ipſe habet conſcientiam rectam in hoc, & Deum prę oculis, non mentiendo, dicat Deus videt, Deus ſcit, quod dico veritatem, & ſimilia, non eſt iuramentum, quia non eſt inuocatio Dei in teſtem, ſed ſimplex enunciatio, ſcilicet quod Deus hoc ſcit, quod Deus videt, quod ego loquor coram Deo, & huiuſmodi, & propterea notanter dicit Angelicus Doctor; *quod iurare, eſt inuocare Deum inteſtem*, & non dicitur, quod eſt narrare Deum inteſtem.

D. Tho. 2. 2 q. 89. art. 1. & 7.

Angelicus Doctor.

Dubitatur primo. An Religioſus iuridicè à ſuo Prælato ſub iuramento interrogatus pro graui delicto poſſit ambiguis verbis veritatem celare. Hæc difficultas, quamuis videatur coincidere cum his, quæ nuper propoſuimus, eſt valdè diuerſa. Vndè aliqui Doctores quæſito negatiuè reſpondent; quia obedientia eſt pars iuſtitiæ legalis, ſed obediẽtia præcipit, vt vnuſquiſque ſuo Superiori iuridicè interroganti obediat, ergo &c. Alij verò cum Magiſtro Ladeſma affirmãt poſſe Religioſum, etiam præſtito iuramento in re graui illis ambiguis verbis vtique quidem opinio aliquibus grauiſſimis Doctoribus minimè diſplicet,

Dubitatur ſecundo, An iuramentum propter metum corporis pro vita, & rebus ſeruandis ſit obligatorium. Reſpondetur, quod ſic, vt patet de iureiurando capi. verum; vbi dicit Gloſa ſuper verbo ſeruient. Quod eſt verum dummodò ſine interitu ſalutis æternæ ſeruari poſſit, vt patet ibidem eodem titul. cap. ſi vero. Verumtamen ſi illa non ſeruant non ſunt puniendi, tanquam pro directo periurio, & ita metus culpam atenuat, ſi iuramentum non ſeruant: hæc Gloſa.

Et ſi iurat aliquis redire ad carcerem, teneatur iuramentum ſeruare? Reſpondet Diuus Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 15. quod ſic, & commendat ibidem Marcum Regulum ciuem

Romanum, qui cum captus eſſet à Carthaginenſibus, & in carcerem incluſus, Romam pro pace fienda ire petijt ſub iuramento promittens reuerti ſi pacem facere non poſſet. Quam cum facere non poſſet ad carcerem eſt reuerſus, & ab illis occiſus eſt. Et meritò commendandus erat, quia quædam ſunt mala culpæ, quæ ſine Dei offenſione virtutis, & gratiæ ammiſſione fieri non poſſunt: De talibus loquitur Iſidorus, & ponitur in Decretali 2. 2. q. 4. Cap. *In malis permiſſis reſcinde fidem; in turpi voto muta decretum.*

Iſidorus in decret.

Dubitatur tertio: Si Iudex ſcit eum falſum accipere iuramentũ: Reſpondet Archidiaconus ſuper illud Cap. ille 2. 2. q. 5. in Roſario. Quod Iudex non peccat, & poteſt recipere eius iuramentũ, quamuis ſcit falſum eum iuraturum. Quia non ipſe compellit eum iurare, ſed lex: Hæc reſponſio aliquibus non placet, quia debet inquirere ſi poſſet alium modum inuenire ad inquirendã veritatem, vel debetur eum mittere ad Superiorem. Hæc tutior via eſt Iudici. Si autem eſt dubius. Vtrum ſit falsè iuraturus, vel non, tunc non peccat Iudex ſi iuramentum ab eo requirit. Sed quid eſt dicendum de illo, qui ſcit alium, falſum iuraturum, & ipſe ſcit, & tacet? Reſpondet S. Thom. 2. 2. q. 98. art. 4. allegans illud Leuitici 5. *Si anima audiuerit vocem iurantis falſum, teſtiſque fuerit, quod ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam*; ergò debet indicare talibus, qui magis poſſunt prodeſſe, quam obeſſe periuro, vel deberent eum certiorare, quod non faceret.

San. Tho. 2. 2. qu 98. art. 4. Leuit. 5.

Solummodo in octo cauſis licitè fieri poteſt iuramentum. Primo pro pace facienda; ſic iurauerunt Iacob, & Laban. Gene. cap. 31. Vbi iurauit Iacob per timorem Patris ſui Iſaac. Secundo pro amicitia contrahenda, vel confirmanda; ſic iurauerunt Iſaac, & Abimalech Geneſ. 26. Surgentes mane iurauerunt ſibi mutuo. Tertio pro veritate aſtruenda, ſic iurauit Apoſtolus Roman. 1. dicens, teſtis eſt mihi Deus. Quarto pro calumnia vitando. Quia omnis controuerſiæ finis, eſt iuramentum; vt dicitur ad hebreos cap. 6. Sic in principio litis iurant partes. Quintò pro fide ſeruanda: ſic iurauerunt filij Iſrael Dauid 2. regum. 5. venerunt quoq; Seniores de Iſrael ad Regem; ſic Imperator, Papæ &c. Sexto pro promiſſione confirmanda, ſic Iephte quæſiuit iuramentum à Senioribus Iſrael. Iudicum 11. Septimo pro infamia purganda, ſic iurabant Seniores Ciuitatis, iuxta quam cadauer occiſi hominis inueniebatur, Denterono 21. lauabant manus ſuas &c. Octauo propter conſuetudinem approbatam cõſeruandam. Vndè Exodi 30. poſtquam Dominus promulgauerat

Gene. 31. Gene. 26. Roma. 1. Ad habr. 6. 2. regum 5. Iudicũ 11. Denter. 21. Exodi 30.

uerat legem cerimonialium per Moyſen, omnes iurauerunt ſe conſeruaturos eam &c.

Demum non relinquenda eſt differentia, quæ inter iuramentum, & votum vertitur, quam adducit Diuus Thomas loc. cit. ar.8. docens: *Quod vtraque obligatio, ſcilicet voti, & iuramenti, cauſatur ex aliquo diuino, aliter tamen, & aliter. Nam obligatio voti cauſatur ex fidelitate, quam Deo debemus, vt ſcilicet ei promiſſum ſoluamus. Obligatio autem iuramenti cauſatur ex reuerentia, quam debemus ei, ex qua tenemur, quod per nomen eius promittimus.* Vndè aduerte, quod in obſeruatione tam voti, quam iuramenti, duo concurrunt, ſcilicèt ipſa obſeruatio voti, vel iuramenti, & actus ſeruatus, qui promiſſus, vel iuratus erat, puta dare quinquaginta aureos. Commune eſt autem voto, & iuramento, quod ipſa obſeruatio vtriuſque ſpectat ad religionem, quoniam ex diuino aliquo cauſatur, & ad diuinum cultum ſpectat reddere Deo, tam vota, quam iuramenta cum hac differentia, quia in voto etiam actus ſeruatus eſt actus religionis. In iuramento autem actus ſeruatus relinquitur ſuæ naturæ, & non eſt factus religionis actus.

D.Tho. 2.2. 89. ar.8. in corpore.

Differunt etiam, & in qualitate materiæ, & in perſona cui fit. Nam propria materia voti eſt ſolum ſuperrogationis, & ſolum Deo votum fit. Propria autem materia iuramenti eſt non ſolum bonum ſupererogationis, ſed etiam bonum de neceſſitate ſalutis, vt reddere debitum, ſeruare fidem &c. & vniuerſaliter quodcumque, dummodo non ponatur obex Spiritui Sancto, & ſic iuramentum non ſolum Deo, ſed frequentiſſimè homini. Et hinc prouenit duplex differentia, prima eſt, quod in votis diſpenſandis, ſeù commutandis attenditur, quid magis Deo acceptum ſit. In iuramento oportet reſpicere ad præiudicium hominis, cui factum eſt, & in cuius fauorem factum eſt. Et hinc ſequitur altera ſcilicet, quod homo non poteſt votum relaxare, quia non fit homini, ſed iuramentum, vt docet D. Thomas poteſt homo homini relaxare, quia fit homini propter ipſum hominē. Adde, quod Prælatus Eccleſiaſticus, etiam Pontifex non habet ita poteſtatem ſuper iuramenta, ſicut ſupra vota, quia non eſt ita in poteſtate Papæ auferre ius tertii in rebus non Eccleſiaſticis, ſicut eſt in poteſtate ſua commutare in aliquid gratius Deo, quia eſt Dei Vicarius, & non eſt Vicarius illius hominis, nec eſt ita ſuper eum, vt poſſit illum rebus ſuis priuare ad libitum. Et hoc non eſt propter defectum poteſtatis Papæ, aut excellentiā iuramenti, ſed ex natura contractus iuramento firmati, ſcilicet inter hominem, & hominem, &c.

CA-

CAPITVLVM DECIMVMOCTAVVM,

An Sacerdos ad iudicium quoque Salomonis pertinens dici poſsit verus, & Principalis Iudex.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

IN puncto diſquiſitionis, vniuocè conueniunt omnes Doctores affirmatiuè concludẽtes, ſic: *Denominatio à nobiliori deſumitur*: Sed nobilior eſt anima, cuius Iudex eſt Sacerdos, quam Corpus ergo, &c. Maior, & minor nõ indigent probatione; probatur conſequẽtia. Iuriſdictio Iudicis, tàm ſecularis, quam Eccleſiaſtici ſe extendit, ſolum in ordine ad bonum, vel malum corporis, iuriſdictio Sacerdotis ſe extendit ad ſalutem animæ, ſed maior eſt ſalus animæ, quam corporis bonum, ergò, &c. ita diffinitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. canone 9. cuius verba ſunt: *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalẽ Sacerdotis, non eſſe actum iudicialem, anathema ſit.* Et Author de vera, & falſa pœnitentia cap. 10. inquit: *Iudiciaria enim poteſtas Sacerdotis hoc expoſtulat, vt quod debeat iudicare, diſcernat.* Vt Diuinus ille Salomon, dùm ſeruus, ac Dei amicus erat, veluti alter Sacerdos 3. Regum 3. Dominum orãs, dixit: *Dabis ergò ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum.* Et quia ad Sacerdotem pręcipuè ſpectat, vt benè iudicet, & diſcernat inter bonum, & malũ, nàm illis hoc iudicium à Deo cõmiſſum eſt, & non Angelis, neq;

Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 9.

Author de vera, & falſa pænit.

Ar-

D. Chriſo ſto.lib. 1.de Sacerdotio.

Archangelis, vt Diuus Chriſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, inquit: *Qui terram incolunt, ijs commiſſum eſt, vt ea quæ in Cœlis ſunt; diſpenſent, ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus, neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit, neque enim ad illas dictum eſt, quemcumque ligaueris etc.* hæc ille. Quàpropter Sacerdos dicitur Chriſti Vicarius; vt docet D. Thomas in addit. 3. p. qu. 6. ar. 3. ad 2. dicens: *Quod nullus eſt, qui non habeat Iudicem Chriſtũ, cui per ſui Vicarium confiteri debet, qui quamuis eo inferior ſit, tamen eſt eo ſuperior, in quantum peccator eſt ipſe, & ille Chriſti miniſter.*

D. Thomas in addit. 3. p. q. 6. ar. 3. ad 2.

Confirmatur ex eo, quod etiã in veteri teſtamento ad ſolos Sacerdotes pertinebat inter leprã, & lepram diiudicare, quæ figura erat, & adumbratio huius ſpiritualis iudicij, & abſolutionis à peccatis. Hoc aſſerere videtur Diuus Chriſoſtomus loco ſupra citato: *Corporis lepram purgare, iudeorum Sacerdotibus ſolis licebat. At verò noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt hæc ille.*

D. Chriſo ſto. loc. cit.

Et Angelicus Doctor loco ſup. cit. q. 6. art. 4. ad 3. docet: *Iudicium Sacerdotis expectare, cuius eſt diſcernere inter lepram, & lepram.*

D. Thomas loc cit q. 6. ar. 4. ad 3.

De hac animæ purgatione, nullum dubium eſt quemadmodum dubitatur. An nobilior ſit virtus Sacerdotis tranſubſtantiandi panem in carnem, & vinum in ſanguinem Chriſti, virtute Virginis ipſum concipientis? nonnulli tenere voluerunt, quod ſic; tum quia Sacerdos conficit corpus Chriſti paucioribus verbis, quam concepit Virgo; tum quia virtus Conceptionis in Virgine terminata eſt ad corpus Chriſti paſſibile, & mortale. Virtus conſecrationis terminatur ad corpus Chriſti impaſſibile, & immortale.

Contra ſic aſſerentes, dicit D. Bonauentura diſt. 10. lib. 4. quod dupliciter poſſumus loqui de virtute tranſubſtantiante, & de concipiente. Vno modo, vt ſunt in ſuo fonte, & primo principio, vt dicatur virtus concipiendi, quæ operata eſt conceptionem principaliter, & propria virtute, & auctoritate, & ſumitur virtus tranſubſtantiandi: ſic non eſt cõparatio ſecundum magis, & minus in ſe, cum ſit vna, & cadem virtus diuina non intenſa, nec remiſſa. Sed ſi ipſa comparetur ad manifeſtationem factam per hos effectus iudicandum eſt, quod ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa, licet enim vtrumq; ſit nobiliſſimum, & oſtendat potentiam eſſe ſummam; in conceptione tamen magis laudatur Maeſtas diuina, & in tranſubſtantione magis captiuatur ratio noſtra. Secundo poſſumus loqui de hac duplici virtute, prout dicitur communicari creaturæ, ſecundum quod dicitur, quod virgini

D. Bonauẽ. diſt. 10. lib. 4.

gini data eſt poteſtas concipiẽdi,& Sacerdoti per verba data eſt poteſtas conficiendi. Sic loquendo, ſimpliciter virtus concipiendi dignior,& excellentior, & nobilior eſt, tùm quia ſubiectũ magis nobilitat (magis enim eſt eſſe matrẽ Dei,quã eſſe Sacerdotem) tùm quia actio ſingularior, & præclarior eſt; maius enim eſt concipere,quam conficere, quia terminus actionis plus accipit à concipiente matre,quam à conficiente Sacerdote. Accipit enim à matre humanitatem,& eſſe; in conſecratione verò Corporis Christi,non accipit eſſe.

Idcircò reſpondendum eſt his, qui contrarium tenere voluerunt dicentes,Virginem concepiſſe Christum mediantibus pluribus verbis,quam Sacerdos conficiat;quos neſcio ſi inſanos, aut ignorantes nomine,eò quod comparatio iſta nulla eſt, quia verba ſunt de neceſſitate conſecrationis,non autem conceptionis. Vndè ſi Sacerdos numquam proferret verba,numquam conſecraret. Maria autem non concepit Christum vi verborum, ſed meritò virtutum ſuarum, ob quod poſito,cum dixit,Ecce Ancilla Domini, &c. obmutuiſſet, remanentibus tamen in ea virtutibus ſupradictis, adhuc concepiſſet Christum. Similiter malè intelligũt,qui virtutem tranſſubſtantiandi hoc modo præferunt virtuti concipiendi, quia illa terminatur ad corpus impaſſibile,& immortale, nàm arguũt, quaſi corpus Christi in conſecratioge fieret,ſed certè nõ fit, nàm non fit eius humanitas, quia facta eſt in conceptione; non fit gloria corporis, quia facta eſt in reſurrectione,non fit ætas perfecta, quia ætas triginta tria annorum ſpatio eſt perfecta. Vndè deficit argumentum, quia arguit, ac ſi faceret. Sed per conſecrationem nihil nouum fit; ſed hoc ſolum fit,quod erat in Cælo perfectum,& glorioſum,idem ſine mutatione ſui fit in ſacramento virtute tranſſubſtantiandi.

Dubium, quare Chriſtus voluit ex Virgine naſci,& non de ſtirpe Sacerdotum? Reſpondet Angelicus Doctor 3.p.q.31. ar. 1.ad 2. *Quia Sacerdotium veteris legis erat figura ſacerdotij Chriſti, noluit Chriſtus naſci de ſtirpe figuralium Sacerdotum, vt oſtenderetur non eſſe omninò idem Sacerdotium:ſed differre,ſicut verum à figurali.* D.Tho.3.p. q.31. art.1. ad 2.

Sed queuè conditiones requirantur, vt hoc iudiciale munus dignè, & laudabiliter apud Deũ,& homines,Sacerdos exercere poſſet. Dico, quod principaliter requiritur,eſt bonitas,ſicuti docet Diuus Petrus Damianus ſerm.2. de Sancto Andrea Apoſtolo: *Oportet Sacerdotem eſſe religioſum, vt Zelum Dei habeat, religioſum dico, idcircò, vt puras manus leuet ad Deum,& pro peccatoribus fiducialiter intercedat; vitã ſuam,ita inſtituat orationis frequẽtia,* D.Petr.Damianus ſer. de S. Andr.

tia,cibi, ac potus temperantia,corporis caſtitate; locutionis modeſtia; in pauperes miſericordia, erga omnes humanitate, & charitate, vt quod verbis in Eccleſia populum edocet, ipſe opere confirmet, ac veluti in imagine oſtendat: exemplum meum dedi vobis,vt ſicut ego feci, ita, & vos faciatis.Dixi exemplum meum dedi, alioquin; quomodo ex animo hortari ad Charitatem Dei, & proximi,continentiam,& temperantiã, vitiorumque omnium fugam,ſi videant,ipſummet talia facere,quæ in alijs damnat. Nàm qui ſibi malus eſt,quomodo alijs bonus eſſe poſſit?cũ proximus quiſque ſibi ſit.Si propriã animam ſibi coniunctiſſimam non curat, quomodo curam aliarum geret ex animo?aut quomodo cum fructu alios excitabit ad rerum cœleſtiũ deſiderium, ſi ipſemet eo igne cœleſti priuatus ſit? quomodo comendare poterit mutuam charitatem, & pacem,ſi ipſemet lites alat, & iracundia eſtruet? quomodo alios exortabit ad caſtitatis virtutem,ſi ipſemet impurus exiſtat?

Debet ergo Sacerdos omni bonitate fulciri; nàm ſicuti docet Angelicus Doctor 2.2.q.88. art.8.ad quintum, ſcilicet: *Qui diuinis rebus inhæret, eſt ſupra hominem,ideò Phyloſophus,primo Polyticor.dicit: Quod ille,qui alijs non communicat,aut eſt Deus, ideſt Diuinus vir.* Vndè idem D.Thomas loco citato,inquit:*Quod homo poteſt ſolitarius viuere,nempè per hoc, quod totaliter diuinis rebus inhæret.* Sed quis eſt iſte homo ſolitarius, qui diuinis rebus inhæret? niſi Sacerdos,iuxtà illud Ieremiæ 3. *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe.* Ideſt ſuper ſeipſum. Quæ Ieremiæ verba D. Bernardus ſer.2.in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſic explicans ſubdit;*Solitarius leuauit ſe ſupra ſe,quia reliquit, quod erat,aſſumens,quod non erat.) Sed percontor:Quis eſt iſte, qui reliquit,* quod erat, aſſumens, quod non erat, niſi Sacerdos, qui iuxta Diui Bernardi ſententiam dicentis: *Eſſe reliquit humanum, diuinum aſſumens.*Nàm qui diuinis rebus inhæret, quemadmodum Sacerdos,eſt ſupra hominem,ideſt,eſt Deus,eſt diuinus homo,diuinus Iudex.

D.Tho.2.2 q.88.art.8. ad 5.

Ierem.c.3.

Sed quid mirum ſi Dei,eſt alter ego Sacerdos,dùm ipſis dupplcatus honor, Eccleſiaſtici ſeptimo mandat,dicens:*Honorifica Sacerdotes, & da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi.* Sed quænam pars eſt iſta? Reſpondeo, eſt decima,quia ſi nouem ſunt Angelorum ordines. Angeli nempè, Archangeli, Virtutes, Throni, Dominationes, Principatus,Poteſtates, Cherubim, atque Seraphim. Decimus autem ordo eſt homo,quem volens Deus,vt Angelorum lapſibus ſuppleat, decimas ſoluere mandat ſuo Sacerdoti,ſuo alter ego.Ita Diuus Auguſtinus ſermone de Decimis: *Attende inquit, quod creatura decima inter intellectuales eſt homo,quia Angeli in nouem ordinibus; decimus au-*

Eccl.c.7.

D.Aug.ſer. de decimis.

ante ordo eſt homo, & ideò hominis eſt decimam ſoluere, vt ruinam Angelorum valeat ſupplere: Quapropter dicitur ei, honorifica Sacerdotes, ſanctifica decimas tuas, & dà illis partem, ſicut mandatum eſt tibi. O Eccellens Sacerdotij dignitas, atque inenarrabilis gloria, qui diuinis rebus inherens, eſt alter Deus, ideſt diuinus homo, diuinuſque Iudex.

Quod Sacerdos ſit quaſi alter Deus. Chryſoſtomus lib. 3. de dignitate Sacerdotali: *Pater omnifariam poteſtatem tradidit filio, & filius eandem poteſtatem tradidit Sacerdotibus.* Chriſtus eſt Deus in Cælo, & in terra; Sacerdos eſt Chriſtus in Cælo, & in terra: Pater omnifariam poteſtatem dedit filio, & filius ſimul cum patre, eandem tradidit Sacerdotibus. Confirmat quoque illa eximia Diui Hieronymi authoritas ſuper illa verba Matthæi 16. vbi de Apoſtolis loquendo, Sacerdotes etiam iuxtà Diui Leonis Papę ſententiam, includit: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Reſponderunt diſcipuli: *Alij Ioãnem Baptiſtam; Alij autem Æliam: Alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis Ieſus. Vos autẽ, quem eſſe dicitis?* Quaſi diceret, hominum opiniones non curo, veſtram cupio: *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Quomodo? non includebantur Apoſtoli in illis verbis, quem dicunt homines? fortaſſis Apoſtoli non erant homines, ſicut, & cæteri homines? Reſpõdet Diuus Hieronymus myſterium dilucidans, dicens: *Attẽde, quod ex textu Sermonis Apoſtoli, nequaquam homines, ſed Dij appellantur. Cum enim dixiſſet, quem dicunt homines eſſe filium hominis, ſubijecit. Vos autem quem me eſſe dicitis? ac ſi dicat illis, quia homines ſunt, humana opinantes, vos qui Dij eſtis, quem eſſe exiſtimatis?*

Chryſoſto. lib. 3.

D. Hieron.

Matth. 16

Itaque Apoſtoli ſecundum D. Hieronymum Dij appellantur, & quare? Reſpondit Diuus Leo Papa: *Apoſtoli fortaſſis, utpotè Sacerdotes, Dij appellantur, ſedentes ſuper ſedes iudicantes, iuxta illud Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus dijudicat.* Vndè Conſtantinus Imperator in Niceno Concilio coram trecentis Epiſcopis, cum Sacerdotibus loquens, dixit: *Deus uos cõſtituit Sacerdotes, & poteſtatem nobis dedit, de nobis quoque iudicandi. Vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari. Vos enim nobis à Deo dati eſtis Dij. Ego dixi Dij eſt, inquit Dauid, undè conueniens non eſt, ut homo iudicet Deos, ſed ille ſolum, de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus dijudicat.* Ergò benè dixi, quod Sacerdos ſit Dei, alter ego, dùm iuxtà Ariſtotelis dictum eſt Diuinus vir, nẽpè plus de diuinitate, quam de humanitate habens, ligat, & ſoluit Sacerdos, vt Diuinus Iudex, ſoluit in Cælis, ligat in terris; quodcũque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terram,

D. Leo Papa

ram, erit ſolutum, & in Cælis.

Hinc ad perfectã Sacerdotũ deitatẽ dicebat Dominus Moy-
Exod. 14. ſi; *Septem diebus conſecrabis manus eorum*, miror certè, quod non per vnum, vel alterum diem, munditiam illarum manuum volebat, ſed per ſeptem dies conſecrandas ſtatuebat, quare per ſeptem dies? Dico inter alia, hoc primũ Deus ſibi vult exhiberi, Sacerdotes ſcilicet, Mundi Iudices, qui diuinæ Miſſæ myſterijs, confeſſionibuſque vacant, manus lauare debere, hoc igitur eſt, quod ad illam ſolennem Sacerdotum conſecrationem, vel confeſſionum iudiciariam poteſtatem, ſuperiori loco Dominus, & Deus noſter adamuſſim poſtulabat per ſeptem dierum ſpatium, vt vitæ integritas, quæ in his diuinis myſterijs deſideratur ſignificaretur, ea namque eſt, hæc viuendi ratio, quæ Angelorum ſuperet dignitatem. Neceſſe eſt ergò, qui in Iudicis dignitate reperitur, manus, primum omnium lauare, conditio hæc eſſentialis eſt, quam Diuus Paulus ad Thi-
1. Tim. 2. moteum poſtulat; *Volo ergo uiros orare in omni loco, leuantes puras manus, ſine ira, et diſceptatione.* Quid eſt leuare manus puras in
D. Chryſoſ. oratione? Reſpõdet Chryſoſtomus hic; *Puras manus, ideſt mundos, non aqua lotas, uerum cupiditate, rapina, etc.* Reperiuntur namq; aliqui confeſſarij, nimis in con-
D. Amb. ibi. feſſionibus cupidi, &c. Et Diuus Ambroſius ibidem; *Sanctæ manus ſunt, quando cor mundum eſt.* Vè Sacerdotibus immundis, prædolor, quot in libris Dei terribiles ſunt rationes deſcriptæ, quos ſi fieri poſſet puriores Angelis futuros eſſe deceret. Et Dauid pſ. Pſ. 25.
25. *Lauabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine.* Quid eſt, lauabo inter innocentes manus meas. Reſpondet Diuus Auguſtinus ibi; *Ideſt* D. Aug. ibi.
munda faciam inter innocentes opera mea. Et Diuus Hieronymus D. Hier. ibi.
ibidem; *In bonis operibus lauabo manus meas, quæ peccatis ante ſordebant.* Manus lauabo, ideſt opera per lacrymas lauabo; *Et tunc,* inquit Dauid, *circumdabo altare tuum Domine.* Ideſt in templum veniam, ibique altari tuo accedam, vt Sacra, & acceptabilia tibi Sacrificia, fideliumq; confeſſiones offeram, vt beneficia à te egenus, & inops valeam impetrare.

Hæc eſt ergò Sanctitas, quæ in Chriſti clientibus requiritur. Platonis verò, & Ariſtotelis diſcipuli, Cęlorum motus, ſingulas aſtrorum naturas, animantium omnium, auium, piſcium, rerumque naturaliũ proprietates perdiſcebant, & qui hac ſcientia cęteros antecelleret, vt potè Hęros habebatur. In Chriſti verò gymnaſijs, aliæ diuerſæ ſcientiæ edocentur, in ea enim diſcipuli, metaphyſicæ, & phyloſophiæ ſtudia minimè profitentur, ſed virtutes, perfectioniſque ornamenta ſectantur; *Diſcite à me,*

(ait Chriſtus) *quia mitis ſum, et humilis corde*. Non inquit diſcite à me metaphyſicæ primordia, ſed virtutes, eſſe ſcilicet humiles mites, &c. Fidelium igitur Accademia, operum eſt, non verborum, non vult Chriſtus, diſcipulos ſuos eſſe nominales, ſed Reales, etenim Sanctos, atque perfectos cupit Deus, qui ipſius accademiam, & gymnaſium frequẽtare ſtudent. Vndè Diuus Baſilius in Exam. homil. 10. inquit; *Chriſtianiſmus quid eſt? niſi in uirtutibus, aſſimilatio Dei, quatenus eas aſſequi poteſt humanæ fragilitas naturæ*. D. Baſilius.

Hanc perfectionem in nobis Chriſtus deſiderat, cuius cauſa infideles admiratione capti, vitæque noſtræ integritate commoti, ad Dei laudem moueātur; *Sic luceat lux ueſtra (ait Chriſtus) coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, et glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt*. Conſidera, quæ vita eſſe debeat, præcipuè Sacerdotum, fideles iudicātium, vt pro eorum puritate, & excellentia, Dei inimici, ipſum laudare, & prædicare cogantur, quare Diuus Hieronymus ſubdit: *Hoc eſt Sacerdotum pondus maius, & minus, & menſura maior, & minor, diuerſum namque pondus in domo ſua, diuerſamque habet menſuram, ut aliter videlicet in ſemetipſo, aliter metiatur in proximo*; Quaſi diceret, Sacerdos dupplicem requirit menſuram, primò, ſuas menſurare plagas, vt proximorum facinora faciliùs, & in melius menſurare poſſet. D. Hieron.

Hanc menſuræ pulchritudinem, ſponſus Dominus, in ſponſa laudauit dicens: *Ecce tù pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*. Cur ergo bis dixit pulchra? nonnè ſemel tantùm dixiſſe ſufficiebat? Diuus Ambroſius: *Ideſt pulchra in proximi prædicatione, & pulchra in ſui cognitione*. Vndè Origenes hic. *Inuitauit ſponſus ſponſam, vt cognoſceret ſeipſam, aliter damna multa pateretur, nempè ſi ignoras te, ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt ueſtigia gregum tuorum*. Et Angelicus Doctor hic ait: *Bis repetit pulchra, ideſt in opere, et prædicatione, in opere, quia nihil indignū oculis meis agis, in prædicatione, quia ad cōſiderandum incarnationis meæ myſterium, etiam ſodales tuas, filias Hieruſalem inuitare non ceſſas*. Can. 1. D. Ambr. Orig. hic. Ang. Doct.

Sed heù Ieremias clamat. *Sacerdotes non dixerunt, vbi eſt Dominus, & tenentes legem neſcierunt me, & paſtores præuaricati ſunt in me*. Certè prædolor, ſi ſacerdotes in fide deficiunt, ipſum Dominū negligentes, quid erit de membris? Si caput eſt languidum, igitur omnia membra debilia ſunt, dùm omnes in impietate pari ardore conſentiunt; quid ergo mirum ſi Dominus per Ezecchielem minatur his dicens: *Vè paſtoribus Iſrael, quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod egrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, nō quæſiſtis*. Hiere. 2. Ezecch. 34.

ſiſtis. Vobis; vobis inquam Sacerdotibus, qui animarum paſtores eſtis, hæc verba ab immortali Deo proponuntur, quiquidem, cum oues ſuas prætioſiſſimo ſuo ſanguine emerit ægrè, & moleſtè fert, ſi vos ipſos in illis cuſtodiendis inertes, negligenteſque præbeatis, vobiſque vitio vertit quodcunque damnum illis illatum: vobis denique iterum dico Confeſſarijs, reliquiſque omnibus Prælatis, qui præ in curia, & negligentia animarum ſalutẽ ſibi à Deo optimo commiſſam negligunt: quid reſpondebunt, cum Dominus ad iudicandum

D. Gregor. venerit? Vndè Diuus Gregorius homil. 17. in Lucam cap. 10. inquit: *A nullo maius præiudicium tolerat Deus, quam à Sacerdotibus, quando ipſi peccamus, qui aliorum*

D. Hieron. *peccata compeſcere debuimus.* Et D. Hieronymus in Ezech. epi. 22. ad Euſtaſium: *Grãdis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina ſi peccant.*

D Bernard. Et poſt pauca idem Diuus Hieronymus ſubiungit: *Ideò presbyteratum, & Diaconatũ ambiunt, vt mulieres licentius videant.* Cũ quibus mulieribus, vt Diuus Bernardus aduertit: *Multa ſpiritu incipiunt, & carne finiũtur.* Ideò do-

Deu Gerſo. ctiſſimus, ac deuotiſſimus Gerſon in ſuo tractatu inquit: *Hoc præcipuè conſiderare neceſsè eſt, ſi ſit mulier, qualiter cum ſuis confeſſoribus conſeruatur, & inſtructoribus: ſi collocutionibus intendit continuis, ſub obtentu, nunc crebræ confeſſionis, nũc prolixæ narrationis viſionum ſuarum; nunc alterius cuiuslibet confabulationis. Expertis crede nominatim Auguſtino, et Bonauenturæ. Vix eſt altera peſtis, vel efficacior ad nocendum, vel inſanabilior.* Sed, eo primus Diuus Ambroſius libro de offi- D. Ambroſ. cio. *Feminarum cum Clericis, nullo pacto coniuncta permittitur conuerſatio, ianua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nociuumque genus eſt fæmina, cum proximat ignẽ accendit.* Et Diuus Thomas par. D. Tho p. 2 q 102. ar. 4. 2. q. 102. art. 4. ad 7. habet hæc verba; *Indictus eſt Sacerdotibus, fæminalium vſus, vt ad altare aſcendere poſſent, ſacrificia offerentes.* Cõcludit denique Diuus Bernardus D. Ber. epiſ. 42. epiſt. 42. *O Sacerdos, cui placere geſtis? Mundo, an Deo? Si Mundo, cur Sacerdos? Si Deo, cur qualis populus? non potes duobus Dominis ſeruire, qui autem vult amicus eſſe huius Mundi, Dei inimicus conſtituitur.*

12. Verùm, nimio cum dolore dico, plerique ſunt Sacerdotes, qui Principibus, alijſque Dominis complacere volentes, maximum eorum animæ detrimentũ afferunt, vt Diuus Auguſtinus D. Aug. ſcribit, dicens; *Ad huc quoque nos valdè dolendum eſt, ſunt aliqui, et maximè potentes, qui dùm veniunt ad Eccleſiam, non ſunt deuoti ad laudes Dei, ſed cogunt presbyterum, vt abbreuiet Miſſam, et reliquum diurnum, ſimul cum nocte, ad eorum deputetur voluptates.*

Requiritur ergò in miniſtro Iudice, dico in Sacerdote, deuotio, vt auſcultanti Sacrum, atque

ſu-

ſuſcipienti pænitentię Sacramẽtum prodeſſe poſſet, & pænitens benè vtatur gratia accepta per pænitentiæ Sacramentum, vel perſeueret in iuſtitia, & ſanctitate vitæ, ſecundum illud Iacobi vltimo: *Orate pro inuicem, ut ſaluemini, multum enim ualet deprecatio iuſti aſſidua*. Ita Hoſtienſis in ſumma cap. de tempo. Et Diuus Auguſtinus tractatu 5. in Ioann. Vbi notandum, quod non irritatur, nec diſſoluitur ob vitium miniſtri poteſtas à Chriſto ei tradita, dummodò intendat facere, quod facit Eccleſia Catholica, ita docet Diuus Chryſoſtomus homilia prima ſuper Iſaiam. Et Symbolum de Catholica iuſtitia titulo 4. Et à fortiori probatur. Nàm effectus Sacramenti non impetratur oratione miniſtri, vel Eccleſiæ, ſed ex merito paſſionis Chriſti, & media forma Sacramenti, & ſic effectus Sacramenti non datur melior, vel peior, maior, vel minor. Verùm, quod concurrit ad gratiã, vt cauſa inſtrumentalis, iuxtà illud Ioan. *Quorũ remiſeritis, &c.* Et Cõcilium Tridentinum, inquit ſeſſ. 7. canone 11. *Dicere, quod miniſter non concurrit ad gratiam, eſſet hæreticum.* Ita Nauarrus cap. 1. n. 15. de pænit. dub. 6. Et Sotus 4. ſent. deciſ. 1. q. 5. art. 5.

Iacobi vlti.

D. Aug.

D. Chryſoſ.

Conc. Trid.

Amplius requiritur ſcientia in Sacerdote Confeſſario. Vndè Eminentiſſ. Caet. verbo Confeſſ. dicit: *Quod Confeſſarius debet ſcire multa*. Et grauiter peccat Sacerdos, qui requiſita ſcientia non inſtructus, munus confeſſarij ſuſcipit, vel exercet. Eſt communis ſententia. Quare Diuus Petrus Damianus ſermone de Sancto Andrea Apoſtolo, ait: *Oportet Sacerdotem Confeſſarium eſſe litteratum, litteratum autem dico, vt ſciat, quod iniungat, cui parcat, cui parcere debeat, quam conſolationem proferat de ſcripturis*. Cui Innocentius III. in cap. omnis vtriuſque de pænitentia, & remiſſione ſubiungit; *Sacerdos ſit diſcretus ſcientia, et cautus, vt mox periti medici ſuperfundat vinum, et oleum uulneribus ſauciati, etc. Nàm ſi Iudex imperitus peccat deciſioni cauſarum, non minus imperitus medicus, erga corporũ curationem, quanto magis ſpiritualis Iudex, ac animarum medicus.*

Caeta. verb. Confeſſ.

D. Petr. Damian.

Innoc. III.

Requiritur etiam maxima prudentia, ita Concilium Tridẽtinum ſeſſione 14. cap. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, et prudentia ſugeſſerit, pro qualitate criminum, et pænitentium facultate, ſalutares, et conuenientes ſatisfactiones iniungere*. Pænitentiæ Sacramentum, habet ſe per modum iudicij, ideò Sacerdos, qui Dei perſonam repræſentat, prudenter iudicium iſtud exercere debet, & cum eadem prudentia pænam aliquam ad peccatorum vindictam decernere, vt iuſtitiæ ſatisfiat. Dixi ad peccatorum vindictam, quia Sacramentum hoc, non ſolum habet ſe per modum iuſtitię, ſed etiam per modum medicinæ; eſt igitur vin-

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.

diĉta ſalutaris curans morbos,& vulnera peccatorum,atque à recidiuis præſeruanr.Ad hanc curationem Sacerdotis opera accomodata ſunt. Conueuit enim ei, morbos, remedijs contrarijs tollere,calidos frigidis, frigidos calidis,nempè ſua prudentia, & vt bonus Iudex, ſpectata peccatorum qualitate;imperet,tepidis orationem,iniuſtis eleemoſynã, intemperantibus ieiuniũ,aliaſq; carnis afflictiones, ad placãdam Dei iram, nàm peccati iniuriam Deo irrogamus, eiuſque amicitiam lædimus, Dei inimici conſtituimur,pęna ęterna digni redimur,ideoque pro hac offenſa ſatisfacere oportet.

Vndè ad Confeſſarios promouendos, particularis requiritur diligentia de eorum ſcientia, vt dignè iudiciale onus ferre poſſint. Quapropter dicitur can. 1.capitulo. *Viliſſimus reputandus eſt,niſi præcellat ſcientia,et ſanctitate,qui eſt honore præſtantior, ſed nũc prædolor iniuſti,et indigni,promouẽtur ad Sacerdotium, et Prælaturas. Quis enim tàm ignorans, et malus,ſi habet pecuniam,qui non citò habebit beneficium. Et quis dignus, et ſciens, ſi non habet pecuniam,valeat habere beneficium,etc.*

CAPITVLVM DECIMVMNONVM.

An omnis Sacerdos inſtar Salomonis ante lapſum, dici poſsit verus, & Principalis Iudex.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

DIximus, Sacerdotes, vt ſint digni Iudices & idonei miniſtri noui teſtamenti debent eſſe ſciẽtia, prudentia moribus, & vita perſpicui, quemadmodum Salomon diuinitus ditatus fuit, ſapientia, ſcientia, prudentia, moribus, & vita perſpicua ante lapſum. Ita, & Sacerdotes Chriſti Vicarij, vt ſupra, cum Angelico Doctore diximus, non minus, quam Salomon, diuinitatis nomen conſequuti, ac per conſequens diuiſi, & ſeparati à laicis, D. Hieron. quia dicit D. Hieronymus, ponunturque eius verba in decretali q. 12. cap. 2. Duo ſunt genera Chriſtianorum. Eſt autem vnũ genus, quod eſt mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi, & orationi, & ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare conuenit, vt ſunt Sacerdotes, & Deo deuoti; qui primò vocantur Clerici. Ita D. Thomas 2. 2. q. 40. D. Tho. 2. 2 q. 40. art. 2. in corp. *Multum impediunt animum à contemplatione diuinorũ, et laudes Dei, et oratione pro populo, quæ ad officium pertinent Clericorũ, ſecundum illud Apoſto. 2. ad Thim. 2. Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotijs.* Cleros enim græcè, ſors latinè dicitur; ideò huiuſmodi homines vocantur Clerici, ideſt ſorte electi, hos enim Deus in ſuos elegit. Hi nam-

namque ſunt Reges, ideſt ſe, & alios in virtutibus regentes. Et hoc deſignat corona in capite, quam habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ in ſignum Regni, quod in Chriſto expectatur. Aliud verò genus Chriſtianorum, ſunt laici, laus enim græcè, latinè, populus dicitur: his licet temporalia poſſidere, vxorẽ ducere, terram colere, &c. De his loquitur Dominus, Leuitici
Leuit.20. 20. vbi inquit: *Separaui vos de medio populi mei, vt eſſetis mei.* Sũt autem à laicis ſeparati. Vndè di-
Baſil. Papa. cit Baſil. Papa, Anaſtaſio Imperatori, & ponitur in decr. diſtin. 96. *Aurum non tàm præcioſius eſt plumbo, quam Regia poteſtate ſit altior ordo Sacerdotalis.*

Dixi, quod Clerici ſunt ſeparati à laicis, capitis abraſione, quia ſunt omnes coronati in capite, quod habent initium à B. Petro Apoſtolo, dùm Antiochię prædicaret, in contumeliam nominis Chriſtiani, ſummitatem capitis eius abraſerũt, quodquidem poſtmodum toti Clero trahitur in honorẽ, quod pro Chriſto, Apoſtolorum Principi in cõtumeliam fuerat irrogatum. Et
D.Tho.1.2. q.102.ar.5. ad 8. Angelicus Doctor docet p.2.q. 102.art.5. ad 8. *Quod raſio pilorũ figuralis, ratio erat, quia illi, qui ſunt conſecrandi ad ſpirituale miniſteriũ Chriſti debent radere omnes pilos carnis, ideſt omnes prauas cogitationes, & debent ornari virtutibus.* Et in decret. 12.q.1. habetur, quod denudatio capillorum ſignificat, quod inter ſe, & Deum, nihil debet eſſe medium, ſed immediatè debent vniri, & reuelata facie gloriam Domini ſpeculari, & debent incedere patentibus auribus, vt diſtin. 23. c. non liceat: *Ad habendas eas paratas ad audiendum verbum Domini.* Sed multi nunc incedunt cum capillis longis, non vt clerici, ſed vt laici, & mundani, non vt Sacerdotes, ſed vt mulieres, capillis per colla volitantibus, quod eſt contra Eccleſiæ ſtatutum, vt patet in cap. ſi quis ex Clericis, vbi dicitur: *Si quis ex clericis comam relaxauerit, Anathema ſit.* Et ibidem: *Clerici, qui comam nutriunt, inuiti à ſuis Archidiaconis tondeantur.* Ideò dicit Apoſtolus 1. Corinth. 11. *Vir* 1.Corin.11.
ſi comam nutriat, ignominia eſt illi. Quando ergò Clerici, & Sacerdotes hoc faciunt, tunc dant laicis exemplum ſimilia faciendi. Sicut mihi iuuenis vnus villanus reſpondit, quem increpaui de capillorum longitudine, dixit: *Quare ego non deberem hoc facere, cum Sacerdos meus, & Parrochus hoc faciunt?* Vndè Chryſoſtomus Chryſo ho-
homil. 3. in Matth. inquit: *Sacer-* mil.in Mat.
dos in populo, eſt ſicut radix in arbore, & ſtommacus in corpore, quemadmodum, cum uideris arborem pallentibus folijs, & marcidam, intellige, quod aliquam culpam habet circa radicem. Ita cum videris populum in diſciplinatum, & irreligioſum, ſine dubio agnoſce, quod Sacerdotium eius non eſt ſanum. Quare legitur, quod Cancer antiquus redar-

 guit

guit iuuenem, qui retrorſum incederet, at ille reſpondit, quod daret ſibi exemplum in gradiendo, qui mox ſerpit retrorſum. Sic Sacerdotes redarguunt laicos, quod in via morum incedunt retrorſum, ſed ipſi poſſent reſpondere, quod hoc haberent ex malo eorum exemplo.

D. Bern. homil. 5. ſuper miſſus. Ideò Diuus Bernardus hom. 5. ſuper miſſus eſt, inquit: *Vidimus in Eccleſia Dei de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites factos, ſubitò intumeſcere, priſtinæ obliuiſci abiectionis, genus ſuum erubeſcere, & infimos dedignare parentes, qui aſſimilantur Cornici*. Cum enim Cornix vidiſſet vmbram ſuam in aqua, & pennas ſuas nigras eſſe, cõtra ſeipſam valdè commota eſt, & cœpit pennas ſuas roſtro ſuo euellere, neque plumam ſuper ſe dimiſit, reuerſa eſt ad aquam, & credidit ſe factam pulchram. Cum autem ſe nudã, & nigram cognouiſſet, & turpiorẽ, dixit. Heù decepta ſum, quid faciam. Venit ad alias aues, & à qualibet, vnam pennam accepit, & ſe veſtiuit, & in aqua, quaſi in ſpeculo ſe ornatam conſpexit, & in tantum ſibi complacuit, quod alias aues contẽpſit; Quod videns Rex auium Aquila, dixit, Domine Cornix, vndè ſuperbis? quis tibi talia veſtimenta contexit? Dixerunt Aues, ab omnibus pennas accepit. Quibus Rex ait, quælibet, pennas ſuas recipiat, & benè verberetur, & eam nudã permittatis; *Moraliter, Cornix eſt* D. Bernard. *ſuperbus pauper Eccleſiaſticus, qui de ſe nihil habet, ſed ſingula ab omnibus ſibi communicat creaturis, qui in ſuperbiã erigit ſe, & omnes alios benefactores ſuos contemnit, qui poſteà ſubtrahunt manus ſuas, et permittunt eum cadere*: hæc ille.

Lapſus iſte minimè eſt, cum totali ſuo dedecore, quapropter principali quæſito, ſcilicet. An omnis Sacerdos dici poſſit verus, & principalis Iudex. Reſpondeo, & dico, cum communi Doctorum Schola; Quod omnes Sacerdotes in caſu neceſſitatis, nẽpè in periculo, ſeù mortis articulo dici poſſe veros, ac legitimos Iudices. In mortis articulo, quiuis Sacerdos iuriſdictionem habet ad abſoluendnm directè à peccatis omnibus, etiam Papæ, vel Epiſcopo reſeruatis. Dixi, quod eſt communis doctrina, nàm teſtificatur à Tridentino Concilio ſeſſ. 14. cap. 7. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ita omnes Sacerdotes, quoſlibet pænitentes à quibuſuis peccatis, et cenſuris abſoluere poſſunt*. Concilium ait quemlibet Sacerdotẽ à cenſuris in mortis articulo abſoluere poſſe, intelligendum eſſe (iuxtà Zambranum cap. 4. dubio 4. num. 17. Sanchez lib. 2. moral. cap. 13. num. 12.) de hijs tantum cenſuris, quæ Sacramentorum ſuſceptioni, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ obſtant, cuiuſmodi ſunt excomunicatio, & perſonale interdictum.

Sed

Sed cum Concilium Tridentinum, verbis vtatur vniuerſalibus. *Omnes Sacerdotes abſoluere poſſe.* Compræhenduntur Sacerdotes non approbati, aut non expoſiti; item ſuſpenſi, quin, & excommunicati, ſed non tolerati, immò Hæretici, Schiſmatici, Apoſtati, &c. ita D. Antoninus 3.p.tit.14.c.19.condic.14. Syl- ueſter verbo Confeſſor. qu. 20. Suarez 3.par. tom.3.diſput. 72. ſeſſ.4.Paluda in 4.diſt.17.qu.3. art.3.concluſ.7. Sotus in 4. diſt. 18.q.4.art.4.

D.Antonin.

Nauarrus verò c.26.num.26. docet; Hęreticum denunciatum, omni abſoluendi poteſtate, etiã in extrema mortis neceſſitate priuatum eſſe; quamuis iſta ſententia non eſt ita benè accepta. Cum Tridentinum Concilium expreſsè dicat, in mortis articulo, nullam eſſe peccatorum reſeruationem, ſed eorum abſolutionem omnibus Sacerdotibus perpetua Eccleſiæ conſuetudine concedi. Et rantò magis hoc fieri poſſe, quando nullum adeſt periculum pænitenti ſubuerſionis ab ipſo Hæretico Sacerdote, quia pænitẽs eſt vir doctus, Catholicus, ſtabilis, & non, ita facilè flexibilis. Et ſi hæreticus Sacerdos ſecundum omnes Doctores poteſt in articulo mortis baptizare, ita, & Sacramentum pęnitentiæ exercere, ambo in neceſſitate neceſſaria ſunt. Nec dicere valet, quod ſuppoſito peccato ſufficeret, tunc contritio, quia hoc eſſet periculoſum, cum difficilè ea poſſit haberi. Nec abſque Sacramento ſufficit attritio. Nec demum valet dicere, quia tunc temporis Deus valet ſupplere, quia eſſet tentare Deũ. Sed quid intelligendũ per mortis articulum; in quo omnes Sacerdotes, ex Eccleſiæ conceſſione abſoluere poſſunt. Dico non intelligendum eſſe, qnaſi vltimũ vitæ ſpiritum, ſed quoduis etiam probabile mortis periculum, ſicuti docet Nauarrus de Iubilęo, & indulgentia cap. 30. num. 3. quando eſt præſumptus, non quando eſt ſolum verus, vt putà, quando quis ſumeret Sacramentum extremæ vnctionis, itaque ſiue ſit ex infirmitate, ſiue ex Iudicis decreto, ſiuę ex partu periculoſo, ſiuè ex imminente belli conflictu, ſiue ex periculoſa, aut valdè longa nauigatione, in qua Sacerdotis copia non eſt, poteſt ſimplex Sacerdos ex Eccleſiæ conceſſione illa vti; ita Syluester verb.confeſſor.cap.1.q.6.diſt.7. Couarr.c.alma p.1.ff.11.num.8. Suarez diſp.26.ſeſ.7 Rodriquez tom.1.Regular.q.62.ar.7. Molina tract.3. de iuſtitia diſput. 63. nu.5.Sanchez lib.2.moral.c.13. num.7. Sayrus lib. 2. Thæſauri cap.20. num. 28. Sanchez verò loc.cit. ex Corduba aliquam affert limitationem. Vt aliquis nõ ſpontè, ſed ex cauſa vrgẽte coactus tale periculum adeat, quæquidem limitatio multis, nimis rigida apparet. Nàm ratio cur

Aa 2 Ec-

Eccleſia in mortis periculo omnibus Sacerdotibus abſoluendi poteſtatem tribuat, eſt quia peccator in tali caſu, tùm iure diuino poſitiuo, tùm etiam naturali charitate, erga ſeipſum ad confitendum obligatur, quæ obligationis ratio etiam locum habet, ſi aliquis ſine neceſſitate, ſed ſua ſpõtè voluntate mortis periculum adeat, v.g. in iuſto bello, vel maris nauigatione.

Et ſi extrà mortis articulum, aliquis pro venialium abſolutione ad ſimplicem Sacerdotem adeat, poteſt ne ea abſoluere? Affirmatiuè reſpondet Nauarrus in cap. placuit num. 23. de pænitentia deciſ. 7. ſimulque cũ eo Sotus loc. cit. dicentes; Simplicem Sacerdotem habere hãc poteſtatem habitualem à lege, nàm omnes Sacerdotes habent hoc ex tacita conceſſione Eccleſiæ. Et ſi mortalia peccata alias confeſſa, ei confiteri vellet, valet illa confeſſio? Caetanus in ſumma in verbo abſolutio dicit, quod valet, quia non eſt neceſſaria iuriſdictio in peccatis, iam confeſſis, ſuppoſito tamen, quod peccata illa mortalia Sacerdoti approbato ab ordinario, prius confeſſa fuiſſent, idem docet Nauarrus in cap. placuit de pænitentia deciſ. 6.

Sed quid dicendum eſt, ſi in mortis articulo adſit Confeſſarius ordinarius, vel delegata iuriſdictione prǽditus, ſimulque cum eo ſimplex Sacerdos, nullam habẽs iuriſdictionem, poteſt nè validè infirmum abſoluere? negatiuè aliqui reſpondent Doctores. Et ſunt Valentia tomo 4. diſp. 7. q. 10. par. 2. Rodriquez tomo 1. ſum. cap. 58. concluſ. 3. Molina diſput. 63. Sylueſt. verb. confeſſ. 1. q. 6. dicto 7. Couarru. loco cit. concluſ. 8. Guttierez lib. 2. c. 19. num. 5. Sanchez cap. 13. num. 7. Suarez loco cit. diſp. 26. ſectio. 4. num. 4. Zambra. ci. cap. 4. dub. 4. Ratio, quam adducunt ſupracitati Doctores eſt huiuſmodi. Nã poteſtas abſoluendi à quibuſcũque peccatis in mortis articulo ſimplici Sacerdoti, iure extraordinario, & ratione neceſſitatis conceditur abſente proprio Sacerdote, vt Tridentinum Concilium ſeſſ. 14. cap. 7. decernit, ergò ceſſante neceſſitate per illius præſentiam, hæc extraordinaria poteſtas ceſſat. Ita Abbas in cap. cum venerabilis, de conſuetudine: *Cum aliquid conceditur propter neceſſitatem, durat conceſſio, quatenus vrget neceſſitas.* Idem ſub diuerſis verbis Concilium Carthaginenſe 3. cano. 32. confirmat. *Presbyter in conſulto Epiſcopo non reconciliet pænitentem, niſi abſente Epiſcopo, vltima neceſſitas cogat, etc.*

Cõfirmatur, nàm in extrauag. cap. 1. ff. decernimus de excommunicatione habetur: *A cenſura excommunicationis reſeruatæ, neminem in mortis articulo abſolui poſſe, ſi facilius ſit recurſum ad Superiorem, ad quem abſolutio de iure*

iure ſpectat, ergò ſimiliter nullus Sacerdos iure extraordinario a peccatis in mortis articulo abſoluere poteſt, niſi ob legitimū defectum per abſentiam, atqui ſi adeſt ergo, &c.

Sed magis mihi placet oppoſita ſententia, docens in mortis articulo, cum nulla ſit peccatorum reſeruatio, ita neque Confeſſarij diſtinctio Tridētinū Cōcilium ſeſſ. 14. cap. 7. dicit; *Omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſe etiam ab hæreſi, & in bulla Cenæ*. Sed difficultas conſiſtit. An ſi ſit præſens Sacerdos approbatus, poſſit ſimplex auſcultare infirmi confeſſionem in illo mortis articulo. Reſpondeo cum Nauarro cap. 23. num. 17. & num. 36. & Symman. de Catholic. inſtitut. titul. 4. num. 3. affirmatiuè. Nam infirmus in illo mortis articulo habet priuilegium eligendi quemcumque confeſſarium. Sicut, & ille, hoc priuilegio vtitur, qui eſt damnatus ad mortem, ergo, &c.

Immò Sotus in 4. ſententiarum diſtinct. 18. quæſt. 2. artic. 3. inquit; quod ſi alicui per priuilegium conceditur, vt ſibi Confeſſarium eligat. An iſte, quemcumque Sacerdotem eligere poſſit? Reſpondit, quid ſic, quia in libertate impetrantis ponitur eligendi ſibi, quem maluerit Sacerdotem, nam auctoritas, tūc conceditur a Papa illi Sacerdoti, ſic electo a perſona priuilegiata, alias quid operaretur priuilegium, ſi ab ordinario approbatum eligere deberet, quem poterat abſque priuilegio eligere. Priuilegia, vt ſonant interpretanda ſunt, ſi tenor priuilegij, vt eligat ab ordinario approbatum, ad vnguem obſeruari debet, prout ſonat, ſecus verò ſi non ita loquitur Gloſa verbo ex inſpect. de priuilegio Nauarrus in cap. placuit num. 42. de pænitentia deciſ. 6. & Adrianus in quarta quæſt. de Confeſſ. dubio, &c.

Dixi ſimplicem Sacerdotem, abſoluendi iuriſdictione carere, excepto neceſſitatis caſu: multo magis dico de Sacerdote excomunicato non tolerato, ſi adſit Sacerdos toleratus, etiam ſi ſimplex ſit, & non expoſitus, poteſt. Vide Suarez loc. cit.

Percontor poſſint nè, extrà extremam neceſſitatem, Sacerdotes ſimplices approbatione ab ordinarijs carentes, abſoluere aliquos? Reſpondeo affirmatiuè, nimirum Epiſcopos, aliaſque perſonas exceptas, & hoc per poteſtatem ordini annexam: ita Nauarrus in capit. placuit num. 52. de pænitentia deciſ. 6. vbi rationem adducit, quia Concilium loquitur de ſæcularibus, & ſubditis, cuiuſmodi non ſunt Epiſcopi, & Regulares, vel exempti.

Quæres, qui ſunt cuiuſcunque ſtatus proprij Sacerdotes, ſeù Confeſſarij? Dico principaliter

liter eſt Papa. Secundò legati Apoſtolici, Epiſcopi. Tertiò ſub nomine Epiſcopi includuntur Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi. Quarto omnes habentes Epiſcopalem iuriſdictionem, nempè Parrochi, Religionum Prælati, iſti omnes dicuntur ordinarij, & proprij Sacerdotes erga ſuos ſubditos; ita Aſtenſis lib. 5. titul. 14. & 15. Hoſtienſ. in ſumm. num. 15. & infra titul. de pænitentia, & remiſſione capit. Papa. Syluest. verb. confeſſ. c. 1. ſt. 1.

Itaq; proprius Sacerdos, proprius Iudex dicitur ille, qui ab ordinario eſt approbatus; ſic diffinitum eſt in Concilio Florentino ſub Eugenio Quarto, cuius verba ſunt: *Sacramenti pænitentiæ miniſter eſt ſolus, & omnis Sacerdos habens authoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris*. Idem diffinitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. cap. 6. Item Canon. 9. & Canon. 10. Vndè aduertit Sotus loco citato, dicens, alium eſſe proprium Sacerdotem, & alium legitimum. Proprius, eſt ſolus Parrochus, qui ordinariam poteſtatem habet; legitimus eſt omnis approbatus ab ordinario, qui habet delegatam authoritatem; ita aſſerit Concil. Tridentin, ſeſſ. 4. c. 7.

Sed paulò ante dixi, ſimplicem Sacerdotem in mortis articulo, nullam habere facultatem præſente Sacerdote ab ordinario approbato. An currit eadem difficultas, ſi in extrema neceſſitate in præſtando infirmo pænitentiæ Sacramentum, concurrūt ſimul Parrochus, & Sacerdos expoſitus. Reſpondeo cum duabus opinionibus, quas ſupra adduxi. Prima, quod præſente Parrocho, ceſſat Sacerdos inferior approbatus. Secunda, quod ad libitum infirmi reſtat electio, quam ex duabus eligere vult remitto, &c.

E ſi infirmus in illo articulo, omnibus cenſuris eſt irretitus, & adeſt Prælatus, qui propriè hanc facultatem habet ab his abſoluendi cenſuris; adeſt quoque Parrochus; adeſt etiam ſimplex Sacerdos, poteſt nè relictis Prælato, & Parrocho ab his cenſuris, & reſeruatis à ſimplici Sacerdote abſolutionem petere? Cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ reſpondeo, quod poteſt. Verùm ſi inferior Sacerdos infirmum abſoluit ab omnibus peccatis, ſimulque cum reſeruatis, quibus quoque annexa eſt excomunicationis cenſura Superiori reſeruata; tunc abſolutus ceſſante mortis articulo, ſiſtere ſe debet Superiori, ad quem de iure, ordinario abſolutio pertinet; de aliorum verò peccatorum abſolutione, nulla prorſus eſt dubitatio.

Nuper dixi cum Eminentiſſimo Caietano, quod in Sacerdote multa requiritur ſcientia, vt benè ſciat ligare, & ſoluere.

Re-

Requiritur quoque prudentia, & bonitas, in quibus ſi deficit, ſubiungit Chryſoſtomus ſuper
Matth. 23. illa verba Matthęi 23. ſuper Cathedram Moyſi, &c. *Vilis terra præcioſum aurum producit, aurum autem eligitur, terra verò relinquitur, ſic vos doctrinam Sacerdotis ſumite, mores autem relinquite*. Et Iſydor. lib. 11. Etymol. ait: *Quod Salamandra eſt ſerpens quidam, cuius inter venena maxima vis eſt. Hæc ſi trunco, vel radici arboris, irrepſerit, omnia poma eius inficit, & ramos. Iſto modo Salamandra, ideſt Diabolus, qui viuit in igne inuidiæ, inficit radices Eccleſiæ, ideſt Sacerdotes, quod omnes rami, venenum ideſt peccatum aſſumunt, ideò vos doctrinam Sacerdotis ſumite; mores autem relinquite, &c.*

CAPITVLVM VIGESIMVM,

An laico, quemadmodum Salomon erat, iudicialis conueniat poteſtas ſpiritualis.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

SVppoſita Salomonis doctrina, multoties adducta, dico, quod in hoc dubio duæ inter ſe militant opiniones, quæ quamuis prima facie diſcordes appareant, demũ ad eundem ſimul tendunt finem. Pro quo notandum eſt, quod plures dantur leges; ſcilicet naturæ, ſcriptæ, vel Euangelicæ. Confeſſio non eſt de lege naturæ, quia in illa non fuit hoc ſacramentum, vt patet, ergo nec ſacramentalis confeſſio. Nec in lege ſcripta; nàm ad peccatorũ remiſſionem, claues non erant Sacerdotibus datæ; nec in dicta lege præceptum reperitur, quo prçciperetur, homines diſtinctè, & explicitè ad peccatorum confeſſionem teneri, ſed in communi tantùm explicantur, vt in leuitico patet. In lege autem Euãgelica confeſſio eſt de præcepto, & de iure diuino, Ioann. 22. Vbi Chriſtus ſolum abſoluendi poteſtatẽ à peccatis tradidit Apoſtolis, & ſucceſſiuè Sacerdotibus; *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quem locum Diuus Chryſoſtomus lib. 3. de Sacram. exponens, ait: *Sicut Pater dedit mihi pleniſſimam poteſtatem, ità & ego dò vobis;* de quo videndum eſt Tridentinum Concilium ſeſſ. 14. c. 1. 4. 6. 7. & 8. D. Chryſoſ. li. 3. de Sac.

Et ſi quæratur. An deficiente omni Sacerdote poſſit laicus in mor-

mortis articulo abſoluere à peccatis, & à caſibus reſeruatis, vel Eccleſiaſticis cenſuris. Reſpondet Sotus in 4.ſentent.q.4.art.1. & 4.ſimul in Trident.Concil.ſeſſ. 14.cap.7. *Quod omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt*; Et nullam menſionem facit de Laicis, ergo non poſſunt.

Contra, Sylueſter verba abſolutio.1.num.8.immo, & verbo confeſſor.1.ff.7.inquit, quod Laici poſſunt in mortis articulo abſoluere ab excommunicatione, & ſic ab omnibus cenſuris Eccleſiaſticis, prout in Cap. querenti de verbo figuli, ergo Laicus in mortis articulo aliquid operatur, ergo &c.

Huic difficultati reſpõdet Aſtẽſis lib.5.titulo 14. q.7. ſed dubiũ proponit, antequam ſuam manifeſtar reſponſionem, dicens. Si quis alicui ſua confiteretur peccata, qui non eſt Sacerdos, & inculpabiliter ignoraret, à quo etiã abſolutionem accipit (licet perperam) ſi attritus accedat virtute illius confeſſionis, & abſolutionis fiat contritus? Huic dubio ipſemet reſpondet titulo 13.q. 3. Quod cõfeſſio facta Laico valet ad diminutionem pęnæ per meritum confeſſionis, nõ tamen illa pęnæ diminutio ex virtute clauium conſequitur. Ita cõfeſſio non Sacerdoti ignoranter facta, eſt pęnitenti meritoria, licet pęnitentiæ Sacramentum non ſuſceperit. Vnde ex attrito non fit contritus, quia authoritate clauium illa tribuitur. Verum poteſt eſſe, quod per confeſſionis progreſſum pęnitens fiat cõtritus ex charitatis feruore, vel ex doloris vehementia, vel ex auxilio Diuino. Vt de Magdalena Diuus Auguſtinus homil.23.ait. D.Aug.homil.23. *Acceſsit ad Dominum immunda, vt rediret munda, acceſsit ægra, vt rediret ſana, acceſsit confeſſa, vt rediret profeſſa*. Poteſt enim fieri ex diſpoſitione pęnitẽtis mutantis in ſe diſpoſitionem doloris imperfecti, in diſpoſitionem doloris perfecti per charitatem in cor eius à Spiritu Sancto infuſam. *Et iſte eſt dignus venia ex Sacerdotis deſiderio*, addit Symbol. de Cathol.inſtitu.titul.32.nu.9. & in cap. quem pęnitet pęnitens. De. 1. Et D.Thomas in Addit.3.p.q. 8.ar.2.ad 2.docet. *Quod quamuis Laicus non ſit Iudex eius, qui ſibi confitetur abſolutè, tamen ratione neceſsitatis accipit iudicium ſuper eum, ſecundum quod confitens ex deſiderio Sacerdotis ſe ei ſubdit.*

Imò ſi ſecuta morte Laicus, ad quem in extrema neceſſitate pęnitens confeſſus eſt, ſi per annũ, vel plus ſteterit nõ confiteri, ob quod Eccleſiaſtica ſepultura carere debeat, per hanc confeſſionem Laico factam, in Eccleſia ſepeliri poteſt; ita Cap. Omnis vtriuſque: ergo ſemper aliquid operatur, ergo tàm Sacerdos, quàm Laicus in neceſſitate, pęnitentis peccata audire poſſunt. Dices, & ſi ambo pænitentis

peccata reuelant, nempè Sacerdos, peccata, quæ non in Sacramentali confeſsione audiuit, & Laicus non ſecuta abſolutione, in quam pœnam incurrunt.

Reſpondeo primò cũ D. Th. in addit. 3. p. q. 11. art. 3. in corpo. *Quod ſi aliquis nempè Laicus, qui non eſt Sacerdos, in aliquo caſu participat aliquid de actu clauis, dum confeſsionem audit propter neceſsitatem, ita etiam participat aliquid de actu ſigilli confeſsionis, ea tenetur celare quamuis propriè loquendo ſigillum confeſsionis non habeat.*

Reſpondeo ſecũdò cum Nauarro in cap. pen. ff. Sacerdos nu. 14. de pœni. de. 6. vbi equiparando has inter ſe confeſſiones inquit. Quod Sacerdos non Canonis pœnas, ſed arbitraria caſtigari debet. Laicus non, vt fractor ſigilli confeſſionis, ſed vt reuelator ſigilli ſecreti, & quia reuelauit, quod extra confeſsionem audierat, peccatum mortale cõmiſit, ſolum in foro exteriori reuelando, ſeu frangendo ſecreti ſigillum: niſi in quibuſdam caſibus, quando in Ciuitate adſunt Hæretici, malefici, necromantici, ſtriges, vel quid ſimile, tunc tam Sacerdos, quam Laicus de pœnitentis licentia tales Epiſcopo denũciare debent: ita D. Th. 2. 2. q. 68. art. 1. ad. 3. *Quod reuelare ſecreta in malum perſonæ eſt contra fidelitatem: non autem ſi reuelentur propter bonum commune, quod ſemper præferendum eſt bono priuato. Et ideò contra bonum commune nullum ſecretum licet recipere, nec tamen omninò eſt ſecretum, quod per ſufficientes teſtes poteſt probari.* Et idem D. Thomas loc. cit. q. 33. ar. 7. in corpore dicit. *Quædam enim peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale, puta ſi aliquis occultè tractet, quomodo Ciuitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus priuatim homines à fide auertat. Et quia ille, qui ſic occultè peccat, non ſolum in te peccat, ſed in alios, oportet ſtatim procedere ad denũciationem, vt huiuſmodi impedimentum impediatur.* Et loco citato quæſtione ſeptuageſima articulo primo ad ſecundum, idem Angelicus Doctor his verbis docet. *Quandoq; enim ſunt talia, quæ ſtatim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur, puta, ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel in graue damnum alicuius perſonæ, vel ſi quid aliud eſt huiuſmodi, quod quis propalare tenetur, vel teſtificando, vel denunciando* Vnde concludit Nauarrus in c. 1. nu. 77. de pœnit. dec. 6. Laicum audientem aliquando confeſſionem teneri non ſolum ſigillo ſecreti, ſed etiam ſigillo confeſſionis.

Itaque Laicus in mortis articulo, poteſt confeſsiones audire, quæ eſt oppoſita ſententia principaliter à Diuo Auguſtino cõfirmata dicente: *Tanta vis confeſsionis eſt, vt ſi deeſt Sacerdos confiteatur proximo.* Et Venerabilis

Beda.

D. Th. 2. 2. q. 68. art. 1. ad 3.

D. Th. loco cit. q. 33. ar. 7. in corpo.

D. Th. loco cit. q. 70. ar. 1. ad 2.

D. Auguſt.

Beda. Beda. *Sed, & grauiora coæqualibus pandenda ſunt, cum deeſt Sacerdos, & urget periculum*. Hanc Magiſtro ſententiarum in 4. diſtin. 17. D.Th. q. 3. in addit. q. 8. art. 2. & D. Thomæ Angelico ibidem q. 3. Et in addict. q. 8. art. 2. opinionem attribuunt, docentibus. *In neceſsitate, urgente periculo mortis, confeſsio etiam mortalium eſt facienda Laico*, quos ſequutur Gabriel, Paluda, Maior, Durandus, Marſilius, Riccardus, & alij.

Arguunt Contrarij. Qui ſine vtilitate diffamat ſe, à tali actione abſtinẽdus eſt, ſed potius eſt, ſalutis detrimentũ confiteri Laico, quia abſque vtilitate ſe diffamat, ergo non debet ei confiteri. Reſpondeo negando, quod talis diffamat ſe, dum extra cõfeſsionem, etiam dicere poſſum peccatum meum, vt mihi detur conſilium, vel auxilium; vnde ſi infamia timeretur, aut confeſſionis reuelatio, tunc nec Sacerdoti eſſet facienda. Et ſi ex confeſsione facta Sacerdoti ſequitur inde aliqua vtilitas, nõ minus ex confeſsione facta Laico, nempè ipſa ſubiectio, ſeu humilitas, quæ verecundiam parit, & eſt ſatisfactionis pars. Hanc cõfeſsionem Laico, antiquis temporibus magis in vſum fuiſſe. Nunc aliquando, vt in naufragio.

Verum plus Sanctis credendũ eſt, quam contrariorum leui rationi. Et ſi Angelicus Doctor in ſolu. ad pri. ſimul cum Magiſtro, & Diuo Auguſt. & Beda dicunt, quod poteſt fieri, & debet fieri. Hoc fieri, & debet fieri non dicit præceptum, ſed conſilium. Confirmat hoc D. Thom. 3. p. q. 12. art. 1. ad 2. *Quod Laicus iuſtus unitus eſt Chriſto unione ſpirituali per fidem, & charitatem: nõ autem per ſacramentalem poteſtatem, & ideo habet ſpirituale Sacerdotiũ ad offerendas ſpirituales hoſtias, de quibus dicitur in Pſal. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Nam firma fide tenendum eſt, confeſſionem ſacramentalem nũquam fieri poſſe Laico, ſed dumtaxat Sacerdoti, qui charactere ſacerdotali inſignitus ſit: ſic diffinitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. Concilium Tride. ſeſſ. 14. de pœn. Can. 10. de pęnit. Cano. 10. cuius verba ſunt: *Si quis dixerit non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum. Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cælo; & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cælo. Et quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retenueritis retenta ſunt. Anathemata ſit.*

Et Sanctus Bonauentura in 4. S. Bonauen. diſtin. 1. p. 3. art. 1. qu. 1. inquit. *Si in mortis articulo deſit omninò Sacerdos, etiam Laico confitendum eſſe, quod non intelligitur in ordine ad ſacramẽtalem abſolutionem, ſed ſolummodo ad contritionem excitandam, & maiorem ſui confuſionem promouendam, quia talis peccatorum confeſsio nõ in præcepto eſt, ſed in conſilio, vt hominum ſaluti, quantum in nobis eſt, nihil deeſt.*

Hinc inſurgunt iurgia, & diſcordiæ, quando Laici Eccleſiæ iuriſdictionem ſibi arrogant, nec vnus alteri cedere vult, & in hoc delectatur Diabolus, qui ad bella inſtigat, vt dicitur lib. 26. hiſtoriar. Cum Henricus tertius celebraret Pentecoſten apud Magũtiam populo ante miſſam, cum ſedilia pararentur in Eccleſia, ortum eſt iurgium inter cubicularios Archiepiſcopi, & Ducis Ciuitatis, vtrorumque Dominus iuxta Imperatorẽ ſedere volens à dextris, ſic ventum eſt ad pugnam, & pauimentum Eccleſiæ ſanguine inundauit. Sed ſtatim Epiſcopis conuenientibus, pace inter reliquos facta, templum purgatum, ſiue reconciliatũ eſt, & miſſa incepta, ſequẽtia autem cantata, in vltimo eius verſu videlicet. Hunc diem feciſti glorioſũ. Vox ab alto lapſa eſt. Hunc diem ego feci bellicoſum. Hæc fuit vox Diaboli, qui ad diſcordias, ad iurgia, & ad bella inter ſpiritualem, & temporalem, inter Eccleſiaſticum, & ſæcularem inſtigat, habet ſuos ſeruos, habet ſuos famulos, qui inter huiuſmodi diſcordias ſeminant, quemadmodum inter Religioſos, inter vicinos, & cognatos; vnde valdè periculoſum eſt habere hominem mendoſum in aliqua ſocietate.

Quà propter legitur, quod quidam Diues habuit tres filios. Vnus fur, alius potator, tertius fuit mendoſus. Furem fecit procuratorem ſuorum bonorum, & ſic ex furto, rerum patris fuit ſatiatus, nè alijs hominibus furaretur. Potatorem fecit procuratorem Creuiſiæ, qui ſic fuit ſatiatus. Sed Mendoſum non potuit cõpeſcere: cõtra talem loquitur Pſalmus 49. *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* Vnde Diuus Gregorius in paſtorali inquit. *Per linguam incontinentem diſcordia propinatur; omnes enim diſcordiæ, lites, & odia, quæ ſunt in hoc mundo ferè habent originem per malam linguam.* Ergo habere in ſocietate tam ſpirituali, quam temporali pacis perturbatorem, formaliter infernus erit, vbi nulla quies, ſed ſemper horror inhabitat, ergo expellendi ſunt iſti, & eijciendi, tanquam Diaboli famuli, diſcordias ſeminantes, quibus eiectis, tam Eccleſiaſticum, quam temporale in pace quieſcunt, dummodo vnus alteri cedat, nam ſi in hoc repugnant; En ſuperbia, quæ eos inflat, iuxta illud Prouerbiorum 13. *Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia.* Superbus, nullum reputat ſua ſocietate, & amicitia, dignum. Vbi ergo ſunt duo ſuperbi viri inter illos eſt ſemper diſcordia. Sic etiam, vbi ſunt duæ ſuperbæ mulieres, ſempet mutuò litigant. Cuius exemplum recitat D. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 10. Quod fuerunt tres Deæ ſedentes iuxta fontem, ſcilicet Iuno, Pallas, & Venus. Dea verò diſcordię proiecit pomum aureum

Pſal. 49.

D. Gregor. in paſto.

Prouerb. 13

D. Auguſt. lib. 18. de Ciu. cap. 10.

reum

reum in fontem, in quo ſcriptum erat, pulchriori detur: hac occaſione, vt inciperent illæ mulieres de pulchritudine contemnere. Quælibet earum ſe alteri præferebat in pulchritudine. Tandem elegerunt Paridem, qui erat filius Regis Troyæ, qui dictus eſt paris à paritate iudicij, cui ille pomum daret, illa pulchrior haberetur. Iuno permiſit Regi, diuitias. Pallas laudem, & honorẽ. Venus pulchram mulierem. Tũc Veneri adiudicauit pomum aureum. Moraliter inquit Auguſtinus, illæ tres mulieres litigantes ſignificant nobis tres ſtatus hominum, qui ſemper litigant, & diſcordant. Iuno diuites ſignificat. Pallas ſapientes, tàm Eccleſiaſticos, quàm ſæculares. Venus mundanos. Diuites, tanquam auari, & inuidi ſemper litigant. Sapientes, ideſt Eccleſiaſtici, & ſæculares, illi pro immunitate Eccleſiæ; iſti pro Regia iuriſdictione, vnus non vult alteri cedere. Mundani, vana gloria inflati, fumus ipſe vanus ſuperbiæ à terra, ideſt à mortalibus, ex terrenis hominibus eleuatus, cauſa eſt, quod in aere, ideſt in patria generantur riſſarum turbines, tribulationum fulgura, fulmina rapinarum, tonitrua diſcordiarum, & pluuiæ lacrymarum, & hoc, quia vnus nolit alteri ſubeſſe.

Sed vbi inuenitur, nec inueniri poteſt maior vnio, quam inter virum, & vxorem? nàm ſunt duo in carne vna, & nihilominus iſta vnio multoties in maxima diſcordia, & diuiſione conuertitur. Ratio, quia vxor non vult ſubeſſe viro, cui de lege diuina, & humana vrbanitate iuxta Apoſtolum Paulum ſubire debet. Modo totum videtur oppoſitum. Vir vult vnum, & mulier contrarium operatur. Sicut legitur de quodam viro, qui habuit vxorem, quæ cæcidit ad flumen, & ſubmerſa eſt, & vir quærebat eam contra flumen ſurſum. Et cum alius ei diceret, quod deberet eam quærere inferiùs, ſecundum curſum fluminis. Reſpondit vir: Vxor mea ſemper fuit mihi contraria in vita, ſic eam arbitror in morte fuiſſe; vndè credo, quod contra flumen aſcenderit.

Ideò tám Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus pacem quærere oportet, nàm dicit Diuus Hieronymus: *Sicut ex concordia paruæ res creſcunt, ſic ex diſcordia res maximè dilabuntur.* Exempla habemus ad oculum; Videmus enim, quod monaſteria magnæ opulentiæ ex diſcordia in habitantium ad inopia ſunt deducta. E contra alia ex concordia ad magnas deueniſſe diuitias. Recitat Magiſter Ioannes Zaccharia ſuper Apocalypſim ſe audiuiſſe, quod in Anglia in partibus Vuallìæ ſit quædam magna Abbatia, quando Monaci illius magni Monaſterij ſunt diuiſi, & diſcordes, tunc conueniunt circum- D. Hieron.

cum-

cumquunque omnes glires, & mures,& animalia nociua,& corrodunt,atque conſumunt omnia victualia illius Monaſterij, & ſic Monachos diſcordantes faciunt concordes,qui ſtatim concordati, & pacificati recedunt omnes ille beſtiæ,& tandiù foris Monaſterium manent,quandiù Monaci in pace, & concordes ſunt.

Propter peccata Deus omnia ordinat bella in Mundo, ideò hoſtem debemus procul à nobis repellere, nempè in obedientiã mandatorum Dei.Si enim homo pugnaret contra vitia non indigeret pugnare contra homines, ordinat tamen Deus aliquando homini bella, & aduerſitates, vt ſit in continua pugna,nè in vitia corruat.Sic Romana Ciuitas,cũ bellis, & diſcordijs vexebatur, virtuoſis exercitijs ſe occupabãt
D.Aug. Ciues, vt narrat D. Auguſtinus lib.1.de Ciuit.Dei cap. 30. Sed poſtquam Carthago fuit ſubuerſa,ocio,libidini, & gulæ ſe dederunt; ſicut enim humanum corpus ocians, infirmum redditur, ſic populus ab extra non vexatus,vitijs oppugnatur.

Ideò aliquando vtile,& expediens eſt, quod bellis vexetur aliqua Ciuitas ad cauendum inteſtinum bellum; quia timor exterior hoſtium, eſt cauſa domeſticæ concordiæ: ſic dicit Diuus
D.Aug. Auguſtinus lib.11.de Ciuit. Dei cap. 18. Vndè quidam ædificator pulchram ædificauit Ciuitatem;quæ ædificata multos ſapiẽtes vocauit, & ab eis quæſiuit, quomodò poſſum facere Ciuitatem iſtam in expugnabilem inimicis, & cum multi multa dixiſſent. Interrogatus Seneca dixit: Seneca. *Si vultis, quod hæc Ciuitas ſit inexpugnabilis,hoc erit ſi Ciues in ea erũt vnanimes, & concordes*. Ex hoc enim denominatur Ciuitas,quaſi Ciuium vnitas.Similiter ex hoc denominatur communitas Eccleſiaſtica, communitas ſæcularis,ideſt vnitas ſpiritualis,vnitas temporalis, & quia anima à ſpirituali gubernatur;corpus à temporali,vniendo ſpirituale, & tẽporale,optimè ſe habet anima, & opulenter corpus.

Sed dubium inſurgit. Vtrum iniuriæ malorum contradicentium Eccleſiam ſint tolerandæ? Reſpondit Diuus Thomas 2. 2. D. Tho. 2. 2. q. 108. ar. 1. ad 2. & 4. q.108.art.1.ad 2.& ad 4. *Quod mali tolerandi ſunt à bonis precisè Eccleſiaſticis, in hoc, quod iniurias proprias patienter ſubſtinent*,ſecundum quod dicit Gloſa ſuper illud Canticorum, ſicut lilium inter ſpinas: *Non fuit bonus,qui malos tolerare non potuit*. Secundò ſi eius iniuria redundat in iniuriã Eccleſiæ non debet ſuſtinere, ſed ſe vendicare per Iudicem. Vndè D. Auguſtinus in epiſtola D.Aug. ad Bonifacium, & ponitur cap. de Epiſcopis 23.q.4. Vbi Maximinianus commendat Epiſcopũ inuocantem auxilium Imperatorum contra hoſtes Eccleſię, dicit Auguſtinus ibidem: *Si hoc nõ feciſſet non fuiſſet in eo laudanda*

pa-

patientia, ſed reprahendenda ſua negligentia. Tertiò, *quando vergit in iniuriam Dei, tunc poteſt quis propriam iniuriam vlciſci, non Zelo vindictæ exercendæ, ſed Zelo diuinæ iuſtitiæ manifeſtandæ*. Non enim peccant Iudices reum iudicando, dummodò hoc non faciunt ex odio, aut ira, vel amore ſanguinis effudendi.

D. Tho. loc. cit. ad 4. Quare Diuus Thômas 2. 2. q. 64. ar. 4. dupplici ratione docet, quod Clerici, & Sacerdotes pro hac vindicta exercenda vti non debent gladio materiali. Prima, quia ſunt electi ad altaris miniſterium, in quo Chriſti paſſio repræſentatur, qui cum percuteretur non repercutiebat, vt dicitur 1. Petri 2. ideò non conuenit, vt Clerici ſint percuſſores, debent enim miniſtri, ſuum imitare Dominum, iuxtà illud Eccleſiaſtici 10. Eccl. c. 10. *Secundum Iudicem populi, ſic, & miniſtri eius*. Secunda ratio eſt eiuſdem Angelici Doctoris loc. cit. q. 40. art. 2. in corp. *Clericis nō competit eis occidere, vel effundere ſanguinem, ſed magis eſſe paratos ad propriam ſanguinis effuſionem pro Chriſto, vt imitentur opere, quod gerunt miniſterio*.

Et ſi quæres. An liceat Clericis aliquo modo arma ſumere, & portare.

Reſpondeo primo cum Diuo D. Thomas. Thoma loco citato ad primum: *Prælati, & Clerici non materialibus armis in propria perſona vtendo, ſed ſpiritualibus, nempè deuotè orationes, &c.*

Reſpondeo ſecundò cum Gloſa in Decret. cap. 23. de Epiſcop. q. 8. Quod quatuor ſunt recitandæ opiniones. Primi dicūt, quod Clerici poſſunt vti armis defenſionis, vt clypeo, & lorica, ſed non armis impugnationis, vt enſe, lancea, gladio. Ita D. Tho. loc. cit. ad ſecundum: *Quod Clerici, ex authoritate ſuperioris poſſunt intereſſe bellis, non quidem, vt ipſi propria manu pugnent, ſed vt iuſtè pugnantibus ſpiritualiter ſubueniant ſuis exortationibus, et abſolutionibus, etc.* Secundi dicunt, quod liceat eis ea ſumere, ſed nō vti, niſi cauſa defenſionis, & quādo aliter euadere non poſſunt, vt in cap. ſuſcepimus. Tertij dicunt, quod authoritate Papæ hoc poſſunt. Sed Gratianus dicit, quod hoc poſſunt per alios, non in propria perſona, vt in cap. de Epiſc. 23. q. vltima. Hanc opinionem tenet Diuus Bernardus ad Eugeniū: D. Bern. ad Eug. Vbi de duobus gladijs diſputat, quos Eccleſia habet dicens: *Aggredere hoſtes Eccleſiæ non ferro, ſed verbo, quid tu denuò vſurpare tentaris, quod ſemel iuſſus es reponere in vaginam, quem admodum dixit Petro Chriſtus, cōuerte gladium tuum in vaginam; tuus ergo gladius non eſt euaginandus in manu tua*.

Dicit ergo Gloſa, quod licet Clericis arma portare in quatuor caſibus. Primò pro defenſione Eccleſię, & ſui, ſed maxima Vt in capit. extra de regula 3. cogente neceſſitateque omnia licitum facit. Secundò contra

Pa-

Paganos iuſſu maioris; vt in cap. 23. de Epiſc. q. vlt: Tertiò pro defenſione iuſtitię, vt de primæ diſtinc. 5. cap. falſas. Quartò poſſunt etiam portare arma ſi tranſeunt per loca periculoſa ad terrorẽ latronum, licet percutere non debeant.

Quidquid dico de Clericis; affirmo de Religioſis. Excipiuntur tamen Religioſi Sancti Ioannis, & Sancti Gregorij, quibus pugnare conuenit contra infideles.

CAPITVLVM VIGESIMVMPRIMVM,

De lapſu, & pænitentia Salomonis.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

D. Auguſt. Diuus Pater Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 21. de Salomone, loquens inquit: *Salomonis initia deſiderio ſapientiæ flagrauerāt, quam cum amore ſpirituali adeptus eſſet, amore carnali amiſit.* Theodoret. Et Theodoretus de magna Salomonis ingratitudine obſtupeſcens, qui diuinorum donorum cumulum voluntariè oblitus eſt in 3. Regum qu. 35. notat: *Iratus eſt Dominus Salomoni, quod auerſa eſſet mens eius à Domino Deo Iſrael, qui apparuerit ei ſecundò, ad amplificandum criminationem, meminit diuinæ reuelationis, quæ bis ei facta fuit. Neque enim per alium Prophetam ei oſtendit, quid agendum, ſed ipſe ei ante omnia prohibuit cultum eorum.* Non minus deplorabilem indicat hāc Salomonis cæcitatem propter peccati ſpurcitias, & ſapientiæ amiſſionem, Diuus Ambroſius Apologia 2. pro Dauide cap. 6. & 7. dicens: *Salomon, ſapientiam, nec principio ſui habuit, nec in fine poſſedit, neque enim habere ſe credidit, quod popoſcit, & poſteà auerſus à Dei cultu, non quaſi ſapiens, ſed quaſi inſipiens propter concubinas lapſus eſt, vt offenderet, offendit enim tantum, vt etiam, quod meruerat ammitteret.* D. Ambroſ.

O execrabilis Salomonis cæcitas, cuius celebris, & inſignis ſapientia, tanquam equus cui nō eſt intellectus à perniciali ſuffocatur libidine: qualis tygris, ita velox inuenitur ad curſum, & ita vorax ad animæ prædam, ſicut libido? qualis ſerpens, ſuaūe habens

Digitized by Google

bens venenum quemadmodum libido? qualis famoſus Hercules, qui tantarum victoriarum ex hoſtibus palmam obtinuit, ſolummodo ab hoc libidinis hoſte victus oſtenditur? Ipſa vaga in vultu, ſed deformis in corde. Amica in apparentia, ſed fera in affectu; liberalis in promiſſionibus, inſidioſa in exequutionibus; Placida oculis, ſed doloſa ſpiritui: oculata fallacijs pluſquã Argus, cæca fauoribus pluſquã talpa; ſemper prõpta ad tradendum, ſemper ſurda ad ſubueniẽdum; numquam ſatura nocendi, ſemper pigra iuuandi. Sacer textus: *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, his copulatus eſt ardentiſſimo amore.* 3.
3. Reg. 11. *Regum* 11. Et Seraphynus de Phermo opuſculo de Aurea, & regali diſcretione ſubdit: *Salomon apoſtata factus eſt religioni, ſuarum colens idola cuncubinarum, qui ſi in diuinorum hauſtu munerũ diſcretè, ac temperatè ſe habuiſſet, fortè in tantùm non corruiſſet exitium.*

Amiſit Salomon ſapientiam, & honeſtatem, ſapientiam dico, quam velut ſomnum ſurgientiſ amiſit, ſicuti, & accepit. Vndè
Rup. Abbas obſtupens Rupertus Abbas lib. 8. de Trinit. c. 2. ait: *Salomon in eo repræhenſibilis eſt, quod data ſibi optione; poſtula, quod vis, vt dem tibi, & ille bonum illud, quod verum & ſummum eſt, nõ poſtulauit, nempè non ipſum Deum, ſed ſapientiam petijt, ideò reprahẽſibilis eſt.* O Thoma, ò Doctor Angelicæ in vtroque Orbe ſẽper immortalis. Cui Chriſtus dixit: *Bene ſcripſiſti de me Thoma, quam mercedem accipias, reſpondit, non aliam, niſi teipsũ;*
quaſi cum Diuo Auguſtino lib. D. Auguſt.
3. meditatio. c. 39. diceret: *O Ieſu dulciſſime, benigniſſime, amantiſſime, deſideratiſſime amabiliſſime, pulcherrimè, infunde obſecro multitudinẽ dulcedinis tuæ pectori meo; vt nihil terrenum, nihil carnale deſiderem, ſed te ſolum amem, te ſolum diligerem, ſcribe deprecor digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui melliflui nominis, nulla vnquam obliuione delendum.*

Sed Ruperti Abbatis difficultas non ſiſtit in hoc. Nàm de omnibus Sanctis, quibus Deus per ſomnum ſua reuelauit myſteria, de nemine in Sacra Scriptura fit mentio, quod ſomnum fuit, niſi tantummodo de Salomone. Hoc clarè patet in Adam,
Geneſi 2. in Abraam Geneſi 15. Gen. 2. Gen. 15.
in Iacob Geneſi 32. in vtroque Gen. 32. Gen. 37.
Ioſeph, Patriarcha Ægypti, & Matth. c. 1.
Virginis ſponſo; qui dormiẽdo, myſterium eis in ſomno reuelatum conceperunt, & nihilominus in Sacra Scriptura numquã legitur, quod ſomniauerunt. De Salomone ſolummodo dicitur, quod ſomnum eſſe cogitauit; Sa-
cer textus: *Euigilauit Salomon, &* Sac. Textus
intellexit, quod eſſet ſomnium; ideò 3. Reg. 3.
inſtar ſomni à Deo ſcientiam obtinuit infuſam; quapropter
inquit Rupertus Abbas loc. cit. Rup. Abbas
Bene intellexit Salomon, quod ſapien-

pientia illa eſſet ſomnium, dùm nō fuit ad Deum directa, ad ſaluandas animas, neque ad bonum populi regimen, neque ad legis diuinæ obſeruantiam; ergo ſomnium eſſe benè intellexit.

Dixi, quod Salomon in nocte, & in ſomno à Deo ſapientiam obtinuit, quæ nox malè de Salomone pronoſticat; quemadmodum Diuus Gregorius lib. 2. moralium cap. 2. explicando illud, Iob. c. 1. Iob cap. 1. *Quadam autem die*: Aduertit, quod fuit malum pronoſticum Iudæ, & Diuiti Epuloni per peccata ab ipſis in nocte commiſſa: *Non rediturus ad veniã* D. Greg. lib. 2. mor. c. 2. *Iudas*, (inquit Gregorius) *quod ad traditionis perfidiam pertinet, nocte exiſſe perhibetur, dicente Ioanne, erat autem nox; & iniquo Diuiti dicitur (hac nocte repetent à te animã) anima quippè, quæ ad tenebras ducitur, non in die repetit, ſed in nocte memoratur.* Peccata in nocte cõmiſſa, animæ pronoſticant interitum, ſicut in Sacra obſeruatur Sriptura. Hinc eſt (proſequitur Diuus Gregorius) *Quod Salomon, qui ſapientiam non perſeueraturus acceperat, in ſomnis hanc, & nocte accepiſſe deſcribitur.*

Et adnotauit Diuus Ambro- D. Ambr. in Luc. c. 22. ſius in Lucam cap. 22. quod illa melliflua diui Petri Apoſtoli verba: *Si oportuerit me mori tecum non te negabo*; dicta fuerunt in nocte, peſſimum pronoſticum maioris lapſus, ſicut eius confeſſio fuit in die. Ambroſius: *Negauit in nocte dicens hominem non noui, confitetur in die, tu es Chriſtus filius Dei viui.* Immò Eucherius, & Rupertus Rup. Abbas Abbas aduertunt, quod peccatũ noſtri primi patris Adami fuit commiſſum poſt meridiem principium Solis occaſ, noctem indicantis, vt ex Sacra colligitur Scriptura: *Deambulans ad auram poſt meridiem*. Et Chriſti mors in Cruce propter Adami peccatũ, fuit eadem hora nona, vt Diuus D. Leo. Leo obſeruat, qua hora tenebræ factæ ſunt ſuper faciem terræ. Indè eſt, quod naſcens Chriſtus media nocte, finem tenebris peccati impoſuit, & lucis gratiæ principium dedit, iuxta illud Iſa- Iſaias c. 9. iæ: *Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis*. Quapropter canunt Angeli, lætãtes benedicunt Dominum. Gregorius Magnus lib. Greg. Mag. lib. 27. mor. 27. moralium: *Angeli hymnum dicunt, ac ſi dicant, quos à vobis peccati malitia diſiunxerat, iam nunc in terra, bonitas nata coniungit*. Et ſi Adam in iuſtitia originali creatus, virtutibus, & ſcientijs imbutus, indè per peccati inobedientiam in poſteros transfuſi, immediatè fuit eiſdem gratijs, virtutibuſque priuatus. Nàm Sapientiæ Sap. c. 12. 12. dicitur: *In maleuolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Ergò quid mirum Salomon, qui in ſomnis, & in nocte ſapientiam accepiſſe deſcribitur, illicò per peccatum amittere debuerat, quemadmodũ noſter Pater Adã,

cuius poſteri per ipſius peccatum pœnis, & erumnis cruciati ſunt. Non minùs Iſraeliticus populus, miſerijs, & afflictionibus per Salomonis peccatum, vt docet Diuus Thomas lib. 3. de regimine Principum cap. 8. *Salomon in fine ſui regiminis decidit in vilia propter delicta, quæ commiſit, quia miſeros facit populos, peccatum.* Concludit D. Ambroſius Comentarijs in Lucam cap. 10. *Ille verè ſapit, cuius animus in Chriſto eſt, & cuius interior oculus erigitur ad ſuperna. Et ideò ſapientis oculi in capite ipſius: ſtulti autem in calcaneo.* Sapientia Salomonis, vt dixit Rupertus Abbas non fuit ad Deum directa, nempè ad mãdatorum ſuorum obſeruantiam; & vt modo, inquit Diuus Ambroſius: *Salomonis animus non fuit in Chriſto erectus, nec interior oculus ad ſuperna.* Hinc eſt, tanquam ſtultus deprauatum eſt cor eius, & populos quoque deprauauit, inſtar peccati Adæ, vt dixi, in poſteris transfuſi.

D Th. lib. 3 de regimi. Princ. c. 8.

D. Ambroſ

Reliquit ergo Salomon Deũ ſuum, & per diuerſas leges, & iniuſtitias, Deos ſequutus eſt alienos, vndè tã quam peccator, titulo priuatur regio; quemadmodum Rex Ochozias, dùm in impietate vixit, 3. Regum 11. Quia peccatum non ſtatim emẽdatum, Principes, ac Reges iudicat indignos: ita obſeruat D. Gregorius lib. 2. moralium cap. 16. *Illa tempora quæ in ſeculi vanitate, & fluxa carnis vitam conſumpſimus, quaſi perdita memorantur, etiam cum dignitatis honore.* De Adamo iam certum eſt; qui per peccatum omnia perdidit per pænitentiam omnia recuperauit.

3. Reg. 11.

D. Gregor.

De Salomone probatur, idem Angelicus Doctor 3. p. q. 85. art. 4. in argum. ſed cant. docet: *Pænitentia eſt ſacrificium quoddam, ſecundum illud pſal. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus;* atqui Salomon inter alia ſacrificia Deo oblata principaliter pænitentiã obtulit, ergò, &c. Probatur minor ex Sancto Bachiario, D. Auguſtini coetaneo in Bibliotheca veterum patrum epiſtola ad Ianuarium de recipiendis lapſis, tomo primo, ita ſcribente: *Audi ergo frater, pœnitentia Salomonis, quæ non ſcribitur publicis legibus, fortaſſe à Deo acceptabilior iudicatur, qui non ad faciem populi, ſed in ſecreto conſcientiæ teſte Deo penituit: veniam autem conſequutum eſſe agnoſcimus. Ad quid verba illa, Deũ time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo, & cuncta, quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, ideſt pro omni occulto:* vertit lectio hæbraica, *hoc eſt ſuadere populo religionis cultum, & principaliter ſibimetipſi, vt perſpicuum Religionis exemplum, dicendo vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

D. Thom. 3. p. q. 85. a. 4.

Pſal. 50.

D. Bachiar.

Sed maior probatio apud D. Hieronymum reperitur in cap. 11. Danielis, vbi inter Sanctos,

D. Hiero. in ca. 11. Dan.

Sa-

Salomonem numerat dicens: *Sicut Saluator habet, & Salomonem, & cæteros Sanctos in typum aduentus ſui, ſic, & Antichriſtus, peſſimũ Regem Antiochum typum ſui habuiſſe credendus eſt*. Nec per hoc intellectus ſuadetur humanus, niſi particulam illam agendi pænitentiam audiat, quam ſi audire cupis, lege eundem Diuum Hieronymum in Ezecchiel. cap. 43. ſuper illa verba: *Oſtende domui Iſrael templum*. Et curioſè, atque diligenter illa conſidera: *Non ſolum*, inquit, *templi cultores, & æditui; ſed & ipſe fabricator eius Salomon peccauerit, & offenderit Deum, licet poſteà egerit pænitentiam, ſcribens prouerbia in quibus ait. Nouiſſimè ego egi pænitentiam*. Et in tabula Aurea Diui Thomæ verbo Salomon, fol. 245. hæc Angelici Doctoris leguntur verba: *Salomon in fine, cognouit errorem ſuum, & pænitens fecit Eccleſiaſten, vt Hieronymus dicit opuſculo* 20: *lib. 3. cap.* 8.

Theodor. q. 24. in Gen.

Inquirit Theodoretus q. 24. in Geneſi. Quare Deus Paradiſum plantauit, ſi homo per quẽ plantauit ingratitudinis pecunia, tàm grande beneficium ſoluere debebat? Si Deus minis, punitionibuſque hominem ex illo propter præcepti tranſgreſſionem conebatur eijcere, & Cherubim ad illius cuſtodiam, cum flãmeo gladio, nè amplius deinceps illum ingrederetur; ad quid iſta Paradiſi plantatio? Reſpondet Theodoretus, quod quamuis è paradiſo homo eiectus fuit, nõ per hoc Paradiſi amenitas otioſa remanſit, hoc euenit, vt homo ſui lapſum conſiderando, magis Deum ipſiuſque gratiam agnoſceret. Theodoretus: *Quia prælibatis diuinis largitionibus, poſtmodũ homo peccatum magis exhorreſceret, cuius culpa tot, tantiſque bonis expoliaretur*. Voluit Deus ad maiorem ſui ipſius cognitionem, quod homo Paradiſi deguſtaret dulcedinem, ad maius pænitendum; nàm bonũ numquam ploratur, niſi quando deperditur. Adam peccauit, Salomon peccauit. Ambo ſcientiam infuſam habuerunt. Ambo per peccatum perdiderunt. Ambo pœnitentiã fecerunt; Ambo inter Sanctos eorum animas collocauerũt. De Adami Sãctitate nullus dubitat. De Salomone audi Diuum Ambroſium appellatione prima Apologia de Dauide cap. 3. vbi ait: *Quid de Salomone ſãcto loquar, cuius poſteriora, cum graui errore non careant, vulgus tamen iudiciũ, ipſum exiſtimant veniſſe pro Chriſto*. Modo dico, quod iuſti nomen & ſancti nomen non conuenit, niſi hijs, qui quamuis peccauerint, nihilominùs criminum maculas per pænitentiã deleuerũt, ſecundum illud Prouerbij 24. *Septies in die cadit iuſtus, & reſurget*. Quod quidem dictum præclarè Diuus Hieronymus epiſt. ad Ruſticum dilucidãdo inquit: *Si cadit, quomodo iuſtus? ſi iuſtus quomodo cadit? ſed iuſti vocabulum*

D. Amb. ep. de Dau. c. 3. to. 1.

Prou. 24.

D. Hier. ad Ruſt.

non

non amittit,qui per pænitētiam ſemper reſurgit. Ad voluptates,lapſus eſt Salomon, mulieres adamādo alienigenas,nàm ſepties in die cadit iuſtus, quod iuſti nomen non amiſit, dùm per pænitentiā ſemper ſurrexit. Confirmatur ex Diuo Hilario in pſal.42.vbi de indulgentia Diuinæ Bonitatis loquendo ſcribit:*Conſcius Dominus infirmitatis humanæ neganti Petro, claues non ademit*. Quæ Hilarij verba certè nihil fiducius, nihil opportunius pro Chriſtianorum ſolatio.

D.Hil. in pſ.42.

Cōfirmatur ſecundò ex Eminentiſſimo Caietano in cap. 21. Ioannis,vbi volens Chriſtus Petro manifeſtare ſuæ paſſionis amaritudinem, per littus maris ſecum deambulando: *Ecce cōuerſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, qui, & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit Domino, quis eſt, qui tradet te?* Quærit modo Caietanus, quare Sanctus Euangeliſta, quando Petrus fiducialiter in ſecreto loquebatur cū Chriſto,dicit,quod Petrus ad ipſum cōuerſus, Chriſtum interrogat: *Hic autem quid?* forſitan per inuidiam loquitur Ioannes, Petrum vidēs in ſecretarij dignitate conſtitutum? Reſpondeo,quod non, ſed ad indicandum, quod Petrus ante peccati negationem animo deſtituitur Chriſtū interrogare, quemadmodum poſteà: *Quia flexit amare, confidenter loquitur*; ipſummet Ioannem (*qui in Cœna recubuit*) in amore, & dilectione ſuperando. Diuus Ambroſius ſermone de innocentia: *Fidelis factus eſt Petrus, poſt quam fidem ſe deperdidiſſe defleuit, atque ideò maiorem gratiam reperit, quam amiſit*. Sed Eminentiſſimus Caietanus magis ad difficultatis punctum connectitur dicendo: *Vſus eſt tot priuilegijs beneuolentiæ familiaritatis, ac fiduciæ inditijs: ad ſignificandum in qualem gradum poſt Chriſti negationem aſcenſus fuerat, vt ſcilicet ipſe Petrus interroget pro Ioanne, tàm dilecto, tàm domeſtico ipſi Ieſu: qui Petrus antequam negaret interpellabat Ioannem, vt interrogaret Ieſum: vt intelligamus in magis internam amicitiam Dei adſcribi, quādoque homines poſt crimina, quam ante habuerant*, hæc ille; ergò indubitanter dicere poſſumus, Salomonem in maiorem Dei amicitiam poſt pænitentiam aſcendiſſe, quam ante habuerat. Nàm vt docet Diuus Hieronymus in cap.2.Ieremiæ; *Peccatum poſtquā ſaturauerit peccatorem, eundem erudit pro eius maiori gloria agentem pænitentiam*. Saturatus eſt Salomon ſenſui complacendo, quæquidem ſaturatio ipſum pro eius maiori gloria ad pænitentiam diſpoſuit, iuxtà illud Ieremiæ c. 2. *Arguat te malitia tua, & auerſio tua increpabit te, uide quam malum, & amarum ſit dereliquiſſe te Dominum Deum tuum*.

Em.Caie.in cap.21.Ioan.

D.Amb.ſer. de inno.

Emin.Caet.

D.Hiero. in c.2.Ier.

Ierem. 2.

Vndè Sacri Expoſitores ſpeculantes illud Lucæ quintodecimo; *Citò proferte ſtolam primam*.

Lucæ 15.

Videns Pater inobedientem filium ad ſe venientem, & cum lacrymis ſuos pedes oſculantem, miſericordiam clamantem, illicò ſeruis imperauit, vt ſine mora ſtolam primam proferrent: *Citò proferte ſtolam primam.* Quæ ſtola prima, aliqui pro veſtitu nouo intelligunt. Alij, veſtem primogenituræ ſignificare. Modo dico, ad veſtiendum inobedientem filium, qualiſcumque non ſufficiebat veſtis? ſed præcepit, vt noua afferatur, vel primogenituræ? Reſpondit Cardinalis

Card. Vgo hic. Vgo hic; *Peccatores pænitẽtes apud Deum primogenituræ locum obtinere, & in omnes filios primogenitum extimari.* Ecce Dauid, vt in Euãgelio patet primum locum poſſidet, in quo magis diuina reſplẽdet miſericordia. En Salomon, in quo etiam ſatis pietas fulget

D. Aug. ſer. 1. de Cruce, & latro. diuina. Et Diuus Auguſtinus ſer. 1. de Cruce, & latrone, inquit; *Dominus Ieſus ſacratiſſimam ingrediens patriam, ſecum latronem introduxit, non conculcans Paradiſum illius operis pietate, ſed honorans, neque confundens latronis introitu, ſed illuſtrans.* Volens Chriſtus, cum omnimoda ſolemnitate, & maieſtate Cælos aſcendere, Sanctos, tàm præclaros, & perſpicuos relinquens, ſolum latronem ſecum introduxit. Quis vmquam vidit aliquem magnificũ Regem pro ſecretariò, famosũ habere latronem? Quis vnquam legit, Regem iturum ad Regni poſſeſſum, cum tàm vili, & infame Comite? Sed ceſſet admiratio, nàm Deitatis maeſtas in ſui Imperij oſtentatione non conſiſtit ſe in Angelorum impeccabilitate oſtendere, ſed in peccatoris pænitentis iuſtificatione, ad indicandum in huius conuerſione, tunc Deum eſſe in infinitum, atque omnipotentem. *Non conculcans, ſed honorans, non confũdens, ſed illuſtrans.* Et cum Diuo Gregorio; *Cum nos ad Cælum reducimur ſolennitatem letitiæ eius implemus.* Solemnitatem letitiæ eius Salomon per ſuam pænitentiam adimpleuit, qui, vt perſpicuum Religionis exemplum dixit; *Nouiſſimè ego egi pænitentiam, quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas, ſubdit Sanctus Bachiarius.* Et Diuus Auguſtinus lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 13. ſcribit; *Audeo dicere, ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum* Cadit Salomon, ſed velocius per pænitentiam ſurrexit, quare copioſius præmiatus fuit. — Super ſcon. gratul. — D. Aug.

Vera namque pænitentia, ſeù veritatis cognitio, nempè Dei, qui eſt veritas per eſſentiam, ex humilitate originem trahit. Vndè docet Diuus Auguſtinus epiſtola ad Dioſcorum. *Non aliam ſibi ad capeſſendam, & obtinendam veritatis viam, inuenias, quam humilitas, quæ monſtrata eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum, tanquam Deus vidit infirmitatem.* Et ſi me interroges, inquit Auguſtinus; *An alia reperiatur via?* abſolutè dicã, quod non; nàm via hæc, tota eſt hu- — D Aug. — D. Aug.

humilitate plena. Auguſtinus; *Ea autem (ideſt via) prima, eſt humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas; & quoties hoc interrogas dicerem, alludens dicto cuiuſdam petentis à quodam Phyloſopho, quod eſſet melius in Rethorica, reſpondit, prima eloquentia, ſecunda eloquẽtia, tertia eloquentia.* En Salomon, cuius profũda humilitas ſatis in S. Script. conſtat 3. Reg. 3. *Dilexit autem Salomon Dominum ambulans in præceptis Dauid patris ſui.*
3. Regũ 3. Dilectio abſque humilitate non præſumitur dilectio, ſed pernicioſa fictio, atque infamis traditio, ecce prima Salomonis humilitas: *Domine tu feciſti, cum ſeruo tuo Dauid patre meo miſericordiam magnam, quia ambulauit in conſpectu tuo in ueritate, & iuſtitia, & recto corde; & nũc Domine Deus fac ſimiliter, ego ſum ignorãs.* 3. Re-
3. Reg 3. gum 3. En ſecunda Salomonis humilitas; *Dà Domine ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum, &*
3. Reg. 3. *malum.* 3. Regum. 3. Ecce tertia Salomonis humilitas: Ergò optimè ei cum Diuo Auguſtino dicere poſſumus. Prima humilitas; ſecunda humilitas; tertia humilitas. Quemadmodum de Chriſto; *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis;* Ecce prima humilitas: Qui ſupra dorſum ſuum tulit omnia peccata noſtra, dicendo; *Super dorſum meum fabricauerunt peccatores;* En ſecunda humilitas; Tertia, *humiliauit ſe, vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Huiuſmodi humilitates ad filij imitationem maximoperè fulgent in Virgine. Prima humilitas; *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ecce Ancilla Domini, &c.* Secunda, cum Dei mater eſſet, ſponſo, primum cædit locum, dicendo; *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te:* Tertia, *cum inducerent puerum Ie-* Lucæ 2.
ſum, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis; dixit ei, ſcilicet Mariæ Sanctus Simeon: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius;* quibus Simeonis verbis, inquit Diuus Bernardus; *Maximam* D. Bernard.
oſtendit Sacratiſſima Virgo humilitatem, de morte filij Patris ſe confirmando voluntati. Et ſi Chriſtus, & Maria, vt ſupra diximus cum Diuo Thoma, ex Salomone ori- D. Thom.
ginem trahunt. Et Auguſtinus D. Aug.
dicit: *Non aliam vobis ad capeſſendam, & obtinendam veritatis viã, inuenias, nempè Cæli viam, quam humilitas, quæ monſtrata eſt ab illo ſcilicet Chriſto, qui greſſuum noſtrorum infirmitatem, tanquam Deus vidit;* ergò quid mirum ſi Salomon pænitentiam egit, & ſecundum Diuum Hieronymum, & Ambroſium inter Sanctos collocatus eſt, dùm in his tribus humilitatis gradibus fundamenta iecit, cum humilitas ſit omnium virtutum fundamentum, vt inquit Bernardus. Vndè quid amplius dicam? hoc vnum pro eius ſanctitate dicere ſufficit, quod Chri-

Chriſtus Dominus, & Beatiſſima Virgo Maria ex eo originem duxerunt; ac per conſequens de‿cius ſalute maximoperè curare.

Et certè, omnia vincit Amor, Amor ſcilicet Diuinus, cum quo Salomon multum Deum dilexit; vt habetur 3. Regum 3. *Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris ſui.* Qui amor numquam otioſus viſus eſt: modo Domini Templum ædificando: modo magna cum‿ſollemnitate Arcam Domini in eo collocando; modo Iſraeliticũ populum iuſtè, & rectè iudicando: modo victimas, & hoſtias Deo ſæpiſſimè immolando: modo Ieruſalem, Ciuitatem Domini per circuitum muniendo: modo Regiam Domum diuitioſis ornamentis exornando: Hæc, & alia innumerabilia opera bona‿patrãdo: itaque Salomonis amor erga Deum, verus amor fuit;

D. Gregor. Vndè inquit Gregorius homilia 3. in Cantica: *Nunquam Amor Dei eſt otioſus, operatur enim magna, ſi eſt, ſi autem operari renuerit, amor non eſt.* Et quia mens Salomonis totaliter ad Dei obſequium intenta erat, non voce, ſed factis

Bern. ſerm. 62. in Cãt. loquebatur. Bernardus ſer. 62. in Cantica: *Amor, nec verba requirit, interdũ, nec voces vllas, ſolus ad hoc factis contentus.* Nimis feruens, ac bulliens erat Salomonis Amor, quod impatiens multoties oſtē-

D. Ambroſ. debatur. Diuus Ambroſius ſermone de Aſſumptione: *Impatiẽs Amor, nec aliud cogitare poteſt, quã quod diligit. Amor non recipit de‿impoſſibilitate ſolatium, nec ex difficultate remedium, nec conſilio temperatur, nec pudore frenatur, nec rationi ſubijcitur.* Quæ omnia Salomonis opera, licet per peccatum mortificata poſtmodum per pænitẽtiam viuificata. Quapropter inquit Diuus Cyprianus ſer. 6. D.Cyp. ſer. 6. in Cæna Dom.

in Cæna Domini; *Quoties in conſpectu Domini video te ſuſpirantẽ; Spiritum non dubito adſpirantem, cum intueor te pænitentem, ſentio innocentem; nàm Propheta dicit; non recordabor amplius iniquitatem eorum.* Iuxtà illud Diui Ambroſij D. Ambroſ.

loco citato; *Gratia vehementior eſt ad operandum, quam natura.*

Demum Beata Methildis in‿ Reuelat. B. Methildis.

illa ſua reuelatione de Salomone his verbis concludit: *Rogata à quodam fratre, Dominum in oratione requiſiui, vbi nàm eſſent Animæ Sanſonis, Salomonis, Origenis, et Traiani. Cui Dominus. Quid pietas mea cum anima Sanſonis egerit, volo eſſe ignotum, vt homines ſe de inimicis ſuis vlciſci amplius pertimeſcant. Quid miſericordia mea cum anima Salomonis fecerit, volo homines latere, quatenus carnalia peccata ab hominibus magis deuitẽtur. Quid verò benignitas mea cũ anima Origenis effecerit, volo eſſe abſconditum, vt nullus in ſcientia ſua confidens, audeat eleuari. Quid verò de anima Traiani liberalitas mea iuſſerit, volo homines ignorare, quatenus Fides Catholica in hoc magis extollatur, quia hic licet omnibus pollere‿virtutibus, Chriſtiana tamen Fide,*

ac baptiſmo caruit: hęc illa.

In hac Beatæ Methildis reuelatione, & reſponſione, videtur inſinuare Deus ſe egiſſe, cum Salomone miſericordiam, quæ Dei miſericordia, in communi vſu Sacrę Scripturæ eius iudicio, noſtræque damnationi opponitur, igitur Deus ſignificare videtur, quod Salomonis anima damnata non fuit.

Et ſi inſtabis, huiuſmodi miſericordiam ad id præcipuè referri, quod minores pænas in inferno ſuſcepit, ac eius peccata poſcebant.

Dico tripliciter. Primò, quod hoc damnatis omnibus, commune eſt, de quibus Theologorum aſſioma eſt, quod Deus punit citra condignum, nihil igitur, ſpeciale diceret de Salomone. Secundò, nàm huiuſmodi minoratio pænarum inferni, nequit dici miſericordia, cum ſub damnatione includatur. Tertiò, quia numquam, Deum tale priuilegiũ inuenitur dediſſe dãnatis; atqui communiter euenit, pænitentiæ donum, in hac vita peccatoribus concedere. Igitur priuilegium hoc, commune peccantium, nequit Salomoni negari, per quod conſequi debuit æternam beatitudinem.

Vndè notant viri docti, & ex Sacra colligitur Scriptura, Reges Iuda, qui impenitentes ſunt mortui, Sepulchris caruerunt ſuorum maiorum, quaſi illis indigni, atqui Salomon tali ſepulchro non caruit, nàm vt dicitur 3. Reg. 11. *Dormiuit Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Ciuitate Dauid patris ſui.* Et Eccleſiaſt. 47. *Et finem habuit Salomon cum patribus ſuis.* Igitur non fuit mortuus abſque pęnitentia. Hoc argumento Burgenſis vtitur. 3. Reg. 11. Eccl. 47.

Et Diuus Epiphanius tom. 3. lib 1. Hęreſi 42. in princip. Inter cæteros errores Marcionis, eum damnat, quo putabat, à Chriſto Salomonem relictum apud inferos, ideſt in limbo Patrum, in quo recenſet, illum fuiſſe cum Abel, Henoch, Moyſe, & Dauid, reliquiſque Patriarchis, atque Prophetis; ergo cenſet, illum nõ impęnitentem peccatorem fuiſſe, alias ad limbum Patrum non deſcendiſſet Salomon.

Vndè Diuus Cyrillus Ieroſolymitanus in Catecheſ. 2. inquit: *Et Salomon ceciderat, ſed quid inquit poſteà? Ego egi pænitẽtiam. Vbi hoc, niſi prædicto loco Prouerbiorum?*

Non minus Diuus Iſydorus, (quem refert Abulenſis) idem tenet. Et Angelicus Doctor D. Thomas opuſc. 20. lib. 3. cap. 8. conſentit, quia licet id referat ex ſententia D. Hieronymi, & Hebræorum, non ſolum non reprobat, ſed neque oppoſitum affirmat, immò, vt dixi conſentire videtur. Et cum eo, idem docent, ſcriptor Hiſtoriæ Scholaſticæ. Petrus Comeſtor; Alijque plures Scholaſtici, atque Auctores moderni, &c.

Nihilominùs à contrarijs, diffici-

ficilè proponitur argumentum. Nempè, ſi Salomon pæniteret, atque pænitentiam egiſſet, præcipuè pæniteret peccati idolatriæ, quod omnium maximum fuit, omnia deſtrueret templa, idolis dicata, cum poſſet, vt Rex potentiſſimus, & teneretur, vt fidelis Dei ſeruus, alioquin pœnitentia inutilis, atque inefficax eſſet, quemadmodum illius, qui domi concubinam retinet: atqui Idolorum templa non deſtruit; imò potiùs manſere, vſque ad Ioſiam, vt habetur 4. Regum 13. cum dicitur: *Excelſa quoque, quæ erant in Ieruſalem, ad dexteram partem montis offenſionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Iſrael, & Aſtaroth idolum Sydoniorum. Et Chamos offenſionis Moab, & Melchon abominationis filiorum Ammon, polluit Rex, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos.* Igitur Salomon, peccati ſui idolatriæ non verè penituit.

Huic argumento ſcitè reſpōdet Martinus del Rio, in ſua Iſagoge Canticorum, ſectione 3. ſſ. reſtant: in reſponſione ad ſeptimum argumentū inquiens; quod cum facilius ſit, plebem ad idolatriam prouocare, quam reuocare, forſitan nō potuit Salomon dicta Idolorum templa deſtruere, præcipuè deficiente ætate, nàm tunc, & Regia auctoritas deficere ſolet, & multorum abūdare contumacia, vt indicant molimina Ieroboam, & aliorum, res innouantium ante mortem Salomonis. Cuius rei difficultatem nō leuiter indicat, quod alij boni Reges poſteà ſuccedentes (vt fuere Aſa, Ioſaphat, Ioias, Amaſias, Azarias, & optimus Ezechias) hæc Idolorum templa non deſtruxerunt, neque ipſe Manaſſes poſt pænitentiam. Igitur, ſicut hoc non tollit, quominùs illa pænitentia fuerit vera, & efficax, ſimiliter neque in Salomone auferet.

Imò, neque impedit, nempè, Salomonem feciſſe prædicta tēpla, & altaria idolorum: non verò reliquos Reges, nàm cum nō ſit minus prohibita iſtorum continuatio, atque cōſeruatio, quàm prima ædificatio, ſicut iſti excuſantur à culpa, quia non potuerunt illa deſtruere; ita, & Salomon in eo, quod illa non deſtruxerit tempore ſuæ pænitentiæ. Vndè credibile eſt, dictos Reges, vel non fuiſſe auſos, hanc rem aggredi, timentes populi ſedationem, aut à re, iam incepta deſtitiſſe, eadem ratione. Concluditur itaque, tàm à Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, quàm à Scholaſticis profeſſoribus, Salomonē, pænitentiam egiſſe, ac per conſequens inter Sanctos numerari, quemadmodum à Diuo Ambroſio inter illos collocatur, dicēte, vt nuper dixi loco citato, nempè prima Apologia Dauidis, tom. 1. cap. 4. *Quid de Salomone Sancto loquar?* Sanctus à D. Ambroſio appellatur Salomon, ò vtinam, cum ipſo eādem ga derem glo-

riam,in ſecula ſeculorum.Amen.

Laus Deo, O. M. Beatiſſimæ, ac Sereniſſimæ, vtriuſque vniuerſi Imperatrici Virgini Marię. Eminentiſſimo Patriarchę Diuo Dominico. Angelico Doctori D. Thomæ Aquinato. Magno Vincentio Ferrerio. Eximo D. Petro martyri. Inclyto Diuo Antonino Florentiæ Archiepiſcopo. Amato,ac dilecto Diuo filio Hiacynto. Cælſo Patri, Diuo Raymundo. Præclaro D.Ludouico Bertrando. Inſigni D. Ambroſio Sanſedonio.Celeberrimo D.Iacobo Salomonio. Illuſtri,ac Beato Pio Quinto, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifici maximo.Glorioſo Patri,ac Beato Alberto Magno, Angelici Doctoris digniſſimo Magiſtro. Dulci, ac Mellifluo Beato Gundiſaluo. Seraphicæ S. Catharinæ Senenſi. Inuictæ propugnatrice S.Roſæ à Sancta Maria. Diuinæ Beatæ Agneti à Montepolytiano. Et pretioſiſſimæ gemmę, Beatæ Margaritę à Sabaudia. Sit laus, honor,virtus,& gloria. Amen.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM,

QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Primus Numerus ſignat paginam, ſecundus columnam.

CAPITVLVM PRIMVM.

PRÆFATIO

De Veritate Iudicij, & Iudicis integritate.

PRæfatio dilucida oratio eſſe debet,vt intelligatur, de quo diſputatio erit.Pagina 2.Columna 2.

Vnaquæque res in tantum habet de veritate,inquantum intellectum Diuinum imitatur.p.2.col.2.

Omnis cognitio veritatis eſt quædam irradiatio, & participatio legis ęternę.p.2.col.2.

Aliqui plus,aliqui minus de cognitione veritatis participant,& ſecundum hoc etiam plus, vel minus cognoſcunt legem ęternam. pag.2.col.2.

Veritas ſecundum D.Thomã amabilis eſt. Et Auguſtinus docet, quod homines veritatem lucentem amant non eam redarguentem.p.2.col.2.

Intereſſe abutitur à lege Diuina. pag.3.col.1.

Spiritus ſanctus omnem veritatem nos docuit neceſſariam ad ſalutem.pag.3.col.1.

Triplex eſt veritas vitæ, iuſtitiæ, & doctrinæ.pag.3.col.1.

Quibus modis impeditur Iudex,vel Aſſeſſores,vel Conſiliarij, nè iuſtitiam faciant; atque diligenter examinent cauſam ſibi propoſitam.pag.3.col.2.

Modi,quibus Iudex impeditur ſunt huiuſmodi. Timor, odium, dilectio,cenſus.p.3.col.2.

Iudex,& ſui Aſſeſſores moueri debent ad iudicandum zelo iuſtitiæ, non zelo vindictæ, iræ, vel odio.p.5.col.1.

Spiritus ſanctus in ſpecie linguarũ apparuit, quia lingua eſt membrum veritatis.p.4.col.2.

Lingua ex ſua creatione,ſicut etiam ex Spiritus ſancti apparatione ad hoc eſt homini data, vt veritatem loquatur.p.4.col.2.

Exemplum de lingua cuiuſdam Iudicis mortui in tumba integra inuenta,toto corpore corrupto. pag.4.col.2.

Riſus Socratis de quodam latrone ad patibulum damnato. pag. 5. col.1.

Iudex in caſu damnandi aliquem fa-

facinoroſum ad patibulum, tria in ſe habere debet p.5.c.1.
Terribile exemplum de decem Comitibus ad pœnas inferni damnatis. pagina 5. columna 2.
Iudicium iuxta Diui Thomæ doctrinam propriè nominat actum Iudicis; inquantum Iudex eſt. pag.6.col.1.
Aliud eſt iudicare de rebus, & aliud de hominibus p.6.col.1.
Homines ad Iudicem confugiunt, ſicut ad quandam iuſtitiam animatam p.6.col.2.
Quid facient homines ſi anima Iudicis virtutibus iuſtitiæ caret? pag.6.col.2.
Iudices, qui veram amplecterentur iuſtitiam, Deus dabit eis quatuor retributiones, duas in hac vita; & duas in alia vita p.7.col.1.
Quã largus remunerator eſt Deus iuſtis Iudicibus, ac omnibus ſibi ſeruientibus in veritate pag. 7.col.2.
Iudicis eſt, ſemper in cauſis verum ſequi p.7.col.2.
Eloquentia Aduocatorum, & Procuratorum ſępè obnubilatur veritas p.7.col.2.
Iudæus Iudex, & iuſtus Aduocatus nullo modo ſcienter, iniuſtas cauſas accipere debent p.7.c.2.
Mauritius Imperator propter iniuſtitias, & Eccleſiæ perſecutionẽ, à Deo ſeuerè caſtigatus p.7.c.2.
Focas plebis acclamationibus obediens contra Mauritium, Imperij Regnum ſumpſit p.8.col.1.
Imperator Tyberius Cæſar iniuſtus, & barbarus, qui potius diceretur Mero Tyberius, quam Nero Tyberius: Artificem excellentem in arte vitrea decollari præcepit p.8.col.2.
Tyberius factus leproſus à Sancta Veronica ſanatus fuit. Vndè ortum habuit nobilitas? A virtutibus reſpondẽt Sacri Doctores. pag.9.col.1.
Virtutes per quas Nobiles cognoſcuntur ſunt quinque, ſcilicet, largitas, gratitudo, miſericordia, pauperum, ſeù ſubditorum defenſio, & iuſtitia p.9.col.2.
Domini potentes, tàm Eccleſiam, quàm Eccleſiaſticas perſonas, magis opprimunt, quam defendunt p.11.col.1.
Riguroſum iudicium contra Principes non iuſtè operantes. Nobiles, canibus ignobiliores. pag. 11.col.2.
Curioſum exemplũ de Sancto Machario p.10.col.1.
Nobilitas Habraæ requirit opera Habraæ p.10.col.2.
Antiquitus iuſtitia, & pietas in Regibus Præſulibus Principibuſque fulgebant p.12.col.1.
Ioſeph ab Arimathia, quia Diues erat, quod voluit, à Pilato obtinuit p.12.col.2.
Exemplum Alphõſi Regis Aragoniæ, & Ioannis Regis Portugalliæ p.12.col.1.& 2.
Authoritas D.Thomæ de Italię Iudicibus p.13.col.1.
Senſus Dauidis de his Iudicibus loquendo p.13.col.1.
Elohim in hebræo, latinè Deus Iudex p.13.col.2.

Cu-

Curioſæ expoſitiones Sanctorum Patrum ſuper illa verba, in medio autem Deos dijudicat pag. 14.col.1.& 2.

Interrogatio Diui Thomę Villanouæ. Et reſponſio Iudicum. pag. 14.col.2.

CAP. II.

De Salomonis ſapientia; Salomon cupidus habere ſapientiam, per orationem obtinuit p.15.col.1.& 2.

Sapientia Salomonis, inſtar multitudinis arenæ maris p.15. col.2.

Salomonis ſapientia exceſſit humanæ ſapientiæ vires, ac per conſequens fuit infuſa p.16.col.1.

Rationes,& auctoritates Sanctorũ, aliorumque Doctorum probantes Salomonis ſapientiam fuiſſe infuſam p.16.col.2.

Salomonis ſapientia cum illa Adami contendit p.17.col.1.

Ambo conueniunt in ratione ſapientiæ infuſæ p.17.col.1.

Salomon inuiſitur à Regina Saba p.17.col.2.

Augebatur in dies per totum Regnum Iſrael fama ſapientiæ eius p.17.col.2.

Ædificatio templi Domini à Salomone p.18.c.1.

Collocatio Arcæ Domini cum ſollemni pompa in templo pag.18. col.1.

Salomon Regiam Domum ędificat p.18,col.1.

Munitio Ciuitatis Hieruſalem pag. 18.col.1.

Chriſtus terrenum Regnum temporaliter adminiſtrare voluit p. 18.col.2.

Salomon dùm perſeuerauit in gratia rectè iudicauit p.19.c.1.

Omnis Iſrael pertimuit Salomonẽ propter eius ſapientiam pag.19. col.1.

Salomon puer duodecim annorum omnes admirauit p.19.c.1.

Regina Saba Salomonem tentat in enigmatibus,donans ei duos diuerſorum faſciculos p.19.c.1.

Pulchra Salomonis reſolutio, ac Reginæ Sabæ admiratio pag. 19.col.1.& 2.

Salomonis ſententia de infantis diuiſione p.19.col.2.

Deſiderium Adoniæ in ſuam vxorem cupiens Abiſag Sunamitis pag.20.col.1.

Sententia Salomonis de occiſione Adoniæ p.20.col.1.

Defenſio Theodoreti in perſonam Salomonis, circa occiſionem Ioab p.20.col.1.

Diſtinctio, ſeù differentia inter ſolium,& thronum Salomonis pag. 21.col.1.

Exemplum Cantuarienſis Archiepiſcopi contra ſeditioſas perſonas p.21.col.2.

Iuſtitia punitiua malorum requiritur ad conſeruationem Regni, Ciuitatis,& Reipublicę pag.22. col.1.

Prouerbialiter dicitur.Hoſtem ſibi emit, qui ſuum de cruce demit pag.22.col.2.

Dicitur Beatus, qui facit iuſtitiam, & amator eſt illius p.22. col. 2.

Di-

Dimittere homines dignos morte, enorme peccatum p.2.col.2.
Quadrupliciter mutatur affectio, quapropter difficilè eſt in iniuſtitias non flecti p.22.col.2.
Conuerſio iudicij in amaritudinē, & fructus iuſtitiæ in abſcynthiū pag.23.col.1.
Generantur odia propter malam hominum conuerſationem, & per iniuſtitias multiplicantur ſcelera p.23.col.2.
Innocētes oppreſſi, vocem ad Deū emittunt, vindictam clamantes pag.23.col.2.
Rectores in terrenis rebus fortes ſunt, in cęleſtibus debiles p.23. col.2.
Quare dicitur, quod Spiritus ſanctus arguet Mundum de iuſtitia pag.24.col.1.
Dicitur, ſi iuſtitia ſeruaretur, totus Mundus ſaluaretur p.24.c.1.
Viduæ, pupilli, orphani, & pauperes rarò conſequuntur iuſtitiā pag.24.col.2.
Offerre munera, illicò Iudicis gratiam inuenit p.25.col.1.
Quare in omni ſtatu, iniuſtitia inuenitur, & carnis à latratu deſiſtit p.24.col.2.
Petronij Poetæ, curioſa carmina p.24.col.2.
Hiſtoria viduæ nimis pulchra pag. 24.col.2.
Iudex remunerationem expectans, fraudem in Deo perpetrat pag. 25.col.1.
Iudex ſine iuſtitia locum tenet Diaboli, ſicut Iudex bonus locum tenet Dei.p.25.col.2.
Melius eſt non eſſe Iudicem, quam talem eſſe, & iniuſtitias facere p.25.col.2.
Curioſum exemplum de Iudice pagano p.25.col.2.

CAP. III.

Papa vniuerſalis Eccleſiæ ſpōſus dicitur p.27.col.1.&2.
Chriſtus nimis zelotes honoris ſuę ſponſæ Eccleſiæ, non minus Pōtifex eius vicarius p.27.col.2.
Quidquid Papa iudicialiter ex Cathedra determinat, de fide tenēdum eſt p.28.col.1.
De fide etiam in Papa Spiritus sācti aſſiſtentia p.28.col.1.
Depręcatio Chriſti ad Patrem pro Apoſtolo Petro, & ſuis ſucceſſoribus p.28.col.1.
Duę conſiderationes in Apoſtolo Petro, vna inquantum homo; inquantum Chriſti Vicarius altera p.28.col.2.
Papa dùm loquitur in Cathedra, loquitur, vt Petri ſucceſſor, extra illam, vt perſona priuata pagina 28.col.2.
Diſtinctio Caietani circa perſonā, & authoritatem Pontificis pag. 29 col.1.
Differentia inter humanum Principē, & Summū Pōtificē p.29.c.1.
Papa in Cathedra Petri ſedens cōcilia confirmat p.29.col.2.
Determinatio Concilij Calcedonenſis contra Concilium Epheſinum ſecundum p.30.col.1.
Concilium non habet facultatem condendi leges, totam obligantes

tes Eccleſiam, niſi eam, quam ſibi Papa conceſſit p.30.col.1.
Concilium inconſulto Papa nihil ordinare poteſt in ordine ad regimen Eccleſiæ p.30.c.2.
In Papa præſumi non poteſt ignorantia p.30.c.1.
Princeps, cum ſit conditor legum, ex officio tenetur ſcire leges p. 30.c.1.
In omnibus Concilijs iſta particula ponitur, ſalua ſemper authoritas Apoſtolicæ Sedis p.30.c.2.
Non indiget Pontifex ad decretãdum, ad diffiniendum Cardinalium votis p.30.c.2.
Cardinalium authoritas, & iuriſdictio à Pontifice dependet p. 31. col. 1.
Valor Summi Pontificis non pendet à conſenſu Cardinalium, tãtummodò ex vrbanitate pag. 31. col. 1.
Authoritas Papæ eſt à Chriſto, à quo eſt illuminata non, pendens ab alterius conſenſu p.21.c.1.
Pontifex poteſt nouas leges condere, antiquas abrogare p.31.c.1.
Non poteſt Papa huiuſmodi authoritate ſe priuare, quia non eſt Dominus huiuſmodi poteſtatis, & authoritatis, dùm Chriſtus talem poteſtatem dignitati Papali conceſſit p.31.c.2.
Poteſt Papa ſe tali dignitate priuare, renunciando Pontificatum p. 31.c.2.
Quid vult ſignificare Chriſtus per illa verba, quæ Petro dixit, Tibi dabo claues Regni Cælorum p. 31.c.2.
Pontifices, Petri ſucceſſores hanc habere facultatem, oues Chriſti paſcendi, & ad gaudia æterna perducere, pagina 31. columna 2.
Proprietates Aquilæ, quæ ſunt. p. 31.c.2.
Salomon proprietates Aquilæ imitare in ſua Regia Sede ſedens procurauit pagina 32. columna 2.
Exemplum Macrobij de quodam Rege Siciliæ pagina 32. columna 2.
Alexandri Magni reſponſio ad Bragmandos pagina 33. columna 1.
Epiſtola Papæ Baſilij Imperatori Anaſtaſio p.32.c.1.
Luminare maius, & luminare minus; maius Eccleſiaſtica authoritas; minus terrena poteſtas pag. 35.c.1.
Viſio Alexandri Magni, cum veniret in Iudęam pagina 33. columna 2.
Humilitas Alexandri Magni erga Eccleſiam p.33.c.2.
Quare Sol numquam egreditur de linea Eclyptica, ita debent Principes ad ſimilitudinem Solis p. 34.col.1.
Quare Chriſtianus dicitur à Chriſto p.34.c.2.
Quod eſt præmium Iuſtitiæ facientibus iuſtitiam. Ita è contra pag. 34.c.2.
Exemplum de quodam Iudice, qui debebat iudicare, inter pauperem, & diuitem p.35.c.2.
Cur Chriſtus dixit. Nec Iota vnum,

nec vnus Apex prçteribit à lege p.35.c.2.
Egregium factum Octonis tertij Imperatoris p.36.c.1.

CAP. IV.

QVid magis competat Principi boni Iudicis nomen, an victoriarum gloria p.37.c.1.
Curioſum dictum Valentiani Imperatoris p.37.c.1.
Quare Nauis dicitur gubernari per Nautæ induſtriam p.38.c.1.
Finis Principis qualis eſſe debet p. 38.c.1.
Phyloſophorum ſententiæ, circa Principis perſonam, & Regni gubernationem p.38.c.2.
Princeps factionitates,& ſingularitates expellere debet.
Quæ ſunt Imperij totalis deſtructio,& ſpopulatio p.38.c.2.
Exemplum Principis, inſtar Solis fulſere debet,è contra ſi propriã gloriam quæris p.39.c.2.
Punitio Dei ad Principes intenta p.40.c.1.
Conſilium Sancti Ludouici Regis Galliç Philippo ſuo hæredi pag. 40.c.1.
Debet Princeps ſuorum Procerum exemplis incumbere pagina 40. col.2.
Ceſſio victoriarum iuſtitiç pag.40. col.2.
Principes à Deo nobis dati ſunt p. 40.c.2.
Per veritatem, & iuſtitiam defenditur,& liberatur populus p.41. col.1.
Lapſus ſubditorum dulcedine, & charitate puniri debent pag.41. col.2.
Tenentur Princeps prouidere de miniſtris,in quibus ſit veritas,& qui oderint auaritiam. pag. 41. col.2.
Veritas miniſtris odium parit pag. 41.c.2.
Exemplum cuiuſdam mulieris laconicæ p.42.c.1.
Quare Spiritus ſanctus dicit: Nolite confidere in Principibus pag. 42.c.1.
Per pulchritudinem corrupta eſt caro p.42.c.2.
Principes propter ſanguinis nobilitatem filij Dei nominantur p. 42.c.2.
Princeps dicuntur Gigantes per potentiæ altitudinem pag. 42. col.2.
Principum iuſtitia vaſſallorum corda lætificat pagina 43. columna 1.
Iuſtitia virtutum fundamentum p. 43.c.2.
Quid prodeſt iuſtitia cum iniquitate p.43.c.2.
Bonus Princeps non differt à bono patre pagina 44.col.1.
Correctio cuiuſdam Philoſophi corrigentis quendam Principem Babyloniæ pagina 44. col. 1.
Inuentio ludi ſcacchorum per eundem Phyloſophum ad corrigendum Principem pagina 44. columna 2.
Nullum violentum durabile p. 44. col.2

Benignitas Principis non ſolùm debet ſe extendere ad punienda delicta,ſed ad ea tollenda p. 45. col. 1.

Honor debetur Principi, vt in reuerentia habeatur ab alijs p.45. col. 1.

Principes debent iuſtos officiales inſtituere; adulatores, & detractores eijcere p.45.col.1.

Debent officiales eſſe iuſtitiæ amatores,& non rapacitatis pag.45. col.2.

Rapacitas cauſa odij populi p.45. col.2.

Extorquere à ſubditis, conſenſientibus officialibus,ſunt tales,ludę ſocij p.45.col.2.

Officialis bonus à Principe mutari non debet pag.45.col.2.

Exemplum Tyberij Cæſaris reſpõdentis ad quoſdam ſuos familiares p.45.col.2.

Quid intelligitur de tunica, quando Chriſtus dixit vnuſquiſque vendat tunicam ſuam, & emat gladium p.46.col.1.

Magnificentia,& excellentia Principis in virtutum culmine reſplendet pag.46.col.2.

Virtutes,Regnum conſeruant intactum,& illibatum p.46.col.1.

Spiritus ſancti verba, ad Reges,& Principes, p.47.col.1.

Proprium eſt Regum, & Principũ facere iudicium,& iuſtitiam pupillis, viduis, & peregrinis pag. 47.col. 1.

Qui corriguntur,& puniuntur ſunt pauperes, & impotentes p. 47. col. 1.

Peccata terræ, multiplicatio Principum p.47.col.1.

Principes perimunt, qui poſſunt contra eos inſurgere pag. 47. col.2.

Carmina cuiuſdam Poetæ pag.47. col.2.

Curioſum dictum D.Franciſci de Paula pag.47.col.2.

CAP. V.

Melius eſt habere Reges, & Principes per hæreditariã ſucceſſionem,quam per electionem, quod multiplici ratione probatur p.48.col.1.& 2.

Reſponſio cuiuſdam ſenis, alicui iuueni.pag.49.col.1.

Nullus proprio capiti inniti debet, ſed aliorum ſententias audire p. 49.col.1.& 2.

Conſiliarius non debet adulari in conſilio, nec placentia dicere p.49.col.2.

Conſiliarij de numero bonorum,& iuſtorum p 50.c.1.

Prauorum Conſilia diſſipat Deus p.50.c.1

Conſilium à iunioribus incipitur, vt libentius iuuenes veritatem dicere poſſent p.45.col.2.

Pulchrum dictum Octoni Imperatoris;ſcilicet quales Senatores, talis Princeps p.49.col.2.

In Republica valdè neceſſaria miniſtrorum bonitas. E contra quãtum periculoſum, & nociuũ habere homines ſine conſcientia p.49.col.2.

Iuramentum gubernandi Reipu-

 bli-

blicam cum omni rectitudine.
Conſiliarij timentes magis hominem, quam Deum, quemadmodum Pilatus, &c. p.50.col.1.
Principes non timentur à ſuis ſubditis, quia dormiunt, aut ignorāt mala ſubditorum p.50.c.2.
Non ita Deus. Carmina Boetij metro.2.p.50.col.2.
Timor filialis, & ſeruilis in quibus reperitur p.51.c.1.
Exempla in Sacra Scriptura de timore ſeruili p.51.c.2.
Timor iſte non eſt in charitate pag. 51.col.2.
Pulchrum exemplum de duobus officialibus p.52.c.1.
Oſtenditur multiplicitas iuſtitiæ p. 52.c.1.& 2.
Iurgia inter Principes, quia non conſtituuntur Conſiliarij, & Iudices, amatores iuſtitiæ pag. 53. col.1.
Damnationis cauſa, auaritia eſt p. 53.col.2.
Curioſum exemplum Caroli Imperatoris p.53.c.2.
Peſſimi Conſiliarij inſtigant ad infinita mala propter auaritiam, & priuata commoda p.54.col.2.
Boni, & fideles Conſiliarij non sūt, qui ſecreta Conſilij reuelant p. 54.c.2.
Papyrius Romanus reuelat ſecretum Conſilij Romanorum, nempè, an melius ſit, vt vnus vir habeat duas vxores. An quod vna pluribus nupta ſit p.55.c.1.
Romanorum ſtatutum, quod nullus in poſterum, nempè puer Senatūm intraret.p.55.col.1.
Conſiliarijs Reipublicæ, nō ſolùm requiritur ſecretudo, quæ eſt principalis conditio; non minus eſt illa pecuniarum contemptus p.55.c.2.
Vè Reipublicæ ſi auaritia in Conſiliarijs, & miniſtris pedem firmauit p.55.c.2.
Pecuniæ miniſtrorum furtiuè, & ſine cōſcientia acceptæ, citò euaneſcunt p.55.c.2.
Sacculi auro, & argento pleni, poſt parum temporis, vacui inueniūtur p.55.c.2.
Franciſcus Petrarcha lib. 2. de Remedijs vtriuſque fortunæ de hoc refert dignum exemplum p.55.c.2.
Auaro idem ſunt pecunia, atque arena p.56.c.2.
Qui volunt diuites fieri in laqueum incidunt Diaboli, & in deſideria multa inutilia, & nocina, quæ mergunt homines in interitum p.57.c.1.
Pulchra authoritas D. Franciſci de Paula p.57.c.2.
Recta iuſtitia Alexādri Magni Imperatoris, quamuis à ſua matre rogatus p.58.c.1.

CAP. VI.

Moyſes, antequam ad Principatum perueniret, paſtoris officium coluit p.60.c.1.& 2.
Conſtituitur etiam Moyſes Deus Pharaonis p.60.c.1.
Oſtēdit Deus neminem poſſe Principatus nomine gaudere, niſi prius Paſtoris officium exercitaret

ret pagina 60. columna 2.
Noſtri primi parentes non, Reges hominum, ſed paſtores memorantur p.61.c.1.
Principes dati ſunt à Deo ad reprimendas ſubditorum inſolentias p.61.c.1.
Princeps illetteratus, quaſi aſinus coronatus p.61.c.1.
Magnus Alexander dicere ſolebat. Imperium in virtute, & decore exiſtere p.61.c.1.
Per tria mouetur terra,quartum nō poteſt ſubſtinere p.61.c.1.
Qui vult aliquem cognoſcere, ſibi officium committat p.61.c.2.
In Principatu requiritur Paſtoralis amor non partialis affectatio p.61.c.2.
Differentia inter Euāgeliſtas,Matthæum,& Marcum,de præcepto Chriſti,inferendo virgam in via p.61.c.2.
Zelus Principis Dauid erga ſuas oues p.62.c.1.
Petrus Apoſtolus, antequam Princeps vocetur, Paſtor ouium dicitur p.62.c.2.
Petrus relictis ſocijs, in mare, cum tunica ſe proiecit p.62.c.2.
Chriſtus trina interrogatione, Petrum tentat p.63.col.1.
Hieremias, virgam vigilantem vidit.In hac virga magnum declaratur miſterum p.63.c.1.
Conditio Principum,vt quidquid faciunt, præcipere videantur. Moyſes dùm eſſet morti proximus,non petijt prolongationem vitæ, ſed ſui ſucceſſorem p. 49. col.1.
Magna contrarietas inter gloriam, & deſcenſum, nempè celſitudinem,& humilitatem, ſed magna admiratio conueniētia inter eas, p.64.col.2.
Præcipuum Dauidis memoriale, ſcilicet humilitas p.6.c.1.
Chriſtus imponit Petro, vt tributū ſoluat pro eo, & pro ſe pag. 65. col.1.
Quare non dixit Iudæ, qui loculos communes habebat, ſolue pro me, & vobis omnibus pag. 65. col.1.
Exemplum Principibus nè de cōmunibus perſonale debitum ſoluant p.65.col 2.
Excellentia amoris Moyſis erga ſuum populum p.66.c.1.
Princeps inſtar piæ matris erga ſubditos ſe habere debet p. 66. col.1.
Princeps Moyſes tamquā pia mater ſuum diligebat populum p. 66.c.2.
Potius deſiderabat gloria priuari diuina,vt populus veniam obtineret p.66.c.2.
Bonus Paſtor, animam ſuam ponit pro ouibus ſuis pag.66.c.2.
Debent diſcere Principes, non vitam ſubditis tollere,ſed propriā pro illis exponere p.66.c.2.
Qui aufert panem,occidit proximū ſuum p.66.c.2.
Paſtoris nomen propriè Prælatis conuenit p.67.c.1.
Declaratur Apoſtolus Petrus à Chriſto Paſtor Eccleſiæ,& quare hoc nomen ei imponitur pag. 67.col.1.

Præ-

Prælati à Deo ſunt electi;& debent ſuam ſponſam Eccleſiam diligere,& defendere p.67.c.1.
Prælati non debent ſponſam ſpoliare, itaut inops, & nuda remaneat p.67.c.2.
Non licet de facultatibus Eccleſiæ nepotes conſanguineoſque ditare p.67.c.2.
Res pauperum non pauperibus dare, maximum extimatur ſacrilegium p.68.c.1.
Prælatos non debere prælaturam in meliorem mutare p.68.c.1.
Si aliquis Rectorum ſaluatur, maximoperè Chryſoſtomus admiratur p.68.c.2.
Expirauit veritas, mendacium, & falſitas in Rectoribus regnat p. 68.c.2.
Vigilantia plus in marſupijs ſubditorum, quam vitijs extirpandis p.68.c.2.
Curioſa hiſtoria de cane cuiuſdam Clerici, quem in Cimiterio ſepeliuit p.69.c.1.
Quæ requiruntur ad ſtatum Epiſcopalem. Vide pag.69.& 70.

CAP. VII.

QVare Nabuchdonoſor dicitur Dei ſeruus pag.72.col. 1.& 2.
Sacrificium, vt eſſet Deo gratum, requirebat, quod offerens, manũ ſuam poneret ſuper caput hoſtię p.73.c.1.
Variæ Doctorum expoſitiones ſuper hac cęremoniam pag. 73. col.2.
Animalia nuda Deo oblata, nec illi erant grata, nec offerẽtibus proficua p.73.c.2.
Iuſtitia dicitur omnis virtus p. 73. col.2.
Offerre Deo, non nudam hoſtiam, ſed noſmetipſos virtutibus iuſtitiæ indutos p.74.c.1.
Sacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentũ eſt p.74.c.1.
Abrahæ ſacrificium, inter omnia ſacrificia Deo acceptabilius p. 74.c.2.
Prontitudo Abrahæ ad exequendum Dei mandatum p.74.col.2.
Deus victimis non delectatur humanis, nec ſanguis humanus ſibi eſſet gratus ad cibum pag. 75. col.2.
Sacrificij filij Abrahæ Deus non cupiebat, ſed cordis Abrahæ iugulum intendebat p.75.c.2.
Holocauſta Arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & hircorum noluit Deus p. 75.c.2.
